Princeton University Library
32101 045239181
Digitized by Google

GOERTZ
8238
Y OF PRINCETON UNIVERSITY

[redacted]

v.1



Digitized by Google

Digitized by Google

Confer: allegati à Konigio in Bibliotheca pag: 752. voc. Siberus (Adamus) & Freher in Theatro pag: 1477.

ADAMI SIBERI

IN DAVIDIS ISAEI F. PROPHETÆ ET REGIS HEbræorum Pſalterium

Commentariorum Scholaſticorum

LIBRI QVINQVE.

Prima Pars.



TERTVLLIANVS.

Per Dauidem ſe cecinit ipſe Chriſtus.

VITEBERGAE,

Excudebant hæredes Iohannis Cratonis, Anno 1580.

Princeton University

Library

Digitized by Google

IESV CHRISTI

REGIS REGVM ET DOMINANTIVM DOmini Eccleſiæ,

COLVMNÆ VERITATIS.

QVI natus fueram peccator vtroq; parente,
At natus, Mater, glorior eſſe tuus:
Accipe Chara tui non magna Eccleſia alumni
Munera, Sponſo, habeo quæ, mihi dante tuo.
Bis puer hæc pueris legi, dum Carmina Regis
Explico Ieſſæi, non ſine fruge meis:
Candidus, vt proſint alijs quæ publica, votis,
Et multis, opto, commoda multa ferant.
Vni ſola ſalus CHRISTO quæ credit, & affert
Adiunctis fructum proximitate, FIDES.
Cætera ſunt fraudes, licet aſſerat Angelus illa:
Ipſe Deus verax, vanus at omnis homo.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMI AC POTENTISSIMI PRINcipis, ac Domini D. AVGVSTI Ducis, & Electoris Saxoniæ &c. Eccleſiarum moderatoribus, Conſiliorum gubernatoribus, Academiarum Rectoribus, Præfecturarum adminiſtris, vrbium Conſulibus, oppidorum Decurionibus.

S. D.

DOmini Spiritus per me locutus eſt, & ſermo eius in lingua mea. 2. Reg. 23.
Licet enim ordiri nobis Dauidicorum carminum explanationem ab Autoris ipſius verbis, quæ nominantur, nouiſsimis. Quæ quidem ſine cœleſtis flatus inſtinctu à Propheta regio fuiſſe nec prolata, nec in literas relata certum eſt. Neq; ſanè grauius teſtimonium tribui potuit Pſalterio, quàm diuinus hoc ipſe quod dedit ei, qui ſolus Dei ſcit negocia, Spiritus, & omnium vocum habet noticiam. Sapien. 1.
Non enim Iſraëliticarum cantionum deliciæ Iſai filij opus ſunt, ſed, per ipſum qui cecinit ſeſe Dauidem, Ieſu Chriſti. Ac ſanè naſcentis ab Eccleſiæ initio multi, qui propter ſanctitatem in claritate fuerunt, magis quàm reliqua ſacrorum Bibliorum volumina, & ipſi in amoribus habuerunt Dauidis ſcripta, &, laudibus ea ſingularibus celebrantes, alijs commendarunt. Seculis

(RCPM) 5228 .855
341763
[redacted]

certè ſuperioribus, cum ſuperſtitio confictis ſanctorum hiſtorijs, commentitiorum exemplorum libellis, & nugarum proluuionibus tantùm non obrutum, oppletumq́ teneret orbem Chriſtianum: licet capite operto, & humo
2. Reg. 15. inſperſo, vt fugiens olim Abſolonem, in antris deliteſceret Dauides: nec reperire eſſet ex tot myriadibus tonſo capillo Deo (vt ferebatur) dedicatorum vnicum qui Pſalmum qualicunq́ dexteritate, & veritati Chriſtianæ conuenienti perſpicuitate explicare poſſet: eiusmodi tamen odor, ex nudis, qui cãtitabantur in templis, & in precibus horarijs recitabantur, verbis Pſalmorum afflabatur: vt miræ ſuauitatis flagrantia legentes, audientes, & in Dei contemplatione reficientes ſeſe caperentur: &, quæ animos moueret, iucunditatis voluptate ſingulari perfunderentur. Neq́ ſine iuſta id ſanè cauſa. Nam nec fuit, nec eſt, nec futurus eſt liber vllus qui cum Pſalterio Dauidico comparari poſsit. Certè quidem ſi fieri queat, vt ex dictata diuinitus hiſtoria, & omnium, qui ab orbe condito vixerunt, Patriarcharum, Prophetarum, Regum, & pietatis illuſtri laude celebratorum ſermonibus, actionibusq́ ſcriptum aliquod ad docendum pariter, & vitam rectè, pieq́ inſtituendam, informandamq́ conflaretur: Dauidis hoc ſcripto nullus liber melior, præſtantiorq́ appariturus eſſet. Ex quo connectatur neceſſe eſt, etſi nullum eſt totius ſacroſanctæ ſcripturæ volumen, quod

non

non laudibus decorandum, in manibus haben-
dum, & attenta cogitatione exercendum ſit pijs
mortalibus omnibus: eminere tamen inter reli-
quos libros vniuerſos, & ceu ſolem,

Inter minora ſidera,

Dauidicum fulgere Pſalterium. Primùm enim
contracta breuitate docet, non quid vnus, alter-
ue fecerit eorum, qui terreno curriculo glorioſè
confecto in cœleſtia conclauia digreſsi ſunt: ſed
quid, qui caput eſt, & princeps omnium ſancto-
rum, egerit Chriſtus, &, quæ corpus ipſius, tota
in his terris agat Eccleſia. Et quidem ambigen-
dum non eſt: quin ſuſcipere voluerit Sanctus
Spiritus has partes, vt in compendium redige-
ret, quæ de Chriſto, eiusq; doctrina, atq; omni-
um ſanctorum bonis, dignisq; laude actionibus
variè, copioſeq; in ſacris Bibliorum monumen-
tis exponuntur: vt, qui vtriusq; inſtrumenti li-
bris euoluendis vacare non poſſet, haberet do-
ctrinæ ſalutaris Epitomen, & clara, illuſtriaq;
formandæ vitæ exempla. De Deo certè, eiusq;
natura, ac voluntate, de Homine, Peccato, Lege,
illiusq; antiquatione, de Euangelio, ac fide, de
Chriſti liberatoris ærũnis, tormentis, ſupplicio,
morte, nec non de peccato, & Satana victoria, ac
regno, imperioq; ſempiterno, de iuſticiæ deniq;
ſacrificijs, & integræ, atq; innocentis vitæ incho-
atione docenda quæ ſunt, & cognoſcenda, o-
mnia in Pſalterio ſunt explicata. Deinde in Da-
uidis ſcripto familiam quaſi ducit illud, quòd li-

bri alij de ſanctorum moribus, ſtudijsq; hone-ſtis, & ad legem diuinam accommodatis Cicadis ſunt vocaliores: in verbis autem, & doctrina eorum recenſenda ranas imitantur Seriphias. At Pſalterium non ſolùm actiones ſanctorum hominum commemorat, ſed verba quoq; eorum & ſermones, qui character ſunt animi, doctrinamq; exponit. Vt profectò non ineptè quis dixerit, reliquos, de cœlo conſecratis qui circumferuntur, libellos, mutos nobis, & elingues ſanctos, Pſalterium verò viuos, loquentes, & vitam tractantes repræſentare. Quis eſt autem qui ignorat, hominem, cui linguæ vſus ademptus eſt, non ita multum à mortuo diſtare? Certè quidem à bruto nihil differt. Non enim tam forma inter ratione carentes belluas, & hominum diſcrimen facit, quàm oratio. Siquidem ligna quoq;, & lapides in humanam figuram, habitumq; formari poſſunt: & beſtiæ iiſdem quibus nos muneribus ſenſuum funguntur, quarum etiam ſanè non paucæ, quàm nos, ad labores ferendos, ſuſtinendosq; ſunt valentiores. Quid? quod Pſalterium non vulgares nobis, & in congreſsibus familiaribus qui verſantur, ſed ſingulares, & eximios cum Deo de maximis, & maximi momenti rebus, grauiter affirmateq; habitos ſermones recitat: non verba tantum, & eorum corporis externas geſtiones, ſed affectus ipſos, & intimos animorum motus exprimendo. Momus Poëtarum reprehendiſſe fingitur Vulcanum

Digitized by Google

canum: quòd feneſtratum non feciſſet pectus hominis: quò cogitata eius potuiſſent conſpici. Verùm nobis in perſpeculandis ſanctorum mentibus nullis feneſtellis, oſtiolisq; opus eſt, ſed Pſalmos tantùm peruolutemus Dauidicos. In ijs quæ in ſinuoſi cordis latebris, receſsibusq; intimis occulta habuerunt illi, & abdita in omnibus rerum aſperitatibus, & diſcriminibus, in lucem clariſsimam prolata cernimus. Quod eorum Legendæ (ſic enim loquuntur Barbari) nequaquam præſtant: quæ de operibus ſolùm, & miris illorum, inſolitisq; factis ampullas proijciunt, & ſesquipedalia verba. Apertum, quod dicitur, pectus videat neceſſe eſt præſtantis viri, qui verum de illo iudicium velit facere: mirabiliter patratæ actiones, quibus cor obtenditur, vela ſunt, & inuolucra, ideoq; in errorem ſæpe non ſatis cautos poſſunt inducere. Vt autem nemo eſt, qui non præoptet in ſanctorum cœtum adſcripti alicuius doctrinam potiùs audire, quàm mira eiusdem videre facinora: ſic quis non malit in Dauidis ipſius cor introſpicere, & quid in intimis animi gerat penetralibus rimari, quàm ſermones tantùm eius auribus accipere? Id autem copioſè, abundanterq; præſtat Pſalterium: vt tum Regij ipſius Prophetæ, tum omnium qui in diuorum numerum ſunt collocati, nec animorum motus, nec verba, & ad Deum, & ad homines, ignota nobis eſſe poſsint. Humanus animus terrenis affectionibus pulſatus, inſtar nauiculæ ſeſe habet,

Cùm venti voluunt mare, magnaq́ ſurgunt
AEquora. Ex hac enim parte pericula eum, imminentisq́ calamitatis metus frangit, & debilitat: illinc ex præſentibus ærumnis orta ægritudo premit, & cruciat: hinc proſperioris fortunæ ſpes, quæ affulget, inflat, & extollit: illinc ex euentu, qui obtigit, feliciore ſecuritas, effrenatis quas parit cupiditatibus, quatit, & tandem funditus euertit. Eiusmodi autem nymbi, procellæ, turbines, impreſsionesq́ docent hominem pium fidenter implorare miſericordiam cœleſtem, cor in conſpectu Dei effundere, & ex
1. Reg. 1. animi ſenſu, ac dolore loqui. Nam qui in metu eſt, & periculo aliquo tempeſtatum, longè alias voces mittit, quàm qui in portu nauigat: & qui læticiam, & animi iucunditatem ex aliqua re capit, de gaudio ſuo, multò alios ſermones ſerit, quàm qui incredibili, atq́ atroci re aliqua percitus rationum ſuarum neq́ finem, neq́ modum vllum inuenire poteſt. Notum eſt autem illud Comici. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. Et Satyrici:

Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris:

Nam tum demum voces non fucatæ, ſimulatæq́
naſcuntur pectore ab imo,
cùm in vlnis, vt habet prouerbium, vndarum ſumus. Quid autem crebrius occurrit in diuino Dauidis poëmate, quàm ſeriæ, quæ ex animo proficiſcuntur, voces in omnibus rebus quæ ſolent conuertere humanas vices? Vbi verba læticiam exprimentia hilariora inuenias, quàm in

Pſal-

Pſalmis, quibus laudes diuini Numinis, & gratiarum actiones exponuntur? In ijs certè, in intimos animorum receſſus, quaſi in deliciarum quendam hortum, adeoq; cœlum ipſum inſpicientibus, pulcherrimas, quæ aperiuntur roſas, qui ſuaues animorum ſunt motus, & cogitationes de Deo, & beneficijs diuinis, intueri licet. Contrà verò, quæſo, vbi nam tandem offendas triſtiores, miſerabilioresq; voces, quàm in Pſalmis querelas expromentibus? An non, cùm legimus illos, qui habent eas querelas, ſanctis in ipſas cordis fibras, ac tantùm non mortem eorum, & orcum quendam, in quo ſint poſiti, nobis videmur introſpicere? In quibus quantum caliginis, tenebrarum, noctis, iræ diuinæ obiectu? At bona ſi quando ſpe, promiſsione aliqua diuina excitati, ijdem aluntur, in eiusmodi voces erumpunt, quales nec Apelles coloribus, nec Demoſthenes, aut Cicero aliquis claris dicendi luminibus ornata oratione exprimere potuiſſent. Conſtitutum ergo hoc ſit, proprium eſſe, & peculiare Dauidici Poëmatis: quod in eo, cum Deo quando conferunt ſermones pij, non in ore, ſed pectore linguam habent, non aliter radiantem, quàm Moſis facies ex colloquio diuino fulgore coruſcabat. Nam cum hominibus quos ſuis de rebus homines cedunt, ſermones nec tanto impetu ex abditis animi fibris erumpunt, nec ita viuunt, vigent, ardent. Atq; eam etiam ob cauſſam eiusmodi libellus eſt ſcriptum hoc Da- Exod. 34.

uidicum, vt ex eo cuiq; noſtrum petere liceat & verba, & ſententias, quas ad ſe, & res ſuas accommodet, non aliter, quàm ſi ſuas propter rationes conſignatæ ſint, & literis comprehenſæ: eæq; tales, meliores vt nec reperire, nec optare poſsis. Quod etiam eò facit, vt, ſi cui placitum ſit verba Pſalmorum, quæ congruere ſuis cum negocijs animaduertat, in precatione vſurpare, indubitanter ſtatuere queat, ſe ad ſanctam Chriſtianæ religionis albo adſcriptorum ſocietatem pertinere: cum quibus in eadem ſit naui, & eandem (vt ſic abutamur prouerbio) quam illi, cantilenam canat: idq; eò maximè, ſi mentis ardore, quo Deo plenus Dauides, Pſalmum pronunciet: quod niſi à fide imbuto, Chriſti numine commoto, & ſuppetijs Spiritus ſancti roborato animo præſtari nequaquam poteſt. Nam cum ſuperſtitione conflictantibus, ad nutum carnis viuentibus, & ad bona huius vitæ tantùm anhelantibus Pſalmi ſunt Amaracinum, quod ſetigeris ſubus acre venenum eſt, vt ille canit. Poſtremò hunc etiam vtilitatis fructum capere licet ex Pſalterio: quod ſine periculi metu tum verba æmulari, tum facta in numerum piorum relatorum imitari poſſimus: cùm Legendæ, & exemplorum libri talia ſæpenumero elinguium diuorum facta proponant: quæ imitatione exprimere non modò ſit difficile: ſed cum periculo quoq; coniunctum: niſi vnitatem Spiritus, pacis vinculo colligatam, diſſuere, & ſectam, factionemq; aliquam placeat

con-

conſtituere. At Pſalteriũ à ſanctis nos ad commu nionem, conſociationemq́; Eccleſiæ reuocat: dum docet nos in omnium temporum conuerſionibus, commutationibusq́; eandem tenere animi mentem, eiuſdem eſſe ſententiæ, itaq́; loqui, orare, & Deo gratias agere, vt omnes fecerunt beati Spiritus, qui ex hac vita in cœlum demigrarunt. Sed, quid verbis opus eſt? Si in optatis habes viuis expreſſam coloribus in parua tabella ſpectare diuinam ciuitatem, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis: Pſalterium ſumas licet in manus: In eo, ceu leuato, & nitente in ſpeculo, omnes ad Chriſtum cooptatos, adeoq́;, ſi in amicicia es cum cœleſti numine, te Ipſum, & verum illud γνῶθι σεαυτὸν, vnà cum Deo, & naturis omnibus recognoſces. Quod cùm ita ſit, agite dum omnis nobis cura, & opera in hoc ſit poſita: vt Deo ſuis pro beneficijs grati ſimus: & Pſalterij Dauidici carmina ſummo ſtudio euoluamus, diſcamus, meditemur, ac vita deniq́;, factisq́; exprimamus: vt ne quid deterius nobis accidat, quàm maioribus noſtris: qui omnibus ſuis facultatibus redemiſſent, ſi vnicum modò ijs Pſalmum rectè intelligere datum fuiſſet. At nunc beati oculi, qui vident, quod nos videmus: & aures, quæ audiunt, quæ nos audimus. Non imitemur Iudæorum in ſolitudine ingrati animi crimen, & impietatem, quibus faſtidium mouebant Manna cœleſtia: ne aut modis, illorum exemplo, peſsimis, miſerrimisq́; pereamus, & Ci-

cadæ

cadæ paulò poſt humi apud nos canant, vt dixit Steſichorus: aut certè tenebris plus quàm Aegyptiacis rurſus inuoluamur.

Quod ad commentarios hos noſtros attinet, conficiendi eorum hæc fuit occaſio. Cùm annis ſuperiorib. poſt carmine elegiaco expreſſas precationes Teſtamenti vtriusq;, Pſalterio quoq;. Dauidico (vt integrum abſoluerem argumentũ) manus admoturus eſſem: quos poteram tum temporis reperire, & veteres, & recentiores, qui largo diuinitatis hauſtu compotes, ſeu translationes, ſeu commentationes in ſcriptum Dauidicum ſuas edidiſſent, mihi aduocaui: vt laboribus eorum adiutus ſententiam Prophetæ quàm rectiſsimè, aptè quidem certè, liquidè & maximè concinnè explicarem. Quod me nõ infeliciter tentaſſe vir Clariſsimus Philippus Melanchthon teſtatus eſt in ſua, quæ extat, ad me epiſtola: delectatus (vt ipſe loquitur) & proprietate, & venuſtate. Adiumenti etiam mihi non parum attulit Chriſtophorus noſter Ampelurgus: qui paſtorem apud nos geſsit Eccleſiaſticum: & ante annos aliquot lue peſtifera extinctus eſt. Quia enim vir ille Hebraicarum literarum ſcientia, vt quiſquam alius, inſtructus erat: multos nobis obſcuros ſæpenumero & pro concionibus ſacris, & priuatim locos explanauit. Inſtitutionis quidem certè pietatis, qui eſt Pſalmus 119. diſpoſitio tota eſt illius: cui ego verba idonea, ſententiasq; accommodaui. Hoc ideo ſcribo: quod

&

& ingenui animi eſt, non diſsimulare per quem profeceris: & gratam mihi memoriam præſtandam putaui amico: quo ego virum meliorem, & Theologum magis diſertum, & experientiorem non cognoui: dignum vita longiore: ſed immortali digniorem. Factum eſt autem, vt & quæ accepiſſem auditu ab Ampelurgo, & lectione aliorum cognouiſſem, ea omnia in animaduerſionum, obſeruationumq́; libellos referrem. Qui cùm in dies ſingulos augerentur & creſcerent: temperare tandē mihi non potui, quin M. Lutheri ſeculi noſtri Theologi præſtantiſsimi (cuius etiā ex Germanico laudatio hæc Pſalterij maximam partem expreſſa eſt) Summarijs, vt ipſe appellat, adiectis, quæ collegeram meæ fidei concreditis cum diſcipulis diebus ad cultum diuinum conſecratis communicarem primùm, deinde ſæpius relegerem, adijcerem, detraherem, deſcriberem: donec tandem opus à nobis hoc Commentariorum ſcholaſticorum eſt concinnatum. Id Reuerenda pietate Ampliſsimi, Dignitate ſplendida Clariſsimi, Doctrina erudita præſtantiſsimi, Generoſa eminentia nobiliſsimi, Prudentia ciuili ornatiſsimi, Conſilio denique fideli grauiſsimi Viri, in veſtro potiſsimum nomine apparere volui: tum vt videatis, quæ in illuſtri hac Principis Electoris Auguſti ſchola prouinciali pueris, & adoleſcentibus, qui ad nos mittuntur, à nobis in rebus ad pietatem pertinentibus proponantur: tùm vt Bibliothe-

cis & veſtris, & quas ſcholis puerilibus adorna-
tis, ornamentum qualecunque ex libro noſtro
adiungeretur: tum denique, vt vterentur, frueren-
turque noſtris laboribus, ſi quibus placerent ex
ijs, qui apud vos operam ſuam præbent ſcholis
in erudienda pueritia: vel ipſi quoque ſimilia, ac
meliora etiam ad vſum primæ ætatis elabora-
rent. Non dubito autem quin munuſculum
hoc noſtrum gratum habituri, & libentibus a-
nimis accepturi ſitis. Deus & Pater Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti Eccleſiam ſuam afflictam, Impe-
ratorem, Principes Imperij, & illuſtriſsimum
potentiſsimumque inprimis Auguſtum VII. vi-
rum, eiusque ampliſsimæ expectationis illuſtrem
principem, ac Dominum Dominum Chriſtia-
num F. & vos, liberosque veſtros nobiſcum ab o-
mni periculo, & detrimento ſartos, & tectos ad
ſui nominis gloriam tueatur, & conſeruet: cui
laus ſit, honor, & decus vnà cum filio ſuo vnige-
na Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiri-
tu ſancto in æuum ſempiternum.
Amen.

*E Ludo Illuſtri Grima. Kal.
VII. M. D. LXXX.*

SI QVID IN HIS COMMENTARIIS DICTVM, SCRIPTVMVE CONTRA SACRA BIBLIA, SYMBOLA PRIMARIA, S. PATRVM NON INTERPOLATA MONVMENTA,
ac denique
AVGVSTANAM CONFESSIONEM CAROLO V. OBLATAM: INDICTVM, INSCRIPTVMQVE ESTO.

ADAMI SIBERI

IN DAVIDIS ISAEI F. PROPHETÆ, ET REgis Hebræorum Pſalterium Commentariorum Scholaſticorum

LIBER PRIMVS.

PSALMVS I.

FINIS BONORVM.

CHriſti Domini, Deiq; noſtri eſt in ea precatione, qua Parenti Cœleſti ſupplicat pro diſcipulis ſuis, neq; pro ijs ſolum, ſed etiam omnibus, qui per illorum ſermonem fidem ſibi habituri ſint: vitam æternam eſſe, ſi cognoſcant, ad ipſum, cooptati omnipotentem effectorem, procreatoremq; cœli, terræq; Patrem ſuum ſolum verum Deum eſſe, Et quem, à ſummo cœli faſtigio hominum cauſa demiſſum, terras luſtrare voluerit ille, Ieſum Chriſtum. Quod oraculum, qui ſit bonorum finis, & felicitatis, beatitudiniſq; extimum oſtendit. Philoſophi ſanè quidem digladiantur inter ſe varijs, & diſcrepantibus opinionũ diſſenſionibus, verborumq; concertationibus: quid ſummum ſit, & rerum expetendarum vltimum, ad quod omnia referri oporteat. Alius enim voluptatum illud putat eſſe, nullo dolorum, moleſtiarum, affectuumq; interuentu, ſuppeditationem: alius con-

Ioh. 17.

A gruentiam

gruentiam vitæ cum natura: alius virtutis, honeſti, ac decori dignitatem: alius commodorum corporis, diuitiarum, opum, honorumq́ affluentiam: alius ex inſpectione ſcientiarum ſecuritatem, tranquillitatéq́ animi: alius deniq́ aſſenſionis retentionem, aut, ſublato delectu, ac diſcrimine eorum, quæ extant in natura vniuerſa, exæquationem. At verò Chriſtus pronunciat, vt ſummi boni, hoc eſt, felicis, beatæ, & perpetuæ vitæ compotes fiant homines, ſola illis contingere cognitione, cuius immenſa poteſtate omnia continentur, Dei Patris, & Filij ipſius, quem ad Compedibus, vinculisq́ genus mortalium Satanæ, peccati, necis, & exitij ſempiterni liberandum, humanam formam induere, & ſuis cruciatibus, ac morte omnium nomine ſatis ſibi facere voluit. At enimuero ad hanc cognitionem humana Ratio, cuius oculi, propter naturæ incolumis ab integritate primigena prolapſionem, in ignorantiæ quaſi cœnum deloſsi ſunt, mentis obtutu penetrare non poteſt. Quare motus, quæ nullis ſpacijs includitur, bonitate, &, nullis quæ finibus terminatur, clementia Parens æternus, cœlitus voce edita, de Naturæ ſuæ eſſentia, voluntatisq́ affectione in homines beneficio S. Spiritus (qui à Patre & Filio in dicto Chriſti particula SOLVS, quæ fictitia tantum commentitiaq́ numina excludit, non ſeparatur: vt ſine cuius opera in Patrem, & Filium nemo queat credere) verbum, doctrinamq́ ſuam nobiſcum communicat. At quem vero finem? Eum ſcilicet: vt in ipſo agnito eo, & pio, religioſoq́ cultu celebrato, cum in hac vita mortali, tum in ſeculo æterno acquieſcentes, amiſſæ beatitudinis poſſeſsionem recuperemus. Quo munere cùm maius hominum generi tribui à cœleſti natura nullum poſsit: hortatur

tur nos Propheta Regius primo hoc Pſalmo (qui clauis veluti officio ſungitur, & procemium eſt totius operis) vt librorum diuinorum voluminibus ad omnium ſeculorum memoriam conſignatæ doctrinæ ſanctè, & diligenter operam demus: in eius meditatione aſsiduè verſemur, ac ſedulò illam, ſtudioſeq; diſcamus: atq; id ſane non exigui temporis ſpacio: ſed dies, atq; noctes, adeoq; momentis ſingulis. Hoc ſi fecerimus, ad felicitatem nobis, beatitudinemq; nihil defuturum confirmat: & ſic quidem, vt cuncta & dicta, & facta noſtra inuitis, qui nos oppugnant, omnibus, proſperum euentum habitura ſint: non aliter, atq; arbor, quæ ad aquam ſata æſtus aduentum non ſentit, ſed frondoſa folijs, ſecura ſiccitatis anni, fructum ſuum edere non intermittit: cùm contrà eorum, qui contemnunt verbum, & doctrinam diuinitus traditam ducunt pro nihilo: longè diuerſa futura ſit conditio. Fore enim, tanta vt eis, & tam præſtantia bona adeò non contingant: vt etiam pulueris inſtar, rapidis ludibria ventis diſsipati, funditus ſint extirpandi. Videntur ſanè & ſibi, & alijs impij quantiuis eſſe precij: ideoq; authoritatem ſuam pondus habere in diuina ciuitate, quæ eſt Eccleſia, poſtulant: ſed re vera paleæ veluti ſunt cum omnibus ſuis ſententijs, operationibusq; coram Deo, & viliſsimæ, abiectiſsimæq; quiſquiliæ: in miſeriam maximam, & ſempiternam iræ cœleſtis impetu ex cœtu piorum præcipites exturbandi.

I.

BEatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Propoſitio ἀποφατικὴ κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου per contrarij euerſionem: Omnium bonorum, ſecretis malis cunctis, complexione expleta, in hac quidem vita ſpe, ſutura verò ipſa re cumulatus, florens, & beatus homo: qui nec in impiorũ conſilium veniendo, ſententias nugatorias, & decreta peſtifera amplectitur: nec viam peccatorum inſiſtendo, mores, & ſtudia conſcelerata ſequitur: nec, cum irriſoribus deniq; animo, voluntateq; congruendo, doctrinam commentitiam aut promulgat, & in alios quaſi diffundit ipſe: aut propagantibus eam, dilatantibusq; applaudit.

Beatus eſt ter, & ampliùs, res impias
Nec cogitat qui, nec facit, nec diſſerit:

Matth. 16. Hunc verſum explicant, & explanant illa. Cauete fermentum
Marc. 8. Phariſæorum (hypocriſin) Sadducæorum (diuinæ prouidentiæ
Luc. 12. obtrectionem), & Herodis (ſimulationem) Et, Qui contrectat
Syrach. 13. picem, ab ea contaminatur: Et, qui communicat (rem habet) cum ſuperbo, induit ſuperbiã (fit ſimilis ſuperbo: ſimilis ſuperbo perhibebitur) Bonos mores colloquia corrumpunt mala. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Mores bonos congreſſus
1. Cor. 15. inquinat mali. Paulus ex Menandro. κακοῖς δ' ὁμιλῶν καὶ κακὸς πάντως ἔσῃ. Socius malorum & ipſe redderis malus. Gregorius Nazianzenus. ἐκφώνησις, quæ ineſt in hoc verſu, tacita, innuit: paucos eſſe, qui non verſentur in impiorum conſilijs, & viam improborum non inſiſtant, nec in ſcurrarum ſede ſedeant. Quid ita? Quia ſibi quiſq; placet: &, quas opinionis errore apud animum informauit in cœlum irrumpendi rationes, conſilia, vias, & cathedras appellitant. Hinc fit, Sanctorum in terris plena vt ſint omnia: Solus Chriſtus, & qui cultum eius, religionemq; adſciuerunt, ſint peccatores: Satana, &, qui adumbrata religione nituntur, florentibus. Ex Hagnone Auguſtino. Sic enim placet nobis appellare doctrinæ cœleſtis hoc ſeculo ἐπισκευαστὴν: quem pro Martino Auguſtinum cooptatum in ſodalitium ſuum ſolitarij hypocritæ nominarunt.

narunt : Cæterum ſermo de viris complectitur etiam mulieres : Fœminæ enim caput vir, inquit Apoſtolus. καὶ μία φύσις, καὶ ἀρετὴ ἀνδρὸς, καὶ γυναικὸς. *Vna & natura, & virtus viri, & mulieris, Baſilius.* 1. Cor. 11.

Abire, *ambulare, ingredi,* πορεύεσθαι *eſt,* κατὰ μεταφορὰν, *vitam tractare, & in re aliqua verſari, ac multum eſſe, facere cum aliquo : ſententijs coniungi, iudicijs, opinionibusq́; ijſdem ſtare. In lege eius noluerunt ambulare. Autor. Qui ingreditur,* πορευόμενος, *ſine macula. Idem, Nihil damnationis eſt ijs, qui non ſecundum carnem ambulant.* κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν *(corporis arbitrio parent) Paulus Apoſtolus.* Pſal. 15. Pſal. 78. Rom. 8.

Conſilium, ἡ βουλὴ, *agitationes ſunt mentis, & doctrinæ, decretaq́;, quibus impij vel conſcientia peccatorum exagitatis animis conſulere, medicinamq́; facere, vel etiam Chriſto deditos, qui ſalutem, beatitudinemq́; omnem in clementia diuina conſtituunt, conantur euertere.*

Impij, ἀσεβεῖς, *ſunt, qui offenſione excepta ex Dei curatione, ac gubernatione, cogitant cum animis ſuis non eſſe numen cæleſte : Sed* αὐτομάτως, καὶ ἀτάκτως *ferri, & temerè, ac fortuitò omnia fieri : aut, ſi ex mundi creatione mentem eſſe æternam, quæ moderetur vniuerſa, ſecum ſtatuere coguntur : doctrinæ de Dei natura, & voluntate noticiam non habent : verùm quia inquies tamen, & fluctuans illorum animus, qui turbidi maris inſtar quieſcere non poteſt, æternam maieſtatem demereri cupit : loco conſiſtendi non reperto, erroris opinione nunc hos, nunc illos ſibi cultus Numinis diuini confingunt, defendunt, & diſſentientes ab ipſis, non ſolum impietatis damnatos diris defigunt : Sed infeſti ferro quoq; in eos, flammisq́; inferuntur. Non eſt autem minoris impietatis Deum fingere, quàm negare : & non ex ipſius profeſſione, ſed ex animi ſui voluntate metiri, vt loquitur Hilarius. Tales ſunt Iudæi, Mahometani, Antichriſticolæ, adeoq; Idolorum cultui dediti, & ſuperſtitionibus, nugatorijsq; ceremonijs illigati vniuerſi.* Eſa. 67.

Acto. 18. Via, ὁδὸς, *tum doctrina eſt, vt: Erat inſtitutus in via Domini: tum doctrinæ effectus, quæ eſt ratio viuendi, ſeu actio, & conſiliorum explicatio: præterea leges, inſtituta, mores, conſuetudines.* ὁδὸς, ὁ βίος εἴρηται διὰ τὴν πρὸς τὸ τέλος ἑκάστου τῶν γεννηθέντων ἔπειξιν. *Via, vita dicitur, propter eorum, quæ ortum habent, ad finem feſtinationem. Baſilius. In hac via impij ſanctis mortalibus tum longe præ-*

Hiob. 39. *ſtant: ſunt enim multò pulchriores alæ ſtruthiocameli, quàm pennæ Ciconiæ: tum feliciores ſunt: quod maximam partem ſcelerum, & flagitiorum, quibus in Deum contumelioſi, in homines verò ſunt iniurioſi, impunè ferunt.*

Peccatores, ἁμαρτωλοί, *qui, ad quam omnes natura ferimur, rationem viuendi turpem ſequuntur, ac vitioſam,* καὶ ἀτάκτως περιπατοῦντες, *&, prauis cupiditatibus indulgentes, non ipſi modò ad bonam frugem ſeriò nunquam ſeſe recipiunt: Sed etiam alijs exemplis ſceleratis nocent, offendendo Deo addicti: & pleni omnis iniuſticiæ, ſtupri, peruerſitatis, auariciæ, maliciæ: referti inuidia, cæde, iurgio, fraudulentia, nequicia, & quæ ſunt eiuſdem generis peccata, & facinora: de qui-*

Rom. 1. *bus accuſat humanum genus vniuerſum Apoſtolus.*

Stare, ἱστάναι, *pertinaciam ſignificat voluntatis obduratæ, & Dei vocibus aures occludentis,* καὶ ἐγχρονιζούσης τῇ ὁδῷ ἁμαρτωλῶν, *in via peccatorum ſubſiſtentis, vt loquitur Baſilius.*

Sedes, καθέδρα, ἑδραίαν, ἢ μονιμὸν ἐν τῇ κρίσει τῆς κακίας διατριβὴν, *ſtabilem, & firmam in ſententia peruerſa commorationem notat, vt idem interpretatur Baſilius.*

Peſtilentes, λοιμοὶ *quaſi* λιμοὶ, *ſordidi, inquinati, futiles, ludentes, deriſores,* ἐμπαῖκται, *intelliguntur* κατὰ τὰς

2. Pet. 3. ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι: *qui, ad omnem rem bonam inepti, deleuerunt ex animo vniuerſam de Deo aſſenſionem: ideoq; & ipſi derident, & contemnunt doctrinam cæleſtem, & ſuis obſequentes cupiditatibus, ſeq; in omnem impieta-*

tem ingurgitantes, peſtiferis opinionibus corrumpunt alios: & doloſa lingua, ac ſpecie doctrinæ ſincerioris errores ſpargunt, & venena: atq; luis inſtar, horribiles ſtrages faciunt. Tales fuerunt omnibus ſeculis prudentiæ diuinæ calumniatores, & Epicurei: & nunc temporis, qui ſapientiæ profeſſione tumidi tantùm non caput inter nubila condunt.

Sedere, καθίζειν, *officij ſignificationem habet. Sedere in Cathedra, eſt magiſtratum agere, & doctorem, iuxta illud Chriſti. In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi. In verbis abijt, ſedit, ſtetit* ὑπόζευξις *eſt, vt annotat Caſſiodorus. Alijs placet* ἐπαύξησις, *incrementum. Hic conſiderentur illa Auguſtini: Vbi Cathedra peſtilentiæ eſt, non poteſt iudicium non eſſe iniquum: quamuis quædam ſibi applicent (in ea ſedentes) velut velamina, quibus impietatem contegant: & ſicut mel veneno admiſcetur, per quod lateat: ita legi Diaboli quædam iuſta admiſcent, & veritatis nomen applicant: Quæſtione C X veteris, & noui teſtamenti.* Matth. 23.

II.

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Ἀνθορισμὸς, *quæ eſt Pſalmi Propoſitio* καταφατικὴ ἐννοιοματικὴ, *extructa nimirum ex actionibus. Non enim tantùm vitanda ſunt mala: ſed etiam bona perſequenda.* ὅτι ἀρχὴ πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν καλῶν, ἡ ἀναχώρησις τῶν κακῶν, *Principium adeptionis bonorum, vitatio malorum, inquit Baſilius, iuxta illud. Recede à malo, & fac bene. Sed cuius animus, delicias minimè faciens in proprijs cogitationibus, in lege, quam mente dies, & noctes retractat, totus eſt: ſed qui, ad doctrinam cœleſtem diſcendam, ſtudium, curas, cogitationesq; omnes conferens, lege diuina nihil habet antiquius: nec* Pſal. 17.

temporis abire partem vel minimam rebus tam ſecundis, quàm triſtibus patitur: quin de verbo Dei commentetur, meditetur, ſecum loquatur: & ſic quidem, vt vnum quaſi cum numine æterno effectus, quod veri eſt amoris, ſolum Deum cogitet, ſolum loquatur, ſolum viuat, atq; ad poſtremum animo, & corpore in Deo, & cum Deo ſit totus: nullum periculum, nullum diſcrimen, pro gloria optimi, & benigniſsimi Patris recuſans adire. Opponit legem Domini conſilio impiorum, vijs peccatorum, & cathedræ deriſorum, ſecundum illud: Fruſtra me venerantur humanorum præceptorum doctrinam docentes.

Eſa. 29. Matth. 15.

Qui nobis Dominus, Græcis κύριος, *Hebræis Iehoua eſt, ſeu Iohua. Hoc nomen rerum omnium moderatori, & principi Deo poſitum affirmant, qui ſanctæ linguæ ſcientiam profitentur, à vi res omnes procreante, & continente: qua & per ſe exiſtat, authoremq́; ſui ſe tantùm nouerit ipſum,* ὅλον ἔχων ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυόμενον, *vniuerſum in ſe ipſo, quod neq; initium, neq; finem habet, eſſe comprehendens, vt inquit Theologus, & condita à ſe poteſtate immenſa regat, & moderetur omnia: qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Deus indiuiduè partitus, diuiduèq́; coniunctus (*διαιρεῖται γὰρ ἀδιαιρέτως, καὶ συνάπτεται διηρημένως*) à quo, per quem, & propter quem ſunt omnia: cui laus, honor, & gloria, in ſecula infinita.*

Lex, νόμος κυρίου, *verbum Dei hoc loco, & vniuerſam doctrinam cœleſtem ſignificat. Fieri enim non poteſt, vt qui præcepta tantùm à Moſe prodita cognouit, ſtatuere poſsit, Deum ſibi propitium eſſe: niſi doctrinam etiam de Chriſto, & gratuita condonatione peccatorũ didicèrit. Animaduertendum eſt autem mentionem fieri à Propheta legis tantùm Domini: qua* ἔγγραφος, *in literarum monumenta relata, doctrina, quam os diuinum locutum eſt, ſignificatur: non etiam* ἀγράφων διδασκαλιῶν, καὶ ἐθῶν, *quæ ſunt* παραδόσεις, *inſtituta priſca, & per manus traditæ conſuetudines maiorum: quarum titulo nunc,*

integu-

integumentis quaſi quibusdam velatæ, multæ deprauatæ rece-ptiones, adeoq; ſomnia interdum, Hypocritarum opera, vendita-re, & verbo cœleſti, quod ambiguum ſit, flexibile, imperfectum, minusq; explicatum, modò non anteponere ſeſe confidenter ſuſti-nent: cùm tamen certum ſit, legitimas obſeruationes exiſtiman-das eas eſſe, quæ extant in literis diuino inſtinctu conſignatis: traditis autem à maioribus inſtitutionibus fruſtra coli Deum, vt pronunciauit Chriſtus: cui non ineptè adiunxeris illud Tertul-liani. Non recipio, quod extra ſcripturam de tuo inſers. Matth. 15.

Voluntas, θέλημα, *ſuauis eſt motus cordis, qui, nec præmia ſpectans, nec pertimeſcens pœnas, dulciter in lege Dei, eiusq; verbo propter authorem ipſum acquieſcit. Hanc volun-tatem quaſi liberali cauſa manu aſſerere quidem homini magno ſtudio conantur à ſchola nomē ſortiti Theologi: qui habilitatis ratione quam etiam vim patientem, ſeu ſubſtratam appelles li-cet, qualiscunq;, quæ poſt exitioſum primi parentis lapſum* ἐν τῷ ἐρειπίῳ, *& rudeto veluti naturæ humanæ diuerſum quid-dam eſt, à natura arborum, & beſtiarum, vt rapi nimirum poſſit à Spiritu ſancto, & gratia diuina imbui:* τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον καὶ τὸ αὐτοδέσποτον, *voluntatis motum, & aſſentiendi facultatem ſui iuris (quæ* ἀρχὴ καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας, *fons eſt & radix peccati) ex Philoſophorum ſcho-lis contra Apoſtoli interdictum inuectum in Eccleſiam, ita lau-dibus extollunt, & prædicationibus, vt tantùm non in diuino* Coll. 2. *ſolio collocent: ſed re vera tamen nullus eam habet omnium mortalium. Figmentum enim (*διάνοια, *ſenſus, cogitatio, cona-tus, ſtudia, materia, indoles) humani cordis malum eſt (*ἔγκει-ται ἐπὶ τὰ πονηρὰ*) ab adoleſcentia ſua, inquit in Originibus* Gen. 15. *Moſis Deus ipſe. Ex quo fit vt propter* τὸ κακὸν σύντροφον, καὶ συναυξάνον, *nobiſcum nutritum, & concretum malum, vt loquitur Macarius, nec cogitationem earum rerum, quæ fa-ciunt ad ſalutem, capere aut approbare noſtra mens, nec ſpon-te ſe, ſuisq; viribus voluntas ad Deum conuertere: multò mi-*

nus agere poſſit, quod in vera laude ponendum ſit: vt verum nimirùm maneat illud Danielis: Tibi Domine iuſticia, nobis confuſio, & infamia. Habet verò voluntatis huius laudem ſolus autor vitæ, & ſalutis noſtræ Ieſus Chriſtus. Sic enim de ſe ipſe: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt exequar voluntatem tuam Deus meus: volui legem tuam in medio cordis mei. A Chriſto verò communicatur ea voluntas propter agnitionem, & ſenſum acrem peccati, legis quaſi aratro proſciſſis, & eiuſdem malleo contuſis, & contritis in officina Spiritus Sancti omnibus: qui, audita ſuauiſſima voce Euangelij (quæ teſtatur credentes Filio Dei omni ſceleris contagione liberatos eſſe) illuſtrantur à Spiritu Sancto: vt, miſeria, ingenitáq; corruptela cognita, deponentes omnem temeritatem, & propriarum virium confidentiam, tota mentis fiducia in Dei interminatam clementiam recumbant: &, primitias Spiritus adepti, alacri deinde, liberoq; animo lege diuina delectentur: & accincti, promtiq; de præſcriptionibus cœleſtibus, quantum fieri in hac infirmitate naturæ poteſt, vitam moresq; inſtituere conentur. Nam extra Chriſtum odit homo vetus legem, nec quicquam boni agit: aut ſi quid agit, vel ſimulatè agit, vel amore ſui facit omnia, inquit Hagnon. Ad quam ſententiam pertinet illud Arnobij. Quod bonum facit homo, ad honorem ſuum facit: quod autem bene credit, ad honorem pertinet Dei.

Dan. 9.

Pſal. 40.

Meditatio, μελέτη legis ſita eſt in diuinæ opis humili prece aſſidua imploratione: ſedula verborum diuinorum auditione, & lectione: diligenti obſeruatione, ac collatione ſcripturarum, & teſtimoniorum Eccleſiæ ſyncerioris: ſollicita deniq; eorum, quæ præcipiuntur, ſtudijs vitæ ſanctæ, & innocentis in rebus ſecundis, & aduerſis expreſſione. Deus ſciri vult omnia literarum ſuarum myſteria. Quid vicini tui agant, non te latere vis: quid loquantur extranei, quid iudex ciuitatis ſenſerit, quid noui conſtituerit Imperator, quid agant orientales, quid occidentales, quid ruſtici per omnia rura querantur:

Iſta & ſimilia ſcrutaris: venis ad mandata Dei, & tolles te, & dices. Nihil melius niſi ſimpliciter viuere? Niſi quis didicerit, inquit Spiritus Sanctus, iuſticiam ſuper terram: veritatem non faciet. Arnobius. Meditatio legis eſt non ſolùm in legendis ſcripturis: ſed etiam in his, quæ ſcripta ſunt, faciendis. Hieronymus, ſeu quis autor alius commentariorum, qui extant in Pſalterium. Repetit eandem ſententiam Leo Magnus.

III.

Et erit tanq; lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur.

Ἐργασία, ſeu ratio propoſitionis ἀπὸ τῶν ἐκβησομένων expolita, & illuſtrata εἰκασίᾳ, ſimilitudine. Talis eſt ſimilis arbori prope flumina conſitæ: quæ humore è perennibus aquis hauſto radices altiſſimas agit: nec ardore ſolis exuritur, nec turbine, aut vlla tempeſtate conuellitur: vndiq; veſtita frondibus, atq; fructibus ſalutaribus onuſta. Folia quidem certè eius nunquam decident: & vniuerſa, quæ de præſcriptione doctrinæ cœlitus enunciatæ cogitabit, loquetur, faciet, proſperos ſucceſſus, & exitus habebunt, greſſus eius firmante Domino, Cui vitæ illius via grata eſt, & accepta. Similitudine hac Hieremias quoq; vtitur. & : Iuſtus vt palma florebit, inquit Propheta noſter. Vir quidem pius conſitus, eſt veluti palma, in terra ſabuloſa, nitroſaq;, hoc eſt, homines inter impios, & conſceleratos, adeoq; noxiorum dæmonum turbam, vitam agere

Pſal. 37. Hier. 17. Pſal. 92.

Ioha. 4. *agere cogitur: verùm rigatur tamen idem ſcaturiente ad vitam æternam, fonte doctrinæ cœleſtis: & in luctatione, ac certamine, contra ſuos, qui iidem hoſtes Dei ſunt, aduerſarios, Spiritus Sancti beneficio recreatus ſemper viget, & floret: neq; vlla ærumna eſt, & calamitatis impreßio tanta, quam palmæ inſtar (cuius natura ea eſt, vt luctetur contra pondera, & curuetur in diuerſum) non inuicta animi magnitudine ſuſtinere poßit. Porrò autem nulla eſt natura in tota vniuerſitate rerum, quæ neſciat, non ſibi, ſed alijs ſe conditam eſſe: ideoq; nec ſibi ſol lucet, nec aqua fluit ſibi.*

Vt nec vos vobis vellera fertis oues,

Et vos non vobis mellificatis apes:

Sed ſingulæ res eas de ſe commoditates præbent alijs: quas præbere eas procreator mundi voluit. Hunc ordinem conſtitutum diuinitus ne violet, diligentiſsimè cauet vir ſanctus: ac propterea, nihil minus quærens, quàm commoditates ſuas, occupatus eſt in ijs, quæ muneris, & officij ſui ſunt, pro vt locus tulerit, & occaſio: vt nulli noceat, proſit omnibus: cum contrà dæmon nefarius, & homines impij ad ſua tantum commoda inflammati rapiantur: & cum defraudatione aliorum ad ſe conuertant, & ad propriam vtilitatem omnia referant.

Lignum, τὸ ξύλον, *arbor eſt, loquendi more Hebraico vbi quæ ſacris in ſcripturis obuio. Loquitur autem vates de Palma, cuius folia non decidere, ſed coma florere illam ſempiterna (vnde Græci* φοίνικα *arborem* ἀείφυλλον *vocant) et-*
lib.16. cap. 20. *iam Plinius docet: fructum verò eius triennio matureſcere, ſemperq; arbori pomum eſſe, ſubnaſcente alio. Atq; ideo rectè*
lib. 13. cap. 4. *quæ eſt* μήτηρ καὶ συμπεράίωσις καὶ στεφάνη τῶν ἀρετῶν, *mater, complementum, & faſtigium virtutum omnium, vt eſt apud Athanaſium, Fides ei comparatur: cum radix illius ſit miſericordia, fauor, & gratia diuina.*

Plantatum, πεφυτευμένον, *participium ad regenerationem pertinet, ſignificans ortum iteratum, & ſatum diuinum.*

num.' Quam enim plantam pater cœleſtis non plantat, extirpabitur, inquit Chriſtus. Matth. 15.

Folium φύλλον hoc loco doctrinam pij, hoc eſt, verbum Domini ſignificat, quod, nulla vi, vetuſtateq́; conſumtum, manet in æternum: cùm contrà ſententiæ, doctrinæq́; impiorum obſcurentur, & tandem euaneſcant: Quando eritis veluti quercus deciduis folijs. Eſaias. Eſa. 1.

Fructus, κάρπος, euentus ſunt & ſucceſſus, actiones item, operationesq́; præclaræ, demonſtrationesq́; virtutum. Non poteſt enim non arbor bona fructus bonos edere: licet non ſemper in oculos hominum incurrunt. Et eſt quidem ſanè vita piorum tum telis nequam dæmonis, tum malorum hominum iniurijs momentis ſingulis propoſita: ac fit non rarò, vt principia actionum viri ſancti magna cum difficultate ſint coniuncta, & conſilijs rerum exitus minimè reſpondeant: verùm ad extremum tamen fine læto, & felici ea, quæ ad Dei inſtituit gloriam, terminantur: itaq; cum doctrina, exemploq́; ad pietatem, cultumq́; Dei multos excitat, ſuiq́; ſimiles reddit: tum omnia ei vertunt in bonum: etiam ea, quæ detrimentum alijs, & perniciem afferre ſolent: quia enim in quo ſe, ſuaq́; abdidit cuncta, excubat pro ipſo, & propugnat rerum omnium moderator, & princeps Deus: nihil mali, quo euertatur, & incommodi ad illum adſpirare poteſt. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias omnia mandata eius: benedictus (felix) eris in vrbe: benedictus in agro (ruri) benedictus fructus ventris (vteri) tui, & fructus terræ tuæ, pecoris, armentorum. Moſes. Deut. 28.

IIII.

Non ſic impij non ſic: ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Αντίθεσις

Ἀντίθεσις, & ipſa ſimilitudine, ſed priori oppoſita, ornata. Si enim de aliquo bono ſermo eſt: res poſtulat, contrarium quoq; boni recenſere, inquit Tertullianus. Vt autem vir pius conſertur arbori frugiferæ: ſic improbus pulueri comparatur. At verò qui nec in Dei verbum reſpiciunt, nec diuina voluntate actiones ſuas gubernant: ſed de ventre, & Mammona ſuo dies, & noctes cogitant: palearum in modum, humore ſalutari Spiritus ſancti deſtituti, vnà cum doctrina, actionibus, gloria, honore, & vniuerſa potentia diſsipabuntur. Po-
Pſal. 83. *ne eos ſicut ſtipulam coram vento. Autor. Erunt ſicut paleæ an-*
Hiob. 21. *te faciem venti, & ſicut fauilla, quam diſpergit turbo. Hiobus.*
Eſa. 17. *Rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo co-*
Lucæ 3. *ram tempeſtate. Eſaias. Paleam igni cremabit inextincto. Lucas.*

Puluis, ὁ χνοῦς, *ſeu gluma, & palea, vt quibusdam interpretari placet, mobilitatem, leuitatem, inconſtantiamq; notat impiorum: quemadmodum etiam ventus,* ἄνεμος, *tum mentem anxiam, ac pœnæ metu ſollicitam ſignificat, ac ſæpius diſsidentem à ſe ipſa:* τὸ γὰρ κακὸν οὐ τῷ ἀγαθῷ ἐναντίον ἐστὶν μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ ἑαυτῷ: *Non enim bono tantùm, ſed ſibi ipſi quoq; malum aduerſatur, vt loquitur Baſilius:*
Gen. 4. *& notæ ſunt diræ in Cainum: Vagus, & profugus eris omnibus diebus vitæ tuæ: tum doctrinas hominum, quæ animos conſiſtere, & certi aliquid ſtatuere de miſericordia Dei minimè*
Eph. 4. *patiuntur. quare etiam Apoſtolus, ne fluctuemus ac circumferamur, monet, omni vento doctrinæ, hominum verſutia, qua nos malicioſè ad fallendum aggrediuntur:* φυτὸν γὰρ μεταφερόμενον συνεχῶς, κάρπον οὐ ποιεῖ, *quæ enim ſæpius transfertur arbor, fructus non edit, inquit Euagrius. Quæ in græcis eſt geminatio negationis,* τοῦ ἐπιῤῥήματος ἀρνήσεως, *eam Hebræi non agnoſcunt, quemadmodum etiam* τὸ ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, *à facie terræ. Impij puluis & paleæ. Prouerbium.*

Ideo

V.

Ideo non reſurgent impij in iudicio: neq; peccatores in conſilio iuſtorum.

ἑρμηνεία, interpretatio. Hinc fit, vt nec in iudicio conſiſtant impij: neq; in cœtu, concilioq́; ſanctorum locum habeant peccatores, agendi in ruinam perpetuam. In iudicium adducuntur, de quorum re agitur: vt pronuncietur de ijs ſententia: at impij iam iudicati ſunt, & damnati, quod vnigenæ Dei Filij nomini fidem non adiunxerunt. Ioh. 3.

Reſurgere, ἀνίσασθαι, *idem eſt, quod alibi dicitur: Stare cum Deo, & permanere ante oculos eius: ſtare in loco* Pſal. 5. 18. *ſancto, hoc eſt, munus, officiumq́; docendi adminiſtrare, & populi Dei doctorem gerere: id quod vox etiam, iudicium, denotat, vt, Iudicabit in nationibus. Iudicabit orbem terræ in æ-* Pſal. 110. *quitate, & populos in veritate. Innuit vtrumq; vates regius:* 96. *primùm impios, licet non rarò illuſtres ſunt, & verò columnæ quaſi domus Dei habentur: re tamen vera munus, & officium erudiendi alios in cœtu Sanctorum non habituros: ſed futurum potiùs, tum & ipſi vt extirpentur, & epiſcopatus illorum accipiant alij: tum vt doctrina, quam profitentur, funditus deleatur: id quod Iudæorum, & hoſtium Eccleſiæ, ac ſeceſſorum, & transfugarum, quos ſolemus appellare hæreticos, hiſtoriæ teſtantur: deinde extremo die, cùm læti poſtliminio in vitam reuocatis mortuis in nube ſerena*

Adueniens Chriſtus vitas, & crimina quæret,
Et ſpectante polo reddet ſua præmia cuiq;:

eoſdem, à patriciatu quaſi, & conſeſſu ſanctorum ſecluſos, procul ad cæcas inferorum tenebras amandatum iri ſupplicijs mactandos ſempiternis. Si quis in me non manſerit: mittetur foras (proijcietur extrà) ſicut palmes, (ſarmentum) & areſcet: Iohan. 15

& colli-

& colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit (deflagrabit) Chriſtus. Qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, pœnas luent, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria fortitudinis eius (glorioſa potentia) Paulus.

ij. Theſſ. j.

Ibit ad Orcum,
Inq́; picis nymbos, & flumina ſulphuris atri
Turba nocens, ſonteſq́; exoluet corpore pœnas:
Hîc vbi deformes animas, deformia ſemper
Corpora perpetuus ſine lumine paſcitur ignis,

vt canunt ex recentioribus quidam: quorum ſanè, non modò veterum, verſibus libenter facimus, vt noſtra quaſi emblematis quibuſdam interpuncta diſtinguamus: & commendabiliora reddamus adoleſcentibus. Non enim ij ſumus: qui de præclaris aliorum (quamuis in aduerſariorum videantur verſari caſtris) laboribus minimè candidè faciamus iudicium: aut non prorſus dictis male, minus ieiuno animo obtrectemus. Nam Philoſophorum, & vatum gentilium (quod nunc videmus quibuſdam placere) ſententias. & autoritates nihil, aut parum certè moramur: ne τὸ φῶς ἡλίῳ διανίζειν, lumen ſoli admouere: & in tenebris videndi gratia lichnum extinctum inferre voluiſſe videamur. De incommoda Origenis, & aliorum opinione, quam hauſiſſe exiſtimantur ex hoc Prophetæ loco, conſule Epiphanium.

VI.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.

Ratio ἐπιφωνηματική, quæ eſt concluſio. Deus enim

Quem non obſcurant quæcunq; ex parte tenebræ,
Nec celantur ei, quæcunq; obſcura geruntur,

eorum qui verbo cœleſti freti ſe, ſuaq́; omnia bonitati ipſius committunt, & in miſericordia eius, & clementia, fiducia meriti, & ſanguinis Ieſu Chriſti acquieſcunt, probat viam,

am ſtudia, & actiones: eosq́; habet cariſſimos. In impios verò, eorum doctrina, inſtitutis, & moribus improbatis, & ad inferos relegatis, igne vltore vindicabit. Nunc quidem veram religionem ob oculos qui propoſitam non habent, more lauri virentis florent, vigent, valentq́;: neq; enim humanis laborib. agitantur, neq; cum cæteris clades patiuntur. Sed neq; torqueamus nos propterea, neq; illis fortunam ipſorũ inuideamus: verum in Deum, & Chriſtum rationes noſtras reclinemus: qui in lubrico quos collocauit, in exitium deiectis impijs, rem eſt transacturus. Vocat autem Propheta viam non Iudæorum, Pontificum, Solitariorum, Flaminum, ſed iuſtorum. Non eſt enim neq; Iudæus, neq; Græcus, non eſt neq; ſeruus, neq; liber, non eſt neq; mas neq; fœmina: ſed omnes idem ſunt in Chriſto Ieſu, Hagnon.

Noſſe Dei ſuos, τὸ γινώσκειν, curare eſt, in amoribus habere, tueri, defendere. Hunc verſum explicant illa: Dextras vias nouit Deus: ſiniſtræ ſunt peruerſæ. Salomon. Non noui vos. Chriſtus. Nouit Dominus, qui ſunt ſui. Paulus. Et: vt ſcoriam deles omnes terrarum impios. Autor. Omnis arbor bonum fructum non ferens, excinditur, & in ignem conijcitur. Chriſtus. εὐαγέων πάτρη οἶδε δικαίων: δυσθήνων γενεὴ προθέλυμνος ὀλεῖται, Apollinarius. Prouer. 4. Matth. 15. 2. Timo. 2. Pſal. 119. Matth. 5.

Vias bonorum lætus agnoſcit Deus:
At impiorum pronum iter delebitur. Paulinus.

Omnes viæ impiorum tenebroſæ ſunt, ſicut dicit Salomon: piorum autem clariſſimæ, duce Chriſto Domino noſtro. Auguſtinus: quem vide epiſtola ad Valentinum. Cæterum beatus iſte, hoc quem Pſalmo deſcribit Dauides, eſt ſolus Chriſtus: cuius beneficio vt iuſticia nunc eſt: ſic futura noſtra beatitudo erit παθητικὴ potiùs, quàm ἐνεργητική, Deo exiſtente omnia in omnibus: vt recte annotauit Stapulenſis. Epiſt. 47.

PSALMVS II.

CHRISTVS REX SIONIVS.

PRimum humani generis parentem, quem Deus imaginem, ac ſimilitudinem ſui ipſius referre in terris voluerat, nequam Dæmonis inſidijs in fraudem impulſum auertiſſe ſeſe ſponte à conditore ſuo notum eſt ex literis, quæ ſacræ vt ſunt, ſic iure etiam appellantur. Cum autem ab incolumitate naturæ in maximas, & perpetuas miſerias prolapſus, ſub peccati, Mortis, Satanæq́ ditionem cecidiſſet: non poterat ſtudio, & induſtria ſua voluntatem rurſus ad Dei nutum aggregare: non poterat opibus proprijs ad ſummum bonum, ad quod conditus erat, aſpirare. Quare miſertus calamitatis, & miſeriæ illius Pater cœleſtis ſtatim promiſsionem edidit: qua, è morte reuocato, & ex Orci quaſi faucibus erepto, reſtitutionem in integrum eſt pollicitus. Ea ſic habet. Ponam inimicicias inter te, & mulierem, interq́ tuum, & illius ſemen: vt illud tibi caput conterat: tu verò eius mordeas calcaneum. Hac promiſsione Deus regnum Filij ſui, abdicantis quaſi maieſtate cœleſti, & ad mortem offerentis ſeſe, vt vniuerſum orbem terrarum expiaret, & in diuinam gratiam reſtitueret, excitatum oppoſuit tyrannidi Diaboli: in quam arroganti mentis ſuperbia inductus contra Dominatoris rerum omnium imperium in mundi ipſius molitione inuaſerat. Quos inter quòd bellum eſt, cui ante, cœli, & terræ deflagrationem extimam finis non imponetur: de vtriuſq́ regni fortuna, ſucceſsibusq́ vaticinatur hoc carmine Propheta regius. Ardet immani odio Filij Dei Satanas; & magno ſtudio gratificatur Principi

Gen. 3.

cipi

cipi ſuo Mundus. In quo reges, optimates, nationes, populi, quos inter aliàs tamen ſæpenumerò capitalis intercedit ira (nunquam enim inter auaros, ſuperbos, & inuidos eſt concordia) conſerunt conſilia, tumultuantur, faciunt fœdera, arma expediunt contra Dominum, eiusq; Chriſtum: omnibusq; viribus in deformationem, oppreſsionemq; doctrinæ cœleſtis incumbunt. Neq; enim ferendum ſibi exiſtimant: vt iuſticia ipſorum, qua confidunt, ſapientia, qua nituntur, potentia, qua magnificos ſeſe faciunt, pro nihilo ducatur: & ſolus Chriſtus nobis ſit ſapientia, iuſticia, ſanctitas, & liberatio. 1. Cor. 1. Inducit autem διατυπώσει, effictione quadam, primùm ipſum Patrem, quid de inauguratione Filij ſui conſtituerit, proponentem: deinde Filium decretum de ſe Parentis explicantem: & qualis rex ſit exponentem: non qui gladium geſtet ad irrogandas pœnas ijs, qui maleſaciunt: ſed cui hoc negocij dederit, officijq; commiſerit Pater: vt doctorem gerat, & de nouo, & in omni memoria inaudito decreto Dei homines erudiat. In qua muneris functione, vt ſingulari cum ſucceſſu rem gerat: promittit Filio Pater, non ſolùm Iudæos, ſed reliquos etiam populos, nationesq; ſub ditionem illius caſuras: ad grauiſsimas pœnas vocandis vniuerſis, qui imperium ipſius repudiabunt. Quod cum ita ſit: hortatur Propheta reges, principes, & quicunq; ad Rerumpublicarum gubernacula ſedent: vt inſaniendi, repugnandiq; Deo, Chriſtoq; finem faciant: & abdicata ſapientia, iuſticia, potentiaq; ſua, ſub ius, ditionemq; ſeſe Filij Dei ſubijciant: & timidè illi ſeruientes, & exultantes trepidè, pro ſua quisq; parte gloriæ illius, honoriq; ſtudeant: ne, cùm ira illius incendetur, in maximas abiecti miſerias, ſupplicijs ſempiternis mactentur.

 Quare

I. II.

Quare fremuerunt Gentes: & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum: aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.

Exordium ἐπιτιμητικὸν καὶ ἐπιπληκτικὸν, κατ' ἐρώτησιν θαυμαστικὴν, καὶ ὑποτύπωσιν: *quo grauiter impetit aduerſarios Domini, ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, Hebræos pariter, & gentes, hoc eſt, vniuerſum mundum: &* τὸ φρυάττειν, μελετᾶν, παριστᾶναι, συνάγεσθαι *illorum, hoc eſt, tumultuationes, concurſationes, conſpirationes, molitiones, nudationes deniq; diſtrictionesq́; gladiorum,* κενὰ *fore, & in nihilum recaſura pronunciat. Itane tandem alienæ à ſanitate tumultuantur nationes: itane effrenate, & furore præcipiti vulgus conatur ea, quibus ſucceſſus dabitur nullus: ergo reges coniurationem facere, & optimates coire, conſilia conferre, & arma, tela, tormenta expedire contra rerum omnium præpotentem moderatorem cœli, & terræ, & quem gentium vniuerſarum regem conſtituit, vnctum illius ſuſtinent. Cogitauerunt (inierunt) conſilia, quæ non poterunt ſtabilire (nulla* Pſal. 21. *ratione explicare) Autor. Conſilium de eo perimendo ceperunt. Matthæus. Pontifices, & Phariſæi concilium coëgerunt. Iohannes.* Matth. 12. Ioha. 11. *Euangelij diuulgationem turbæ ferè tumultus, offenſionesq́; conſequuntur, non ipſius verbi vicio, ſed fortis illius armati: qui, quod ex atrio ſeſe exturbari ſuo à fortiore, & arma, quibus confidebat, auferri ſibi, ſpoliaq; diſtribui moleſtè patitur: cœlum (quod dicitur) terræ miſcet, & offuſis tenebris, cæcare mentes mortalium nititur; ne lucem videant: ſed*

per

per præcipitia in mortem, & exitium perpetuum agantur.

ἔτθνη, gentes ſunt, & ſub regum imperia ſubiunctæ nationes: λαοὶ, populi, & reſpublicæ: βασιλεῖς, reges, & monarchæ: ἄρχοντες, optimates, & magiſtratus cum profani, tum qui à religione nomen inuenerunt. Horum ſapientia, doctrina, iuſticia, opibus, viribus, conſilijs, conatibusq́; veritatis inimicus ad opprimendum Filium Dei, & doctrinam eius exterminandam abutitur: verùm nihil agit ille quicquam,

Fruſtraq́; ſui ſpe præmia præcipit aſtus.

Nam contra ſtimulum, vt habet tritum ſermone prouerbium:

& diuini ſententia iuris

Aeternos ſemper durat ſtabilita per annos.

Verbum enim Domini fixum eſt, ratum, & ſempiternum. Qui Hebræis Meßias dicitur, Græcis Chriſtus eſt, nobis verò vnctus. Hoc nomen per ἀντονομασίαν, ſeu pronominationem, vindici tribuitur, & parenti libertatis noſtræ Dei, & virginis Mariæ Filio: qui ad dextrum latus maximi Numinis conſidet, conſors, & ſocius factus imperij ſempiterni. Chriſtus (inquit Firmianus) nomen proprium non eſt: ſed nuncupatio poteſtatis, & regni: Sic enim Iudæi reges ſuos appellabant: quibus erat præceptum: vt ſacrum conficerent vnguentum: quo perungi poſſent ij, qui vocabantur ad ſacerdotium, vel ad regnum: & ſicuti Romanis indumentum purpuræ inſigne eſt regiæ dignitatis aſſumtæ: ſic illis vnctio ſacri vnguenti nomen, ac poteſtatem regiam conferebat. Ob hanc rationem nos eum Chriſtum appellamus, id eſt vnctum, qui Hebraicè Meßias dicitur. lib.14. cap. 7. *Explicatio huius principij extat in hiſtoria rerum ab Apoſtolis geſtarum.* Actor. 4.

III.

Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

μίμησις εἰκαστικὴ qua imperio Chriſti ſe recuſantium ſubijcere voces exprimit. Dilaniemus vincula, quibus impedire nos conantur: deijciamus à ceruicibus iugum, quod imponere

Lucæ 19. nobis iſti moliuntur. Nolumus hunc regnare in nos. Doctrina cœleſtis ſoli Deo iuſticiam, ſapientiam, potentiam, gloriamq; tribuendam eſſe per Chriſtum docet: vt, quemadmodum ſcri-

Hier. 10. ptum extat, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc quia

1. Cor. 1. mundo ferendum non videtur: ideo ne ſub imperium vindicis, & liberatoris humani generis Ieſu Chriſti cadant homines, ſua iuſticia, ſapientiaq;, turgidi, nihil non moliuntur, doctoresq; pietatis, pro Dei gloria ſuis cupiditatibus, conatibusq; aduerſantes odio proſequuntur, & communis quaſi libertatis oppreſſores deteſtantur: ac doctrinam tum Legis, tum Euangelij vincula, & iugum, δεσμοὺς, καὶ ζυγὸν, exiſtimant: &, quod inſitum naturæ crimen ignorant, neq; ſtultos, & peccatores ſe, quod Lex docet, perhiberi ſuſtinent, neq; venia, de qua concionatur Euangelium, & condonatione peccatorũ, ſuis opibus & viribus nixi, ſe opus habere arbitrantur. Compedes ſunt inſa-

Syrac. 21. norum pedibus doctrina, & quaſi manicæ in manu dextera. Syracides.

IIII.

Qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.

Narratio προσφωνητικὴ περιφράσει, καὶ συνωνυμίᾳ. ſeu ποικιλίᾳ ornata κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν: attribuit enim Deo affectus humanos. Omnium rerũ conſtitutor, et moderator,

Cernens cuncta Deus, præſentia, priſca, futura,

inanes conatus, furoresq; hoſtium irridet, & contemnit. Huc illud, Dominus irridebit eum: quoniam proſpicit, quod veniat

Pſal. 36. dies eius, Autor. Et, Congregamini (conſpirate) & vincemini (profligabimini) confortamini (accingimini) & vincemini (inferiores eritis) confortamini, & vincemini: inite conſilium,

ſilium, & diſſoluetur. Eſaias. Habent hæc tacitam, latentemq́; conſolationem, παραμυθίαν: qua deijci nos animo prohibet Spiritus ſanctus, tum in Satanæ, mundiq́; furoribus: tum doloribus animi, cruciatibusq́; ob violatam legem: quibus non ſolùm Eccleſia vniuerſa, ſed pij etiam ſinguli exercentur. Si enim ſpem omnem in Deo, & Chriſto, τῷ κατοικοῦντι ἐν τοῖς οὐρανοῖς, fixam, locatamq́; habemus: & ipſi in cœleſtibus collocati ſumus, ſi non carne, quod fieri non poteſt, fide tamen, & verbo, ac Spiritu: quibus muniti ἐγγελᾶν καὶ μυκτηρίζειν, ridere, & naſo ſuſpendere cum Deo inſanas omnium hoſtium tumultuationes poſſumus. Atq; huc pertinent illa. Confidite, ego vici mundum. Et, Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Caſsiodorus ἀλληγορικῶς cœlos viros ſanctos intelligit, iuxta illud: Cœli enarrant gloriam Dei. Irridet impios Deus, cùm illorum conatus in irritum ſinit recidere: vt molientes perniciem alijs, ſuis ipſorum conſilijs illaqueentur. Subſannat, qui corrugato naſo deridet aliquem. Hoc vocabulo, vt & irriſionis, vtitur Propheta, non quòd in Deum eiuſmodi aliquid cadat: ſed vt ex naturæ noſtræ conſuetudine noſceremus, quale in impios eſſet iudicium diuinæ voluntatis, vt loquitur Hilarius.

Ioh. 16.

Pſal. 19.

V.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

Iamq́; adeo, iam tempus aderit, cùm per iram affabitur eos, & exardeſcens perturbationem eis afferet: vt, quo ſeſe vertant, non habeant: tandemq́; in prauitate ſua conficiantur. Subitò, dum non ſperabitur, veniet contritio. Eſaias. Deridebit eos Dominus, & turpiter lapſi æterna inter mortuos afficientur ignominia. Sapientiæ Autor. Patitur quidem, diſsimulando iram, Deus ad tempus furore, & inſania ſceleratos homines in pios inſultare, & malis omnibus eos habere miſerrimos: verùm

Eſa. 30.

Sap. 4.

& liberet tandem ſuos, & in impios acerrimè vindicat. Loqui, & dicere Dei, ſeu mittere vocem, facere eſt: vt verbum, res ipſa: quare quæ fatur Deus, re ipſa exiſtunt: & loqui Deum iratum, perniciem notat, & interitum nullo fine terminandum. Huc referenda eſt deſcriptio euerſionis, diſturbationisq; Hieroſolymorum: & hiſtoriæ omnium temporum, in quibus furores impiorum, Dei, diſsimulantis iram, riſus, Eccleſiæ oppreſsio, læta bonorum liberatione, & triſti ſceleratorum tyrannorumq; euerſione finita tandem comprobantur. Si quis Prophetæ, quem eis de medio fratrum ſuorum ſuſcitabo, non obtem-
Deut. 18. perauerit: ego vltor exiſtam. Moſes. Ira Dei ὀργὴ, & furor, θυμὸς, impetus animi vehementer concitati, vindicatio eſt in peccata, antecedentis pro conſequente vſurpatione. Nam motus affectuum (inquit Caſsiodorus) diuinitas beata non patitur, quæ ſemper eadem, æterna, atq; immobilis perſeuerat. Contra tamen Lactantius. Affectus, inquit, qui ſunt virtutis, quales ſunt ira in malos, charitas in bonos, miſeratio in afflictos, quoniam diuina poteſtate ſunt digna, proprios, & iuſtos, & veros habet Deus.

VI.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Zion montem ſanctum eius: prædicans præceptum eius.

Μίμησις, qua ipſum Deum loquentem inducit. Ego verò, qui cœli, & terræ imperium obtineo, cuius poteſtas eſt ſempiterna, cuius regnum perpetuis durat ætatibus, inuitis conſceleratis omnibus, præ conſortibus ipſius, oleo lætifico perfuſum regem meum Sioni meo ſacro monti præfeci. Solus Chriſtus
Pſal. 82. rex Dei eſt: cæteri ſicut homines morientur. Diligenti animi penſione conſideranda ſunt τὰ ἐν κύκλῳ, καὶ περιστάσεις

& no-

& notationes tum perſonarum, & inaugurantis regem, & inaugurati, tum loci. Conſecrat regem, & Principem gentium, populorumq́; deſignat mundi conditor, & rerum Dominus omnium, cuius conſilium ratum eſt, qui dicit, & præſtat, qui inchoat, & facit, non quemlibet: ſed virginali vtero procreatum filium ſibi gratißimum, carißimumq́;: eumq́; ſuum regem nuncupat appellatione peculiari. Etſi enim quæ ſunt poteſtates, eæ à Deo ſunt inſtitutæ: tamen hoc nomine nullum, licet ampliſsimum gerat magiſtratum, dignatur: vt diſcamus, hunc vnum eſſe, cui, ἀμέσως, & adminiſtro nullo, conſecrato dederit pater omnium poteſtatem in cœlo & in terra: vt ad eius nomen omne ſe genu flectat, & cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum: omnisq́; lingua confiteatur Dominum eſſe Ieſum Chriſtum ad Dei Patris gloriam. Huc illud: Quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Autor Epiſt. ad Hebræos. Quanta autem dignitas credentes eſſe hæreditatem, & peculium Domini, Deiq́; Ieſu Chriſti? Σιὼν, quæ vox Latinis ſpeculam ſignificat, τὸ ὄρος τὸ ἅγιον κυρίου locus regni eſt: quo primum arx Hieroſolymitana, deinde ciuitas diuina, quæ eſt Eccleſia intelligitur, quam ſanctam appellat tum propter verbum, & vnà cum Apoſtolis effuſum cœlitus Spiritum ſanctum in centum viginti credentes, vt annotauit Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum: tùm vel maximè propter regis Chriſti iuſticiam, & innocentiam: quam communicat ille imperio ſuo ſubiectis omnibus: qui in tutela, & præſidio ipſius ſecuri, lætiq́; conquieſcunt.

Rom. 13. Phil. 2. Heb. 1. Act. 2.

VII.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Διαλογισμὸς ſicut placet quibuſdam, cum ſit διάλογος. Facit enim Chriſtum ipſam Eccleſiam alloquentem: & inter ſe Patrem, & Filium æternum ſermones conferentes.

Ediſſeram omnibus, quale de me decretum ſecerit Dominus, cùm me ita affaretur. Tu filius es meus, quem hodie generaui. Officium Chriſti eſt, non gladium manu, ſed virtutem ore gerere, & de Deo homines, & illius voluntate docere: vt omnis
Johan. 3. *qui credit in Filium, non pereat: ſed vitam conſequa-*
Johan. 1. *tur ſempiternam. Filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Refert autem filius verba Patris: vt dicti illius veritas conſi-*
Johan. 8. *ſtat: quæ audiui ab eo, hæc loquor in Mundo: quod dictum hanc vim habet: vt patrem in Filij concionibus diſcamus agnoſcere: ne alium nobis opinionis errore affectum, voluntatemq́; Patris æterni fingamus: quàm verbis ſuis Chriſtus exprimit. Continet autem locus hic abrogationem, & antiquationem, exterminationemq́; cum legis (qua tamen ſapientia maior nulla exiſtit) tum rerum actionumq́; omnium à ratione noſtra quæ inſtitui, ſuſcipiq́; poſſunt: vt ijs fauorem diuini Numinis, & vitam æternam demereamur. Propter ſolum enim Filium ſuum regem Sionium peccata condonat, & in gratiam recipit pœni-*
Act. 4. *tentes Pater, & Dominator rerum Deus: nec eſt nomen aliud ſub cœlo datum hominibus, quàm Filij Dei, per quod ſeruandi ſimus. Porrò cum illo: filius meus es tu: facit, quod eſt apud Eſa-*
Esa. 42. Matth. 17. *iam: Ecce puer meus, quem elegi. Et apud Euangeliſtas: Hic*
Marc. 9. *eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui (qui mihi eſt*
Luc. 2. *acceptus, erga quem ſingulariter ſum affectus, ἐν ᾧ εὐδόκητα) hunc audite.*

Hic meus eſt, ante omne fuit qui Filius æuum:
Hunc ego doctorem populis, rerumq́; magiſtrum
Eſſe dedi: vos ô gentes, quîs cura ſalutis,
Hunc ipſum hunc audite viam quæ ducit Olympo.

2. Pet. 1. *Et Petrum Apoſtolum. Ipſi eius maieſtatem contemplati ſumus, & gloriam, voce delata ad eum, à magnifica gloria. Particula hodie σήμερον, tempus fine carens denotatur. Deus.n. heri, & cras non habet: Sed ſemper hodie habet, inquit Arnobius: & in æternitate, vt loquitur Auguſtinus, nec præteritũ quicquam eſt,*

quaſi

quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit: ſed præſens tantùm: quicquid enim æternum eſt, ſemper eſt. Hanc autem partem: Ego hodie genui te: quidam de ea natiuitate Filij Dei intelligunt: qua à patre Deo genitus ab omni æternitate eiuſdem cum Patre maieſtatis, ſapientiæ, potentiæq; exiſtit: quæ natiuitas qua ratione fiat, inueſtigare humana ratione nec poſſumus, nec debemus: ſed fide ſimplici Deo affirmanti credere: & ſecluſa omni ambiguitate ſtatuere: nec natura, nec tempore, nec poteſtate vnigenitum Filium à Patre ſeparari, vt loquitur Caßiodorus. In Epiſtola ad Hebræos vbi citatur hic verſus, ſplendor gloriæ, & forma expreſſa ſubſtantiæ Dei ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως θεοῦ *nuncupatur. Et Paulus ad Colloſſaenſes imaginem inaſpectabilis Dei, & totius rerum naturæ primogenitum,* εἰκῶνα τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, καὶ πρωτότοκον πάσης κτίσεως, *per quem omnia condita ſunt appellat:* Heb. 1. Coloſ. 1.

Quo ſine nil horum conſtat quæcunq; creata.

Alijs ad humanum Chriſti ortum referre placet: cum ſerui forma ſuſcepta, ex virgine, quam complexus non contigit maritalis, vt loquitur Fulgentius, natus eſt: quod teſtatur hiſtoria. Neq; verò non ſunt, qui ad ortum lauationis, & baptiſmi Chriſti à Iohanne in Iordane applicari poſſe hæc contendant: in quo de cœlo audita hæc vox. Hic eſt meus chariſsimus Filius, qui mihi acceptus eſt. Hic mea progenies, mea magna & ſola voluptas. Nam qui de reſurrectione, ſeu reditu Chriſti in vitam dictum volunt, qua caro ipſius renata, τεθέωται, *vt Græcis loqui placet Theologis, mouentur autoritate Apoſtoli, qui in Actis ſic ait: Vobis nunciamus, quæ promiſſa fuerant maioribus noſtris, Deum, præſtitiſſe poſteris, eorum ſcilicet nobis, Ieſu à mortuis excitato, vt etiam ſcriptum eſt in Pſalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te: vt ſit, Ego hodie genui te, idem quod: Ego ex inferis excitatum in vitam reuocaui, & imperio cœli, & terræ præfeci. Cum qua explicatione facere videtur idem* Matth. 3. Mar. 1. Lucæ 3. Acto. 13.

Apoſtolus, cum Chriſtum primogenitum ex mortuis appellat,
I. Coll. *& dicit Ieſum Chriſtum declaratum eſſe Filium Dei per poten-*
Rom. 1. *tiam, ſecundum Spiritum ſanctificationis, dum ex mortuis re-*
ſurgit.

VIII.

Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam : & poſſeſsionem tuam terminos terræ.

Ἱπόθεσις de vocatu gentium, & regni Chriſti amplitudine.

Poſce parentem aliquid, nullam patiere repulſam: poſtula quid tibi velis à me dari: & gentes nationesq; omnes ſub imperij tui ditionem redigam:

tibi regna dedi ſine fine, neq; vlla
Tempora præſcripſi rerum.

Iubetur poſtulare, & petere filius, non quod minor ſit Patre: ſed quod virginis Filius, & legatus: qui hominibus voluntatem Patris enunciat. Atq; ideo etiam tuam, inquit, & hæreditatem, & poſſeſsionem, Natura enim humana accepit: quod diuina ſemper poſſedit. Caſsiodorus, Hunc autem verſum
Pſal. 71. *explicant illa: Dominabitur ab altero mari, ad mare alterum:*
Dan. 7. *à flumine ad extremum terræ. Et, dedit ei poteſtatem & honorem (dignitatem) & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non*
Matth. 28. *auſeretur: & regnum eius non corrumpetur (perdetur) Et,*
Hebr. 1. *Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Et, quem omnium ſtatuit hæredem. Et vllius naturæ, vel cœlo vel terra, vel Orco deniq; ipſo tanta eſt, & tam importuna audacia: huic quæ regi ſeſe petulantia proiecta opponere, & conſcelerato auſu decreta eius in dubium ſaltem vocare, nedum mutare, & prorſus abrogare ſuſtineat? Hæreditas autem, κληρονομία*

& poſ-

& poſſeßio κατάσχεσις, Chriſti non ſolũ Iudæos comprehendit: ſed etiam gentes complectitur: neq; tantum Iudææ terminis continetur: ſed ad orbis vſq; fines τὰ πέρατα τῆς γῆς, pertinet. Non enim cœtus Chriſto initiatorum, quæ eſt Eccleſia, in vnum aliquem, eumq; exiguum, & anguſtum locum concludendus eſt: quod olim, qui à Donato nomen inuenerunt, nunc verò faciunt: qui Romani præſulis ſectam ſequuntur. Gentium, τῶν ἐθνῶν appellatione μεταληπτικῶς comprehenditur omnis religio, iuſticia, ſapientia, potentia, opes naturæ, leges, & quicquid deniq; in mundo eximium eſt, & præclarum. Id enim Chriſti, quod verbo præcipue, & diuinis continetur myſterijs, Imperio ſubijciatur omne neceſſe eſt à populis, ciuitatibus, gentibus, nationibus cunctis: ſi felicitatem, & beatitudinem æternam velint conſequi. Cùm Dominus natura ſit Chriſtus, eſt enim Deus, etiam vt Homo vniuerſorum imperio præficitur. Theodoretus. Termini terræ non Dauid promißi: qui intra vnicam Iudæam regnauit: quàm Chriſto, qui totum iam orbem Euangelij ſui fide cepit. Tertullianus.

IX.

Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

Gubernationis modus, & ratio. Sceptro eos ferreo contundes, & argillacei inſtar vaſis comminues,

Ficta luto frangens corda, vt meliora refingas.

Dominus à dextris tuis conteret in die iræ ſuæ reges. Autor. Pſal. 110.

Virga ῥάβδος, inſigne regium, ſignificat ſummum, & inflexibile recti ſtudium omni gratia, quaſi fronde ſpoliatum, & exactam iuſticiæ normam, ad quam omnia dirigenda. Hanc ferream vates tribuit hoc loco Chriſto, cuius regnum non eſt de hoc mundo: eaq; intelligit, quæ ad recti rationem reuocat, quicquid eſt obliquum in homine, doctrinam ipſam Ioh. 18.

cœleſtem

Rom. 1. cœleſtem: quæ credentibus quidem potentia eſt Dei ad ſalutem, δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν, vt inquit Apoſtolus: impijs verò, & contumacibus quaſi malleus diffindens petras, vt loquitur Hieremias. Hier. 23. Natura enim verbi diuini ea eſt: vt ſalutem det credentibus, impios vero damnet, & in nihilum redactos abijciat in tenebras ſempiternas. Verberabit, & percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum necabit impium. Eſa. 11. Eſaias. Dominus impium (ἄνομον) conficiet Spiritu oris ſui. 2. Theſſ. 2. Paulus. Ex eius ore prodit gladius acutus, quo gentes feriat, quas ipſe ferreo baculo reget. Apoc. 19. Apocal. Author. In vaſe figuli σκεύει κεραμέως, εἰκασία eſt παροιμιώδης, qua contemtim confert Spiritus ſanctus reges, tyrannos, & principes, vrnis, trullis, & ollis fictilibus, innuens nullam ſapientiam eſſe, nullum conſilium, nullas vires, quæ Deo, Chriſtoq́; opponi poßint, aut ſi opponantur, quæ non vt vaſa figlina collidantur, conteranturq́;: quod licet oculis ſemper non cernimus: euentus tamen & docuit ſæpe, & docebit in poſterum, quæ Spiritus ſanctus loquitur, & minatur impijs tyrannis, & pontificibus, adeoq́; Ianitori ipſi regni ætherij (qui nec Deus eſt, nec homo quaſi neuter, at inter vtrumq́;) aduerſatoribusq́; Chriſti vniuerſis fore nequaquam irrita. Quæ de gladio principũ Chriſtianorũ contra infideles, quem materialem appellat, hoc loco Nicolaus Lyranus affert, nullius eſſe momenti norunt: qui rerũ Chriſtianarum doctrinam primoribus, quod dicitur labris attigerunt.

X.

Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

Concluſio νουθετικὴ καὶ παραινετικὴ κατ᾽ ἀποστροφήν. Hæc ita ſeſe cum habeant: dum certa facultas,

Dum tempusq́;, dieſq́; ſinunt, quicunq́; ſummo eſtis in imperio, animum aduertite, qui prouincijs præeſtis, doceri vos & erudiri permittite.

Prima

Prima eſt in principe virtus
Eſſe pium. canit Fortunatus,

οἱ δυνάσται φοβεῖσθε θεὸν τὸν δυνατώτερον:
οἱ τῶν ὑψιλῶν θρόνων τὸ ὑψηλότερον.

Inquit Theologus. συνιέναι, ſapere iubet reges, & τοὺς κρίνοντας τὴν γῆν terrarum gubernatores παιδευθῆναι, corrigi: quid ita verò? an parum compotes ſunt rationis, vt reuocatione ad mentem ſaniorem, aut pueris exiſtunt ſimiles, vt correctione magiſtri opus habeant? Certè quidem, niſi mendacium cadere in Spiritum Dei, quod ſas non eſt, audeamus dicere. Etſi enim ſapientia quidem illi, & lumine animi, & ingenij, populis, quibus imperant, præſtant (neq; enim ἐν νηυσὶν πετραμμένοι, & homines maritumis moribus præfici ſolent prouincijs) niſi tamen ſe verbo Dei doceri, & ſpiritu ſancto regi, & gubernari ſinant: vt ſuper rege Sionio, qui via eſt, veritas & vita, & cui adeo nulla res obſcura eſt vt omnia nuda ac ſupina ſint eius oculis, obmuteſcant, & contineant os ſuum, & ſe, ſuaq; omnia ſub ſalutare illius imperium ſubijciant: ſtultis ſunt inſaniores, & pueris ineptiores in iudicio diuino: cum naturæ opibus fortunæq; muneribus vniuerſis in miſerias perpetuas deturbandi. Alloquitur autem præcipuè reges, & principes: quòd, ſi, qui ad rerum gubernacula ſedent, Chriſtum, & doctores veritatis admittunt, verbum ſalutare etiam apud ditioni ipſorum ſubiunctos, locum habere ſoleat. φιλεῖ γὰρ ἀεὶ τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν inquit Herodianus: & Baſilius, πρὸς τὸ τοῦ ἄρχοντος ἦθος πλάττεσθαι πέφυκεν, ὡς τὰ πολλὰ, τὸ ἀρχόμενον: ὥστε ὁποῖοί ποτε οἱ ἄγοντες ὦσι, τιοῦτον ἀνάγκη, καὶ τὸ ἀγόμενον εἶναι. Quæ ex Platone expreſſa ſunt, vt etiam illud Ciceronis, Quales in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſolent ciues eſſe. Auguſtinus adducto exemplo Ezechiæ, Ioſiæ, Regis Niniuitarũ, Nabuchodonoſoris, Darij, quomodo inquit, reges Domino

mino ſeruiunt in timore: niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo, atq; plectendo. Ad Boniſacium epiſtola 50. Et omnes homines ſeruire Deo debent, aliter communi conditione, qua homines ſunt, aliter diuerſis donis: quod ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud. Non enim auferenda idola de terra, quod tantò ante futurum prædictum eſt, poſſet quiſquam iubere priuatus. lib. 2. contra literas Petiliani.

XI.

Seruite Domino in timore: exultate ei cum tremore.

ἐξεργασία *expolitio. In ſeruitutem vos depoſita animi inflatione addicite Domino trepidi, miſtoq; fideles exultate metu: Cultus quos Deus Pater Chriſto filio ſuo ab omnibus omnium ordinum hominibus, & præcipue regibus, & optimatibus vult tribui, ſunt: Timor, Fides, amor, ſeu Dilectio. Quos cum iubeat Spiritus ſanctus transferri ad Chriſtum, quem augusto titulo* κύριον *appellat, qui & cultus, & nomen ſoli Deo debentur, oſtendit natura illum æqualem eſſe, & eiuſdem cum Patre maieſtatis, ſapientiæ, potentiæ: & qui Deo ſeſe pro-*
Col. 3. *bare velit, ei Filium colendum eſſe, vt quidquid agat, ſiue verbis, ſiue rebus, & factis, omnia faciat in Domini Ieſu nomine, & gratias agat Deo, & Patri per ipſum. Non poteſt ille ſummus, & ſingularis Deus niſi per Filium coli, qui ſolum Patrem ſe colere putat, ſicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem. Lactantius de vera Sapientia*

εἰ δέ τις ἀλλοπρόσαλλον ἔχει νόον, οὐδὲ τοκῆος
κυδαίνει λόγον υἷα, καὶ οὐ γενετῆρα γεραίρει.

Non colit vnigenam qui verbum Patris, honorem
Non habet inſidia rerum quoq; mente parenti. Nonnus *ex Iohanne Euangeliſta. Seruire Domino,* τὸ δουλεύειν, *non*

in eo

in eo poſitum eſt: ſi, quod faciunt in pietatis vmbra perſequenda ſtudium ſuum conſumentes, vt ex oculis hominum te remoueas, & ſolitudines montium, & recondita nemora perſequaris, religionis ergò peregrinationes ſuſcipias, Cerere, & Baccho diebus ſingulis rem diuinam facias, cibis ſtato tempore ſuperſtitioſè abſtineas, diuinos honores ad muta ſanctorum ſigna transferas, & quæ ſunt eiusdem generis venditantis ſeſe oculis hominum pietatis ineptijs dies, & noctes ſis addictus: ſed ſi fide ad autorem vitæ, & ſalutis noſtræ Ieſum Chriſtum adiunctus, omne vitæ ſtudium ad docendum, gubernandum, laborandum, & fratri, ac proximo operam, in officij tui munere, dandum ſedulò, diligenterq́; conferas.

Timor, φόβος, intelligendus eſt de illo metu, quem Theologiæ conſulti filialem appellare ſolent: φόβον σωτήριον καὶ ἁγιασμοῦ ποιητικὸν, ſanctitatis, ſalutisq́; cauſam: qui diſtat à ſeruili, qui & ἐχθρὸς φόβος ſecundum Baſilium, ὁ θανάτου ἡμῖν δουλίαν ἐμποιοῦν τῆς ἀπιςίας ἔγγονος, qui, incredulitatis ſoboles, ſub mortis ditionem ſubijcit: quòd ille pauor eſt coniunctus cum fide, quæ apprehenſo verbo animum cadere non ſinit, ſed erigens ſeſe ad Deum, quem non in perpetuum iraſci ſtatuit, accedens, petit, & accipit condonationem peccatorum: hic vero eſt ſine fide, & re vera fugit Deum, & cauſa eſt, vt tandem cor aſsiduis angoribus extabeſcat. Iam cùm certiores reddimur per Euangelij denunciationem de peccatorum remiſsione, eamq́; fide certa, & firma apprehendimus: non poſſumus non intimis gaudere ſenſibus, & læta, alacriq́; mente nobis optima quæq́; de Deo Patre, cui per Filium reconciliati ſumus, polliceri. Verum enimuerò, quia Deus confidentiam, ſuperbiamq́; acerrimo odio proſequitur: ideo iubet nos Propheta exultare, ἀγαλλιᾶσθε, ſed ἐν τρόμῳ, trepidè: quo verbo innuit læticiam noſtram non debere eſſe profuſam, & immoderatè ſeſe iactantem, ſed reuerentia pia reſtrictam: quæ cum metu & timore hoc eſt cura, attentione

& ſollicitudine operetur, agatq́; ſalutem ſuam, vt eſt apud A-
Philip. 2. *poſtolum.* μήπως ὑποσκελισθέντες ἐκπέσωμεν τῆς σω-
τηρίας. *Vt enim propter Chriſtum, qui ſolus iuſtus, & perfe-
cta, numeriſq; omnibus abſoluta innocentia præditus, à pœna
nos, nexuq́; ſcelerum liberauit, miſericordiæ Dei confidere
nos conuenit,* καὶ πληροφορεῖσθαι: *ita, quòd ipſi, quanti
quanti ſumus, cum actionibus noſtris omnibus mali ſumus, &
coram diuino numine ne innocens quidem eſt innocens: eiuſ-
dem lenitati coniunctam iuſticiam oportet formidare, iuxta*
1. Cor. 10. *illud. Qui ſibi ſtare videtur, videat, ne cadat.* ὁ φοβούμε-
νος τὸν κύριον συνόμιλον ἀεὶ ἔχει τὴν ταπεινοφροσύ-
νην: *Timorem Numinis ſemper comitatur modeſtia. Maxi-
mus.*

XII.

Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta: Cum exarſerit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

ἐπανάληψις, *iteratio* τῆς παραινέσεως, *adiuncta comminatione,* ἀπειλῆς: *cuius veritatem comprobat, cum ſacerdotij, regniq́; Iudaici occaſus, tum maximarum Rerumpublicarum interitus. Non ſapientiam, diuitias, opes, potentiam, iuſticiam, & virtutum actiones, quantumuis videantur ad ſummum perueniſſe, veſtras, ſed, quo Patri nihil carius, nihil iucundius, Dei Filium Ieſum Chriſtum amplectimini, oſculamini,* καταφιλεῖται, *&, ſalutari illius imperio gaudentes, in illo vno poſthabitis, & relictis omnibus in vita pariter, & morte acquieſcite: ne, qui hunc ſolum ſimilem ſibi, & æqualem, ab omnibus omnium ordinum hominibus coli vult, & adorari,*

ſtoma-

ſtomachum moueatis Deo, & dicto citiùs modis miſerrimis pereatis: id quod breui futurum eſt, ſi ira eius exarſerit.

Hæc ſumma, hæc ratio eſt, hæc certa Deiq́; voluntas. Oſculum oris caritatis, & amoris ſignum eſt: quemadmodum manuum, & pedum, ſubiectionis, & ſubmiſsionis. Pro oſculo conſputant faciem Chriſti, eiq́; colaphos impingunt in domo Pontificia Iudæi: vt noſtro tempore AntiChriſticolæ, Tyranni, Centauri, Libertini.

Via quid ſit primo Pſalmo explanatum eſt: ἀπολλῦναι ἐκ ὁδῶν, perire via, ſe perditum ire ſignificat, & inſtitutis ſuis, & præclaris factis, quibus ſibi maxima pars hominum, extra Chriſtum, aſcenſum promittit in cœlum, peſsimè ſaluti ſuæ conſulere. Superbia etiam in ipſis rectè factis cauenda eſt, id eſt, in via iuſta: ne homo, dum quod Dei eſt, deputat ſuum: amittat, quod Dei eſt, & redeat ad ſuum.

Auguſtinus de Natura, & gratia.

Ira, θυμὸς, καὶ ὀργὴ, ſeuerum eſt Dei iudicium in omnes, qui facilitatem, & lenitudinem illius contemnentes, in deſpectione Chriſti, & ſceleratè factis perſeuerant. Qui non credit in Filium, manet ira Dei ſuper eum. Iohannes. Deus Iohan. 3.
non thure, hoſtia, non precioſis muneribus, ſed morum emendatione placatur: & qui peccare deſinit, iram Dei mortalem facit. Lactantius.

Ad finem huius Pſalmi adijcitur ἐπιφώνημα: Beati omnes, qui confidunt in eo. O beatos, & felices, qui tota cogitatione pendent ex Filio Dei, ſeq́; preſsius, & coniunctius ad illum applicantes, ſecuri, & læti in præſidio, & tutela illius acquieſcunt. Qui credit in me, non peribit, ſed habebit vitam æternam: Qui credit in me, non iudicabitur (in iudicium veniet) ſed tranſibit de morte ad vitam (ex morte migrabit in vitam) Iohannes. πάντες ἄμ᾽ ὄλβιοί εἰσιν πεποιθότες αὐὲρ Ioh. 5.
ἐπ᾽ αὐτὸν, Felices omnes, quibus eſt ſpes vnica Chriſtus. Apollinarius. Si beati, qui confidunt in Domino: miſeri, qui confi-

dunt in ſe. Non in te placet Deo. niſi quod habes ex Deo, 14. Serm. de Temp. Auguſtinus. Niſi ſe, ſuum & opus in homine, Deus nil amat. ex Taulero.

PSALMVS III.

MALVM DOMESTICVM.

AD quem modum Dauides Rex adulterium pariter, rapta Betſaba, Eliami F. commiſerit, & trucidato Ammonitarum telis Vria Hethæo, cædem perpetrarit, in vita ipſius explicant regum Hebræorum hiſtoriæ. Etſi autem culpam quidem illi, & noxam condonarat Deus, translato ab ipſo peccato, tamen pœna immunem prorſus eum eſſe noluit: vt quia inimicis Domini malè dicendi occaſionem dederat, exemplo eſſet alijs, Deum præceptorum ſuorũ contemtum non relinquere impunitum. Denunciarat autem illi per Prophetam, fore, vti malum ei domeſticum conflaretur. Cuius vaticinij veritas cùm ageretur, & ipſe in exilium pulſus Abſolonem Filium fugere neceſſe haberet, & iam per cliuum oliuarum plorans, capite operto, nudis pedibus ingrederetur: non de gradu fidei in Deum, fluctuans quaſi animo deijcitur, non fremit, non tumultuatur: ſed, diuinæ voluntati ſeſe ſubijciens, patienter fert calamitatis caſum, cui factis ſuis occaſionem præbuerat: &, ad punientem conuerſus, ſpe auxilij, propugnationisq; cœleſtis confirmat ſeſe hoc Pſalmo: quemadmodum etiam in fuga ipſa, cùm inquit: Si mihi Dominus propitius erit: reuocabit me, mihiq; & arcam, & delubrum ſuum exhibebit: ſin me ſibi placere negauerit: faciat ſanè mihi quod ipſius voluntati optimum

2. Reg. 15.

mum viſum fuerit. Statuit nimirum eam eſſe cum iuſticiam Dei, qua rectum iudicium inter ſe, & aduerſarium facere poſsit: tum clementiam, miſericordiamq́; qua ad ſe confugientem, & opem, auxiliumq́; diuinum in miſerijs prece humili implorantem, deſertum eſſe nunquam velit.

I. II.

Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.

Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Exordium ὀδυρτικὸν κατ᾽ ἐρώτησιν, & ἀναδίπλωσιν, καὶ μίμησιν. *Mundi conditor, & Domine, qui Numine ſempiterno contines omnia, quàm multi coniuratione facta me infeſtant: quàm multi eiectum é ciuitate, regnoq́; ſpoliatum, & fortunis exutum omnibus, non capite ſolùm: ſed animo quoq; oppugnant? dum palàm affirmare non dubitant: me à numine cœleſti deſtitutum eſſe: teq́; omnem de me animum eieciſſe Patris Reſpicit ad conuicia Semei Ieminienſis. Aufer, aufer te homo cruente, & neſarie: expetit abs te Dominus omnem ſtirpis Sauliticæ ſanguinem: cuius regnum, in quod inuaſiſti, Abſoloni filio tuo tradidit: & nunc tua te hominem ſanguinarium ſcelera premant, & facinora. SELA dictio innuit ſingulari, & maximè intenta comtemplatione, animiq́; penſione ea, quibus poſtponitur, intuenda eſſe, & ponderanda.* 2. Reg. 19.

III. IIII.

Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Propoſitio per ἀντίθεσιν adiectis rationibus. Ego verò in meis ærumnis, & miſerijs nihil quicquam dubito de auxilio tuo Domine. Es enim clypeus, & gloria mea eleuans, & extollens caput meum: præterea precibus, quas adhibeo ad te, ex ſanctiſsimo tuo domicilio, aures attentas præbes: cui quidem neq; tempus, neq; modum reſtituendi noſtri in dignitatem priſtinam præſcribam: ſed omnia relinquam in tuo arbitrio: perſuaſiſsimum habens, me tandem de bona voluntate tua reuocatum iri. Suſceptor, ἀντιλήπτωρ, *ſeu ſcutum, & clypeus dicitur Deus, quod firma ſpe pendentibus de ipſo præſidio eſt & ſaluti.* Gloriam, δόξαν, *ſuam vocat Deum, vel quod diuinæ defenſionis propugnatione glorietur: qua fiat, vt mali ad illum nihil poſsit attingere, vel quod famam, celebritatemq; nominis ipſi conciliarit.* Exaltare caput, ὑψοῦν τὴν κεφαλὴν, *alicuius, eſt triſtem, & deiectum animo excitare, & in ſpem inducere, cogitationemq; meliorem.*

V.

Ego dormiui & ſoporatus ſum: & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.

ὁμολογία. *Quia enim occurri poterat Dauidi ab aduerſarijs: Et adulterio, & cæde perpetranda numen Dei, qui*

peccatores

peccatores non exaudit, offendiſti: non eſt igitur, quod ſperes fore, vt clamoribus, lamentationibusq́; tuis aures benignas ille patefaciat: reſpondet. Dormiui quidem ſomno grauiſsimo ſcelerum oppreſſus: verùm pro ſua bonitate, & miſericordia, qui Meßiæ, & Chriſti ſui ergò recipit lapſos, vicijs, & corda ſepulta erigit, Deus me excitauit, ſermone Prophetæ dulciſsimum mihi denunciantis, iucundiſsimumq́; oraculum: Dominus aboleuit peccatum tuum: non morieris. 2. Reg. 12.

Dormire, ὑπνοῦν καὶ καθεύδειν, *quod aliàs eſt, ſomno conſopitum quietem capere, in ſacris literis non mortuum ſolùm eſſe ſignificat: vt Dormiuit Dauides cum maioribus ſuis: ſed etiam peccati quaſi ſopore oppreſſum iacere, & opera noctis, ac tenebrarum perpetrare. Vnde Apoſtolus. Hora eſt, iam nos à ſomno expergiſci,* ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι. *Et, Vigilate iuſti & nolite peccare. Et, Expergiſcere, qui dormis,* ἔγειρε ὁ καθεύδων, *& ſurge à mortuis: & illuceſcet tibi Chriſtus. Auguſtinus hunc verſum de morte, & reſurrectione Domini interpretatur lib. de Ciuitate Dei 17. cap. 18. Et Expoſit. Euang. Iohan. Tract. 47. Alij de expergefactione intelligunt, Et ad intuendam lucem reuocatione omnium mortalium virtute, & potentia Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 3. Reg. 2. Rom. 13. 1. Cor. 15. Eph. 5.

VI. VII.

Non timebo millia populi circumdantis me:

Exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus: Quoniam tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.

Concluſio ἐκ πληροφορίας τῆς πίστεως profecta, adiecta petitione: quam confirmat ἐκ τῶν ἠγνοημένων, quæ oratione modificata exponuntur. Cùm in grauiſsimis ærumnis, & miſerijs opem mihi, auxiliumq́; tulerit, à Leone, & Vrſo defenderit, à Goliatho vindicarit, ex peccati deniq; ſomno excitatum ex mortis faucibus eripuerit Deus: non formidabo, fretus ipſius præſidio, vel innumeras legiones circumſedentium me hoſtium, bellumq; mihi facientium. Ades igitur Domine, & me defende: qui inimicis meis colaphos incuſsiſti, & dentes conſceleratorum confregiſti. Nihil mali metuo, quoniam tu mecum es. Autor.

Pſal. 23.

Frangit malas aduerſantium pijs, πατάσσει τοὺς ἐχθραίνοντας Δαυίδ ματαίως, & dentes excutit peccatoribus, τοὺς ὀδόντας συντρίβει τῶν ἁμαρτωλῶν Deus, cũ atrocium belluarum inſtar furentium conatus, violentiamq́; reprimit: & ſæpè quidem in viuos, ſemper autem in mortuos flagitioſam illorum immanitatem vindicat.

VIII.

Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

ἐπιφώνημα γνωμικὸν, καὶ εὐχαριστικόν. Tuum vnius eſt Domine conſeruare, & fauore complecti pios: tuum bonis omnibus iuuare, & cumulare, qui ad te confugiunt: & omnes ſpes, cogitationesq́; ſuas in infinita tua miſericordia collocant. Salus Domini, ἡ σωτηρία τοῦ κυρίου, ἐμφατικῶς, auxilium, cui πάντα εὔκολα; Dei ſignificat: & ex miſerijs, & calamitatibus ereptionem. Benedictio, εὐλογία, fauore, & beneuolentia de promiſsionibus ſuis comprehendentis nos miſericordia eſt Numinis, & clementia.

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει πόνος. Nazianzenus.

Liuor

Liuor fauente nil nocet quidquam Deo:
Et non fauente, nil facit quidquam Labor.

Domini eſt ſalus, inquit Auguſtinus, qua ſaluos facit: quemadmodum iuſticia Dei, quam impertiendo iuſtos facit: Et, ſicut nemo eſt à ſeipſo: ita nemo ſaluus eſt à ſeipſo. Idem Expoſu. in Euang. Iohan. Tractatu 34.

PSALMVS IIII.

CRVX.

Παρακέλευσις conſolatoria cum precatione, & obiurgatione. Pater cœleſtis ſub crucem, & calamitates non ſine certo conſilio amantes ſui ſubijcit: ac vexant eos, conniuente illo, homines conſcelerati, & à pietate remoti. Quare primùm conſolatur hoc Pſalmo ſeſe vates regius cœleſtis bonitatis, & clementiæ explorata erga ſe, & cœtum piorum fauore, & beneuolentia: Et cum ipſe auxilium Dei contra oppugnatores ſalutis ſuæ implorat: tum alios quoq; docet, & exemplo hortatur ſuo: vt in rebus triſtibus, & aduerſis in ſolo Deo ſpem omnem, fiduciamq; figant. Deinde obiurgat impios, qui in calamitatibus ad Deos confugiunt, quos opinionis errore ſibi adſciſcunt, adoptantq;: &, humana quærentes præſidia, forti, & excelſo animo auxilium Dei expectare nolunt: cùm tamen ille & vnus, & ſolus ſalutem dare, ſolus ſanctos ſuos modo mirabili, fide, patientiaq; illorum ærumnis prius exploratis, iuuare & poſſit, & velit. Verum impij in eam curam, cogitationemq; noctes, & dies defixi ſunt; qua ratione ita rebus ſuis conſulant, & proſpiciant: vt bene ſibi ſit, & ſecuri in omnium rerum abundantia vitam tranſigant. Quod ſi quando in felicitatem illorum tranſuerſa incur-

rit calamitas: tum ad alia potius omnia, quàm ad Dei auxilium conſugiunt. Qua re cum fieri nihil poſſit, ad quod maiorem offenſionem numen cœleſte habeat: nimirum beatiſsimi ſunt, qui repudiatis rebus, quibus impij ſeſe magnificè efferunt, omnibus, in ſola Dei miſericordia, beneuolentiaq; conquieſcunt.

I.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Exordium δεκτικὸν συνωνυμίᾳ, καὶ εἰκασίᾳ illuſtratum. Qui omnia poteſtate infinita complecteris, rerum parens, & conſeruator optime & maxime, à quo mea iuſticia pendet vniuerſa, faciles, & benignas aures ad preces meas adhibe: qui, cum res, copiæq; meæ in anguſtum quaſi coguntur, ex periculis eripis me, & ex malis, ærumnisq; explicas, opem fer indigenti, & auxilium.

Inuocare ἐπικαλεῖσθαι, in ſacris literis ſignificationem habet non fortuitæ compellationis, ſed precationis ardentis, quæ implorat opem diuinam. Appellat autem Patrem cœleſtem Deum, δικαιοσύνης iuſticiæ ſuæ, qui erga ſe iuſtus ſit: qui conferat ſibi iuſticiam, eamq; teſtimonio ſuo comprobet. Non enim operum ſibi, & innocentiæ laudem arrogat vllam, quæ in conſpectu, iudicioq; diuino nequit conſiſtere: ſed eam prædicat iuſticiam, quæ gratis confertur homini à Deo: qui ipſe eſt iuſtus, & iuſtificat fidem habentes Ieſu Chriſto, ignoſcendo eis peccata, aſsignando innocentiam Filij, & communicando deniq; cum eis Spiritum Sanctum: à quo ad effigiem Dei renouentur: vt ipſum piè, iuſteq; colant omni vitæ tempore, conſtantes

ſtantes, immobiles, excellentes in negocio Domini, ſcientes ſuſceptum pro gloria vindicis ſui laborem vanum, & irritum non futurum. Hebræi tribulationem, θλίψιν, ſeu anguſtiam, de peccato in Betſabam, & Vriam intelligunt. Ad vocem anguſtiæ illud Nazianzeni referri poteſt. ἡ λύπη δέσμος τῆς καρδίας. 1. Cor. 15.

II.

Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Propoſitio obiurgatoria, per ἀποστροφήν. Vos optimates, & quicunq; obliti hominem, qui puluis eſt, & in puluerem redibit, faſtu, & ſuperbia elatos geritis animos: quouſq; gloriam meam lædetis ludibrio: &, de voluntate pendentem diuina, & in eius interminata miſericordia ponentem omnia, ridebitis: quouſq; falſis ſtudebitis ipſi, & rebus nitemini futiliſsimis: quæ nec conſolationem vobis, nec ſalutem afferre poſſunt? Filios hominum υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, appellat cum poteſtate pollentes omnes, tum in primis impios, & doctores, & auditores, qui nituntur iuſticia propria. Gloriam vocat & doctrinam ipſam, qua Deus celebratur, & calamitates crucis, quas mundus dedecus eſſe iudicat & ignominiam. Mendacium, ψεῦδος, impiorum eſt doctrina pariter, & iuſticia. Vanitas verò, ματαιότης, in rebus lætis, & ad voluntatem fluentibus iuſticiæ maxima cum temeritate, in triſtibus verò, & aduerſis, opum, diuitiarum, & potentiæ maxima cum ſtulticia confiſio. Opponit autem Propheta mendacium ei, quod dixerat: Deus iuſticiæ meæ: Vanitatem: qui in anguſtijs dilataſti, ἐπλάτυνας, conſolaris, & iuuas. Veram enim, ſinceramq; conſolationem ſolus Deus affert in calamitatibus: fiducia iuſticiæ operum, aut aliarum rerum inanis eſt, & futilis. Nemo

eſt,

eſt, qui non velit beatam vitam viuere: ſed vnde homo beatè viuat, hoc nemo vult quærere: verùm volentes beati eſſe, eas res quærunt, vnde miſeri ſint. Nulla res terrena te faciet beatum. Hæc ferè Auguſtinus Serm. 141. De tempore.

III.

Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.

προκατάληψις, *qua impiorum occurrit obiectioni de cruce, & calamitatibus. Miſeriæ quidem me, & ærumnæ premunt multæ: oppugnant aduerſarij, miſerum habet conſcientia: nec tamen odit me Dominus: qui modo mirabili, & ab omni ratione remoto, me, nullis meis meritis, ſed ſolo fauore, & indulgentia incitatus ſua, miſericordiam conſecutum, & ſanctum, innocentemq; redditum, & diuinis innixum promiſſionibus, tuetur, conſeruat, & defendit. Omnes inquit Apoſtolus,*
qui piè viuere, εὐσεβῶς ζῆν, *volunt in Chriſto Ieſu, perſecuti-*
2. Tim. 3. *onem patientur,* διωχθήσονται, *infeſtabuntur. In omnibus*
premimur, extrinſecus pugnis, & prælijs, intrinſecus timori-
2. Cor. 7. *bus,* ἔξωθεν μάχαις, ἔσωθεν φόβοις: *verùm virtus, & for-*
Oſeæ 6. *titudo Dei in infirmitate,* ἀσθενίᾳ, *imbecillitate, perficitur.*
Ipſe cepit (rapuit, lacerauit) & ſanabit nos: percuſſit (ſauciauit) & curabit nos (medebitur nobis.) Viuificabit nos (in vitam reuocabit) poſt duos dies (biduum) & die tertio ſuſcitabit (reddet nos vitæ) & viuemus in conſpectu eius (coram eo) Quem Græci hoc loco ὅσιον, *& Latini ſanctum, Hebræi miſericordem appellant: quæ vox paſſiuè intelligenda eſt: ſignificat autem non eum, qui nulla peccati labe ſit pollutus: ſed eum, qui neceſſe habet, ſibi vt tribuatur miſericordia.*

dia. Tales ſunt omnes homines, etiam ij, quorum ſanctitas quaſi lumen aliquod videtur elucere. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria diuina, vt inquit Apoſtolus: Et concluſit Deus omnes ſub incredulitatem (in contumaciam) vt omnium miſereatur. Rom. 3. 11. Præterea neceſſe habent omnes orare: Remitte nobis debita noſtra. Vnde rectiſſimè dixit Chryſoſtomus. αἰσχύνη μεγίστη τὸ δικαιοῦν ἑαυτὸν ἐνώπιον κυρίου. Inſignis eſt impudentia iuſtitiæ ſibi laudem coram Deo arrogare.

IIII.

Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Cohortatio ad eos, qui parum roboris habent, & virium: ne vel in Deum, qui malis benè eſſe patiatur, vel in impios, quibus proſperè omnia eueniant iracundia efferueſcant. Fieri vix poteſt, vt non bonis interdum viris ſceleratorum cum felicitas, tum nefariæ in doctrinam, & vitam piorum voces ſtomachum moueant: verùm ne animi perturbatione commoueamini: ſed vtimini patientia, perturbationes ſpiritu depellite, & loquentes in cubilibus veſtris ſilete: ac, ſubiectione humili ſub potentem manum Domini, cum animis conſiderantes, quid Dei verbum præcipiat, meditamini doctrinam cœleſtem, ac prauis animi motibus obſiſtite: certò perſuaſi, nihil temerè, nihil fortuito fieri in vniuerſo mundo: ſed omnia diuini Numinis conſilio adminiſtrari. Ephe. 4. Vſus eſt principio huius verſus Apoſtolus reſtrictione generis ad ſpeciem: ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Ita ira incendimini, vt ne peccetis (delinquatis, in ira perſeueretis, ſæuiatis.) Huc referenda. In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra (conſiſtet præſidium veſtrum) Eſaias. Eſa. 30. In patientia

tientia veſtra poſsidebitis animas veſtras (veſtræ ſaluti conſu-
Luc. 21. *letis patientia, & tolerantia veſtra) Chriſtus. Cùm oraueris,*
Matth. 6. *intra cubiculum tuum,* εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖον σου, *ingredere in conclaue tuum. Idem. Magna ars iraſci ſine peccato. Taulerus.* οὗ κατοικεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔνθα θυμός. *Vbi ira eſt, Spiritus ſanctus non habitat. Chryſoſtomus.*

V.

Sacrificate ſacrificium iuſticiæ, & ſperate in Domino.

In ſolo Deo ſpem ſalutis omnem reponite: &, ferendo crucem, & ærumnas ſacrificate quaſi & libate vos ipſi Deo. Sacrificium iuſticiæ, θυσία δικαιοσύνης, *eſt, qua præſtantiorem rem diuinam fecit Abel, quàm Cainus, Fides: quæ ſalutis fiduciam omnem in ſeminis Mulieris, hoc eſt, Chriſti ſanguine, & meritis reponit: & quæ comitantur eam, Amor proximi, & ex malis ereptionis expectatio. Illud* ἐλπίσατε ἐπὶ τὸν κύριον, *fidite Domino, interpretatio,* ἐξήγησις, *eſt prioris:* θύσατε θυσίαν δικαιοσύνης, *facite iuſta ſacrificia. Reſpicit aũt ad ſacrificia Hebræorum, quæ ſignificationem habebant victimæ futuræ, quæ Chriſtus: & imago erant mortificationis, & carnis quæ indomitæ belluæ inſtar continenter obnititur Spiritui peremtionis. Iubet ſperare, & dicit id eſſe iuſtum ſacrificium, ſignificans cætera ſacrificia non eſſe vera, & iuſta. Phœnix Apolog. Confeſſ.*

VI.

Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

Μίμησις, qua ridentium hanc doctrinam voces impiorum vates exprimit. Equidem de ſide tolerantiaq́; rerum incommodarum verba ad hunc modum ſacio. Quid verò, quorum plena ſunt omnia, impij ? Vtinam aiunt, monſtret nobis aliquis viam faciendæ pecuniæ, modum potiundarum voluptatum. rationem opum, potentiæq́; comparandæ. Quid enim boni afferri nobis poteſt doctrina, quam profitetur iſte? nos vero obſcura ſpe, & expectatione cæca pendere nolumus: manus noſtræ occulatæ ſunt: credunt quod vident: det Deus vitam, det opes, animum nobis æquum ipſi parabimus. ἐμοὶ τὰ παρόντα, τίς δὲ οἶδε τὰ μέλλοντα, Placent mihi præſentia: futura quis nouit? Baſilius. δός μοι τὴν σήμερον, καὶ λάβε τὴν αὔριον. Da mihi quæ ſunt hodie: craſtina tibi habe. Chryſoſtomus.

Sequitur δέησις, precatio, εἰκασία, in Hebræo ſumta à re bellica, exornata: in qua proponitur militibus vexillum, vt ad arma concurrant, & rem gerant fortiter. Reſpice nos pater, & ſanctiſſima vultus tui luce tenebris noſtris lumen affer: &, ſigno quaſi elato, robuſti animi vim nobis, et conſtantiam contra odia, calumnias, irriſiones, iactationesq́; hoſtium ſuffice. Qui verſum hunc Archaiſmi defenſores ad liberum aſſentiendi verbo Dei humanæ voluntatis motum, & facultatem transferunt: oſtendunt ſe ignaros linguæ, qua oracula diuina perſcripta ſunt, & rerum cœleſtium, quæ eſt Theologia, ſcientia ſatis inſtructos non eſſe. Vultus præſentiam ſignificat fauentis, & bene nobis cupientis Dei. Lumen, ſeu lux, τὸ φῶς τοῦ προσώπου τοῦ κυρίου, ipſum Dei verbum eſt, ſauorem nobis diuinum, & voluntatem beneuolentiamq́; denuncians: quod niſi cœleſti ſplendore colluſtrata ſide apprehendi non poteſt. Tertullianus pro vultus perſonæ legit, & addit. Perſona autem Dei Chriſtus Dominus, lib. 5. contra Martionem.

VII.

Dedi-

Dediſti lęticiam in corde meo: A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt.

ἀντίθεσις, ſeu contentio. Abundent ſanè aduerſatores doctrinæ noſtræ frumento, & vino: & animis inflati gratulentur ſibi hanc felicitatem, quòd in omnium rerum affluentia viuant: mihi ſatis eſt tuus fauor: quo quidem animum meum gaudio incredibili compleri ſentio, propter paternam in me tuam voluntatem, & beneuolentiam. In corde inquit, εἰς τὴν καρδίαν μου ἔδωκας εὐφροσύνην: quia non tantùm alit, defendit, & tuetur cœtum ſibi addictorum Deus: ſed interiore quoq; animi lęticia, in quo poſita ſunt omnia, voluptateq; perfundit. καρπὸς τοῦ σίτου καὶ οἴνου (nam ἔλαιον in Hebræo non eſt) non ad annonam modò referendus: ſed ad domos etiam magnificas, poſſeſsiones, opes, diuitias, honores, imperia, & quæ ſunt eiuſdem generis: quibus florere videmus ſeculis omnibus impios: iacente interea temporis Eccleſia, nec habente cum ſponſo ſuo Chriſto, quò caput reclinet. Quidam ſententiam verſus huius hoc modo explanant. Afficis animum meum voluptate, quæ maior eſt ea lęticia, qua ex annonæ, frumenti atq; vini vbertate homines fortunati perfunduntur.

VIII.

In pace in id ipſum: dormiam & requieſcam: quoniam tu Domine: ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Concluſio. Tua ergo beneuolentia fretus Domine, omni cura, ſollicitudineq; in te reiecta ſecuro, & tranquillo animo

nimo conſiſtam, quàm diu in hac fragili, & caduca vita manſero: &, cùm euocatus abs te ex mortali hoc corpore fuero, quieta mente hinc diſcedam: & quaſi dulciſsimo ſomno conſopitus, placidè vitam cum morte commutabo. Pax, ἐυθυμία *eſt, hilaritas ſancta, & tranquillitas animi placati, & cum Deo in amiciciam reconciliati. Hæc teſte Deo gaudet, iudicio contenta ſuo, vt canit Alcimus.* Τῶν προσδοκωμένων ἀγαθῶν ἡ θλίψις ἄνθος ἐστι: διὰ οὖν τὸν καρπὸν, καὶ τὸ ἄνθος δρεψώμεθα. *Bonorum, quæ expectantur flos eſt calamitas: quare propter fructum, florem etiam decerpamus. Baſilius. Hunc Pſalmum Auguſtinus, adhuc* κατηχούμενος *cùm dolore dentium excruciatus loqui non valeret, legiſſe, & oraſſe ſcribit ſeſe cum ſuis, & dolorem fugiſſe. Confeß. lib. 9.*

PSALMVS V.

HAEREDITAS.

CIuitas Chriſtiana, quæ eſt Eccleſia, turbulentis hominum ſeditioſorum conſilijs perpetuò infeſtatur: & reperiuntur ſeculis omnibus, tum quibus maiori curæ eſt, quemadmodum argutiarum plagas texant in docendo: quàm qua ratione veri iudicium exquirant: tum ſuperbi, doctrinæq; cœleſtis contemtores: qui multa confingunt ad ſpeciem ſanctitatis adumbrata: quibus incautos à via veritatis ad ſua futilia commenta traducant: vt iam de hoſtibus, & deſciſcentibus, transfugiſq; nihil dicatur: qui ad ſimulatores pietatis pariter, & tyrannos ſeſe applicant, & ſub prætextu nominis diuini, maxima detrimenta important Reip. ſanctæ. Hos igitur accuſat hoc Pſalmo Propheta: &, doctrinam eorum, vitamq; depin-

gens, ſatuos, maleficos, mendaces, ſanguinarios, & fraudulentos appellat: quorum in ore certi nihil ſit: quorum cor dirum, guttur voraginis inſtar degglutiat, & abſorbeat ſortunas, corpora, & animos hominum: deniq́, qui, linguis ſuis doloſe agentes, aliud clauſum pectore, promptum aliud ore habeant. Petit autem deleri eos à Deo, & exterminari funditus: vt τῇ κληρονομούσῃ, quæ vitæ æternæ hæreditatem cernet, Eccleſiæ, vera doctrina integra maneat, & incorrupta: atq́ ex præſcripto verbi diuini colatur Deus, & ab omnibus inuocetur.

I. II. III.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo.

Domine: mane exaudies vocem meam: mane aſtabo tibi & videbo.

Exordium ποικιλίᾳ τῶν ὀνομάτων, ſeu μεταβολῇ exornatum, & amplificatum: qua excitatus, & ardens orantis affectus exprimitur. Summe parens, qui exiſtens per te, tuiq́; pollens, res omnes ex nihilo conſtitutas moderaris, & gubernas, ſit locus apud te verbis meis: exaudi meas voces, excipe preces meas, perpende, & intellige clamorem, voci deniq́ orationis, & querele meæ aures attentas præbe Rex meus, & Deus meus. Tuam enim fidem obteſtor, tuum auxilium intueor, de te ſolo pendeo: primo diluculo tuam miſericordiam imploro Domine: cùm rubeſcit manè ſtellis aurora fugatis, tibi præſtò ſum,

ſtò ſum, teq́; veneror. neq; verò non & exaudiri me abs te, defendi, regi, gubernari, &, cultus, quos nomini tuo adhibeo, eos tibi gratos eſſe, & acceptos intelligo. Sunt, quibus ex Hebræo in verſu tertio in acie ſtare, placeat cum Deo, & in ſpecula: quæ imagines à re bellica ſumuntur. Attribuit autem Dauides Deo κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν aures, vt alibi oculos, & manus. Secundum enim corpus, inquit Theodoretus, diuinæ literæ loquuntur de Deo, humanis auribus ſermonem accommodantes. Eſt quidem Spiritus Deus æternus, omnipotens, penetrans, & continens omnia, vbiq; plenus, vbiq; totus, de ſe, & per ſe coruſcus: verùm ex noſtra tamen conſuetudine, virtus, qua videt, oculi dicuntur, virtus, qua audit, aures appellantur, virtus, qua perficit, manus vocantur. Caſsiodorus.

Clamor, κραυγὴ, non ſignificat hoc loco vociferationem, ſed murmur, ſeu meditationem, quando in precibus intimis animi ſenſibus quis loquitur, vt mater Samuelis: quæ licet labra moueat, vocem tamen non edit. Iam diluculum, ſeu tempus matutinum, τὸ πρωῒ, cum gerendis negocijs omnibus, tum verò precationi, & ſacris rebus eſt aptiſsimum. Recte igitur inquit Propheta, τὸ πρωῒ παραστήσομαί σοι, καὶ ἐπόψομαι, mane tibi intentus præſto ero: & vt miſero mihi, & afflicto opem feras, & auxilium expectabo. Diluculo enim, 1. Reg. 1.

Aurea cum fulget roſeis aurora quadrigis,

& corpus aptum eſt, & accommodum ad omnia munia obeunda, & animus quoq; diſcuſsis, quæ exhalare ſolent ex ventriculo nebulis, quibus mentis ſedes quaſi obnubilatur, ad lectionem, meditationemq́; verbi diuini, & rerum cœleſtium conſiderationem eſt alacrior. Quare & alibi mane extollit Propheta miſericordiam Domini, & diluculum querelis præuenit: & apud Lucam mane ex diſcipulis ſuis duodecim eligit Apoſtolos Chriſtus: & populus audiendæ ſalutaris doctrinæ cupidus, mane ad illum confluit. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Solomon, Auguſtinus, vt etiam ante ipſum Arnobius, Pſal. 88. Prouer. 9.

Concluſio ἐκ πληροφορίας τῆς πίστεως *profecta, adiecta petitione: quam confirmat* ἐκ τῶν ἠγνοημένων, *quæ oratione modificata exponuntur. Cùm in grauiſſimis ærumnis, & miſerijs opem mihi, auxiliumq; tulerit, à Leone, & Vrſo defenderit, à Goliatho vindicarit, ex peccati deniq; ſomno excitatum ex mortis faucibus eripuerit Deus: non formidabo, fretus ipſius præſidio, vel innumeras legiones circumſedentium me hoſtium, bellumq; mihi facientium. Ades igitur Domine, & me defende: qui inimicis meis colaphos incuſſiſti, & dentes conſceleratorum confregiſti. Nihil mali metuo, quoniam tu mecum es. Autor.*

Pſal. 23. Frangit *malas aduerſantium pijs,* πατάσσει τοὺς ἐχθραίνοντας Δαυίδ ματαίως, *& dentes excutit peccatoribus,* τοὺς ὀδόντας συντρίβει τῶν ἁμαρτωλῶν *Deus, cũ atrocium belluarum inſtar furentium conatus, violentiamq; reprimit: & ſæpè quidem in viuos, ſemper autem in mortuos flagitioſam illorum immanitatem vindicat.*

VIII.

Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

ἐπιφώνημα γνωμικόν, καὶ εὐχαριστικόν. *Tuum vnius eſt Domine conſeruare, & fauore complecti pios: tuum bonis omnibus iuuare, & cumulare, qui ad te confugiunt: & omnes ſpes, cogitationesq; ſuas in infinita tua miſericordia collocant.* Salus Domini, ἡ σωτηρία τοῦ κυρίου, ἐνεργητικῶς, *auxilium, cui* πάντα εὔκολα, *Dei ſignificat: & ex miſerijs, & calamitatibus ereptionem.* Benedictio, εὐλογία, *fauore, & beneuolentia de promiſſionibus ſuis comprehendentis nos miſericordia eſt Numinis, & clementia.*

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει πόνος. *Nazianzenus.*

Liuor

Liuor ſauente nil nocet quidquam Deo:
Et non ſauente, nil facit quidquam Labor.

Domini eſt ſalus, inquit Auguſtinus, qua ſaluos facit: quemadmodum iuſticia Dei, quam impertiendo iuſtos facit: Et, ſicut nemo eſt à ſeipſo: ita nemo ſaluus eſt à ſeipſo. Idem Expoſu. in Euang. Iohan. Tractatu 34.

PSALMVS IIII.

CRVX.

Παρακέλευσις conſolatoria cum precatione,& obiurgatione. Pater cœleſtis ſub crucem,& calamitates non ſine certo conſilio amantes ſui ſubijcit: ac vexant eos, conniuente illo, homines conſcelerati, & à pietate remoti. Quare primùm conſolatur hoc Pſalmo ſeſe vates regius cœleſtis bonitatis, & clementiæ explorata erga ſe, & cœtum piorum fauore, & beneuolentia: Et cum ipſe auxilium Dei contra oppugnatores ſalutis ſuæ implorat: tum alios quoque docet, & exemplo hortatur ſuo: vt in rebus triſtibus, & aduerſis in ſolo Deo ſpem omnem, fiduciamque figant. Deinde obiurgat impios, qui in calamitatibus ad Deos confugiunt, quos opinionis errore ſibi adſciſcunt, adoptantque: &,humana quærentes præſidia, forti, & excelſo animo auxilium Dei expectare nolunt: cùm tamen ille & vnus, & ſolus ſalutem dare, ſolus ſanctos ſuos modo mirabili, fide, patientiaque illorum ærumnis prius exploratis, iuuare & poſsit, & velit. Verum impij in eam curam,cogitationemque noctes, & dies defixi ſunt: qua ratione ita rebus ſuis conſulant, & proſpiciant: vt bene ſibi ſit, & ſecuri in omnium rerum abundantia vitam tranſigant.Quod ſi quando in felicitatem illorum tranſuerſa incur-

rit calamitas: tum ad alia potius omnia, quàm ad Dei auxilium confugiunt. Qua re cum fieri nihil poſſit, ad quod maiorem offenſionem numen cœleſte habeat: nimirum beatiſsimi ſunt, qui repudiatis rebus, quibus impij ſeſe magnificè efferunt, omnibus, in ſola Dei miſericordia, beneuolentiaq; conquieſcunt.

I.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Exordium δεικτικὸν συνωνυμίᾳ, καὶ εἰκασίᾳ illuſtratum. Qui omnia poteſtate infinita complecteris, rerum parens, & conſeruator optime & maxime, à quo mea iuſticia pendet vniuerſa, faciles, & benignas aures ad preces meas adhibe: qui, cum res, copiæq; meæ in anguſtum quaſi coguntur, ex periculis eripis me, & ex malis, ærumniſq; explicas, opem fer indigenti, & auxilium.

Inuocare ἐπικαλεῖσθαι, in ſacris literis ſignificationem habet non fortuitæ compellationis, ſed precationis ardentis, quæ implorat opem diuinam. Appellat autem Patrem cœleſtem Deum, δικαιοσύνης iuſticiæ ſuæ, qui erga ſe iuſtus ſit: qui conferat ſibi iuſticiam, eamq; teſtimonio ſuo comprobet. Non enim operum ſibi, & innocentiæ laudem arrogat vllam, quæ in conſpectu, iudicioq; diuino nequit conſiſtere: ſed eam prædicat iuſticiam, quæ gratis confertur homini à Deo: qui ipſe eſt iuſtus, & iuſtificat fidem habentes Ieſu Chriſto, ignoſcendo eis peccata, aſsignando innocentiam Filij, & communicando deniq; cum eis Spiritum Sanctum: à quo ad effigiem Dei renouentur: vt ipſum piè, iuſteq; colant omni vitæ tempore, conſtantes

ſtantes, immobiles, excellentes in negocio Domini, ſcientes ſuſceptum pro gloria vindicis ſui laborem vanum, & irritum non futurum. Hebræi tribulationem, θλῖψιν, ſeu anguſtiam, de peccato in Betſabam, & Vriam intelligunt. Ad vocem anguſtiæ illud Nazianzeni referri poteſt. ἡ λύπη δέσμος τῆς καρδίας. 1. Cor. 15.

II.

Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Propoſitio obiurgatoria, per ἀποστροφήν. Vos optimates, & quicunq; obliti hominem, qui puluis eſt, & in puluerem redibit, faſtu, & ſuperbia elatos geritis animos: quouſq; gloriam meam lædetis ludibrio: &, de voluntate pendentem diuina, & in eius interminata miſericordia ponentem omnia, ridebitis: quouſq; falſis ſtudebitis ipſi, & rebus nitemini futiliſsimis: quæ nec conſolationem vobis, nec ſalutem afferre poſſunt? Filios hominum υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, appellat cum poteſtate pollentes omnes, tum in primis impios, & doctores, & auditores, qui nituntur iuſticia propria. Gloriam vocat & doctrinam ipſam, qua Deus celebratur, & calamitates crucis, quas mundus dedecus eſſe iudicat & ignominiam. Mendacium, ψεῦδος, impiorum eſt doctrina pariter, & iuſticia. Vanitas verò, ματαιότης, in rebus lætis, & ad voluntatem fluentibus iuſticiæ maxima cum temeritate, in triſtibus verò, & aduerſis, opum, diuitiarum, & potentiæ maxima cum ſtulticia confiſio. Opponit autem Propheta mendacium ei, quod dixerat: Deus iuſticiæ meæ: Vanitatem: qui in anguſtijs dilataſti, ἐπλάτυνας, conſolaris, & iuuas. Veram enim, ſinceramq; conſolationem ſolus Deus affert in calamitatibus: fiducia iuſticiæ operum, aut aliarum rerum inanis eſt, & futilis. Nemo

eſt.

eſt, qui non velit beatam vitam viuere: ſed vnde homo beatè viuat, hoc nemo vult quærere: verùm volentes beati eſſe, eas res quærunt, vnde miſeri ſint. Nulla res terrena te faciet beatum. Hæc ferè Auguſtinus Serm. 141. De tempore.

III.

Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.

προκατάληψις, *qua impiorum occurrit obiectioni de cruce, & calamitatibus. Miſeriæ quidem me, & ærumnæ premunt multæ: oppugnant aduerſarij, miſerum habet conſcientia: nec tamen odit me Dominus; qui modo mirabili, & ab omni ratione remoto, me, nullis meis meritis, ſed ſolo fauore, & indulgentia incitatus ſua, miſericordiam conſecutum, & ſanctum, innocentemq; redditum, & diuinis innixum promiſſionibus, tuetur, conſeruat, & defendit. Omnes inquit Apoſtolus, qui piè viuere,* εὐσεβῶς ζῆν, *volunt in Chriſto Ieſu, perſecuti-*
2. Tim. 3. *onem patientur,* διωχθήσονται, *infeſtabuntur. In omnibus premimur, extrinſecus pugnis, & prælijs, intrinſecus timori-*
2. Cor. 7. Oſeæ 6. *bus,* ἔξωθεν μάχαις, ἔσωθεν φόβοις: *verùm virtus, & fortitudo Dei in infirmitate,* ἀσθενείᾳ, *imbecillitate, perficitur. Ipſe cepit (rapuit, lacerauit) & ſanabit nos: percuſſit (ſauciauit) & curabit nos (medebitur nobis.) Viuificabit nos (in vitam reuocabit) poſt duos dies (biduum) & die tertio ſuſcitabit (reddet nos vitæ) & viuemus in conſpectu eius (coram eo) Quem Græci hoc loco* ὅσιον, *& Latini ſanctum, Hebræi miſericordem appellant: quæ vox paſſiuè intelligenda eſt: ſigni-gnificat autem non eum, qui nulla peccati labe ſit pollutus: ſed eum, qui neceſſe habet, ſibi vt tribuatur miſericordia.*

dia. Tales ſunt omnes homines, etiam ij, quorum ſanctitas quaſi lumen aliquod videtur elucere. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria diuina, vt inquit Apoſtolus: Et concluſit Deus omnes ſub incredulitatem (in contumaciam) vt omnium miſereatur. Rom. 3. 11. *Praeterea neceſſe habent omnes orare: Remitte nobis debita noſtra. Unde rectiſsimè dixit Chryſoſtomus. αἰσχύνη μεγίστη τὸ δικαιοῦν ἑαυτὸν ἐνώπιον κυρίου. Inſignis eſt impudentia iuſtitiæ ſibi laudem coram Deo arrogare.*

IIII.

Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Cohortatio ad eos, qui parum roboris habent, & virium: ne vel in Deum, qui malis benè eſſe patiatur, vel in impios, quibus proſperè omnia eueniant iracundia efferueſcant. Fieri vix poteſt, vt non bonis interdum viris ſceleratorum cum felicitas, tum nefariæ in doctrinam, & vitam piorum voces ſtomachum moueant: verùm ne animi perturbatione commoueamini: ſed vtimini patientia, perturbationes ſpiritu depellite, & loquentes in cubilibus veſtris ſilete: ac, ſubiectione humili ſub potentem manum Domini, cum animis conſiderantes, quid Dei verbum præcipiat, meditamini doctrinam cœleſtem, ac prauis animi motibus obſiſtite: certò perſuaſi, nihil temerè, nihil fortuito fieri in vniuerſo mundo: ſed omnia diuini Numinis conſilio adminiſtrari. Ephe. 4. *Vſus eſt principio huius verſus Apoſtolus reſtrictione generis ad ſpeciem: ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Ita ira incendimini, vt ne peccetis (delinquatis, in ira perſeueretis, ſæuiatis.) Huc referenda. In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra (conſiſtet præſidium veſtrum) Eſaias. In pa-* Eſa. 30.

tientia

tientia veſtra poßidebitis animas veſtras (veſtræ ſaluti conſu-
Luc. 21. *letis patientia, & tolerantia veſtra) Chriſtus. Cum orauer is,*
Matth. 6. *intra cubiculum tuum,* εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖον σου, *ingredere in conclaue tuum. Idem. Magna ars iraſci ſine peccato. Taulerus.* οὐ κατοικεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔνθα θυμός. *Vbi ira eſt, Spiritus ſanctus non habitat. Chryſoſtomus.*

V.

Sacrificate ſacrificium iuſticiæ, & ſperate in Domino.

In ſolo Deo ſpem ſalutis omnem reponite: &, ferendo crucem, & ærumnas ſacrificate quaſi & libate vos ipſi Deo. Sacrificium iuſticiæ, θυσία δικαιοσύνης, *eſt, qua præſtantiorem rem diuinam fecit Abel, quàm Cainus, Fides: quæ ſalutis fiduciam omnem in ſeminis Mulieris, hoc eſt, Chriſti ſanguine, & meritis reponit: & quæ comitantur eam, Amor proximi, & ex malis ereptionis expectatio. Illud* ἐλπίσατε ἐπὶ τὸν κύριον, *fidite Domino, interpretatio,* ἐξήγησις, *eſt prioris:* θύσατε θυσίαν δικαιοσύνης, *facite iuſta ſacrificia. Reſpicit aũt ad ſacrificia Hebræorum, quæ ſignificationem habebant victimæ futuræ, quæ Chriſtus; & imago erant mortificationis, & carnis quæ indomitæ belluæ inſtar continenter obnititur Spiritui peremtionis. Iubet ſperare, & dicit id eſſe iuſtum ſacrificium, ſignificans cætera ſacrificia non eſſe vera, & iuſta. Phœnix Apolog. Confeß.*

VI.

Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

μίμησις, qua ridentium hanc doctrinam voces impiorum vates exprimit. Equidem de fide tolerantiaq; rerum incommodarum verba ad hunc modum facio. Quid verò, quorum plena ſunt omnia, impij? Vtinam aiunt, monſtret nobis aliquis viam faciendæ pecuniæ, modum potiundarum voluptatum, rationem opum, potentiæq; comparandæ. Quid enim boni afferri nobis poteſt doctrina, quam profitetur iſte? nos vero obſcura ſpe, & expectatione cæca pendere nolumus: manus noſtræ occulatæ ſunt: credunt quod vident: det Deus vitam, det opes, animum nobis æquum ipſi parabimus. ἐμοὶ τὰ παρόντα, τίς δὲ οἶδε τὰ μέλλοντα, Placent mihi præſentia: futura quis nouit? Baſilius. δός μοι τὴν σήμερον, καὶ λάβε τὴν αὔριον. Da mihi quæ ſunt hodie: craſtina tibi habe. Chryſoſtomus.

Sequitur δέησις, precatio, εἰκασία, in Hebræo ſumta à re bellica, exornata: in qua proponitur militibus vexillum, vt ad arma concurrant, & rem gerant fortiter. Reſpice nos pater, & ſanctiſsima vultus tui luce tenebris noſtris lumen affer: &, ſigno quaſi elato, robuſti animi vim nobis, et conſtantiam contra odia, calumnias, irriſiones, iactationesq; hoſtium ſuffice. Qui verſum hunc Archaiſmi defenſores ad liberum aſſentiendi verbo Dei humanæ voluntatis motum, & facultatem transferunt: oſtendunt ſe ignaros linguæ, qua oracula diuina perſcripta ſunt, & rerum cœleſtium, quæ eſt Theologia, ſcientia ſatis inſtructos non eſſe. Vultus præſentiam ſignificat fauentis, & bene nobis cupientis Dei. Lumen, ſeu lux, τὸ φῶς τοῦ προσώπου τοῦ κυρίου, ipſum Dei verbum eſt, fauorem nobis diuinum, & voluntatem beneuolentiamq; denuncians: quod niſi cœleſti ſplendore colluſtrata fide apprehendi non poteſt. Tertullianus pro vultus perſonæ legit, & addit. Perſona autem Dei Chriſtus Dominus, lib. 5. contra Martionem.

VII.

Dedi-

Dediſti læticiam in corde meo: A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt.

ἀντίθεσις, ſeu contentio. Abundent ſanè aduerſatores doctrinæ noſtræ frumento, & vino: & animis inflati gratulentur ſibi hanc felicitatem, quòd in omnium rerum affluentia viuant: mihi ſatis eſt tuus fauor: quo quidem animum meum gaudio incredibili compleri ſentio, propter paternam in me tuam voluntatem, & beneuolentiam. In corde inquit, εἰς τὴν καρδίαν μου ἔδωκας εὐφροσύνην: quia non tantùm alit, defendit, & tuetur cœtum ſibi addictorum Deus: ſed interiore quoq; animi læticia, in quo poſita ſunt omnia, voluptateq́; perfundit. κάρπος τοῦ σίτου καὶ οἴνου (nam ἔλαιον in Hebræo non eſt) non ad annonam modò referendus: ſed ad domos etiam magnificas, poſſeßiones, opes, diuitias, honores, imperia, & quæ ſunt eiuſdem generis: quibus florere videmus ſeculis omnibus impios: iacente interea temporis Eccleſia, nec habente cum ſponſo ſuo Chriſto, quò caput reclinet. Quidam ſententiam verſus huius hoc modo explanant. Afficis animum meum voluptate, quæ maior eſt ea læticia, qua ex annonæ, frumenti atq; vini vbertate homines fortunati perfunduntur.

VIII.

In pace in id ipſum: dormiam & requieſcam: quoniam tu Domine: ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Concluſio. Tua ergo beneuolentia fretus Domine, omni cura, ſollicitudineq́; in te reiecta ſecuro, & tranquillo animo

nimo conſiſtam, quàm diu in hac fragili, & caduca vita manſero: &, cùm euocatus abs te ex mortali hoc corpore fuero, quieta mente hinc diſcedam: & quaſi dulciſsimo ſomno conſopitus, placidè vitam cum morte commutabo. Pax, ἐυθυμία *eſt, hilaritas ſancta, & tranquillitas animi placati, & cum Deo in amiciciam reconciliati. Hæc teſte Deo gaudet, iudicio contenta ſuo, vt canit Alcimus.* Τῶν προσδοκωμένων ἀγαθῶν ἡ θλῖψις ἄνθος ἐστι: διὰ οὖν τὸν καρπὸν, καὶ τὸ ἄνθος δρεψώμεθα. *Bonorum, quæ expectantur flos eſt calamitas: quare propter fructum, florem etiam decerpamus. Baſilius. Hunc Pſalmum Auguſtinus, adhuc* κατηχούμενος *cùm dolore dentium excruciatus loqui non valeret, legiſſe, & oraſſe ſcribit ſeſe cum ſuis, & dolorem fugiſſe. Confeſſ. lib. 9.*

PSALMVS V.

HAEREDITAS.

CIuitas Chriſtiana, quæ eſt Eccleſia, turbulentis hominum ſeditioſorum conſilijs perpetuò infeſtatur: & repêriuntur ſeculis omnibus, tum quibus maiori curæ eſt, quemadmodum argutiarum plagas texant in docendo: quâm qua ratione veri iudicium exquirant: tum ſuperbi, doctrinæq́ꝫ cœleſtis contemtores: qui multa confingunt ad ſpeciem ſanctitatis adumbrata: quibus incautos à via veritatis ad ſua futilia commenta traducant: vt iam de hoſtibus, & deſciſcentibus, transfugisq́ꝫ nihil dicatur: qui ad ſimulatores pietatis pariter, & tyrannos ſeſe applicant, & ſub prætextu nominis diuini, maxima detrimenta important Reip. ſanctæ. Hos igitur accuſat hoc Pſalmo Propheta: &, doctrinam eorum, vitamq́ꝫ depin-

gens, ſatuos, maleficos, mendaces, ſanguinarios, & fraudulentos appellat: quorum in ore certi nihil ſit: quorum cor dirum, guttur voraginis inſtar deglutiat, & abſorbeat fortunas, corpora, & animos hominum: deniq; qui, linguis ſuis doloſe agentes, aliud clauſum pectore, promptum aliud ore habeant. Petit autem deleri eos à Deo, & exterminari funditus: vt τῇ κληρονομούσῃ, quæ vitæ æternæ hæreditatem cernet, Eccleſiæ, vera doctrina integra maneat, & incorrupta: atq; ex præſcripto verbi diuini colatur Deus, & ab omnibus inuocetur.

I. II. III.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo.

Domine: mane exaudies vocem meam: mane aſtabo tibi & videbo.

Exordium ποικιλίᾳ τῶν ὀνομάτων, ſeu μεταβολῇ exornatum, & amplificatum: qua excitatus, & ardens orantis affectus exprimitur. Summe parens, qui exiſtens per te, tuiq; pollens, res omnes ex nihilo conſtitutas moderaris, & gubernas, ſit locus apud te verbis meis: exaudi meas voces, excipe preces meas, perpende, & intellige clamorem, voci deniq; orationis, & querele meæ aures attentas præbe Rex meus, & Deus meus. Tuam enim fidem obteſtor, tuum auxilium intueor, de te ſolo pendeo: primo diluculo tuam miſericordiam imploro Domine: cùm rubeſcit manè ſtellis aurora fugatis, tibi præ-

ſtò ſum,

ſtò ſum, teq́; veneror. neq; verò non & exaudiri me abs te, defendi, regi, gubernari, &, cultus, quos nomini tuo adhibeo, eos tibi gratos eſſe, & acceptos intelligo. Sunt, quibus ex Hebræo in verſu tertio in acie ſtare, placeat cum Deo, & in ſpecula: quæ imagines à re bellica ſumuntur. Attribuit autem Dauides Deo κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν *aures, vt alibi oculos, & manus Secundum enim corpus, inquit Theodoretus, diuinæ literæ loquuntur de Deo, humanis auribus ſermonem accommodantes. Eſt quidem Spiritus Deus æternus, omnipotens, penetrans, & continens omnia, vbiq; plenus, vbiq; totus, de ſe, & per ſe coruſcus: verùm ex noſtra tamen conſuetudine, virtus, qua videt, oculi dicuntur, virtus, qua audit, aures appellantur, virtus, qua perficit, manus vocantur. Caßiodorus.*

Clamor, κραυγὴ, *non ſignificat hoc loco vociferationem, ſed murmur, ſeu meditationem, quando in precibus intimis animi ſenſibus quis loquitur, vt mater Samuelis: quæ licet* 1. Reg. 1.
labra moueat, vocem tamen non edit. Iam diluculum, ſeu tempus matutinum, τὸ πρωῒ, *cum gerendis negocijs omnibus, tum verò precationi, & ſacris rebus eſt aptißimum. Recte igitur inquit Propheta,* τὸ πρωῒ παραςήσομαί σοι, καὶ ἐπόψομαι, *mane tibi intentus præſtò ero: & vt miſero mihi, & afflicto opem feras, & auxilium expectabo. Diluculo enim,*

Aurea cum fulget roſeis aurora quadrigis,

& corpus aptum eſt, & accommodum ad omnia munia obeunda, & animus quoq; diſcußis, quæ exhalare ſolent ex ventriculo nebulis, quibus mentis ſedes quaſi obnubilatur, ad lectionem, meditationemq́; verbi diuini, & rerum cœleſtium conſiderationem eſt alacrior. Quare & alibi mane extollit Propheta miſericordiam Domini, & diluculum querelis præuenit: & a- Pſal. 88.
pud Lucam mane ex diſcipulis ſuis duodecim eligit Apoſtolos Chriſtus: & populus audiendæ ſalutaris doctrinæ cupidus, mane ad illum confluit. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Solomon, Auguſtinus, vt etiam ante ipſum Arnobius, Prouer. 9.

mane ἀλληγορικῶς interpretantur, de die, qui exoriturus eſt, tranſacta nocte huius ſeculi, tranſactis erroribus tentationum, ſuperato illo Leone, qui nocte rugiens circumit, quem deuoret, quærens. Expoſ. Euang. Iohan. Tractatu 34.

IIII. V. VI.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: neq; habitabit iuxta te malignus.

Neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos: odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium: virum ſanguinum, & doloſum abominatur Dominus.

Narratio: quæ deſcriptione, καταγραφῇ, conſtat impiorum doctorum, κατ' ἐξεργασίαν, expolitionem διαιρετικὴν, καὶ ἀπαρίθμησιν: impietatis enim ſpecies, formasq; diſtributas enumerat. Huic narrationi intexitur petitio, cuius Propoſitio eſt: Impiarum diſciplinarum magiſtros dele. Non is Deus es, cui cordi ſit improbitas: auerſaris impios: alienum habes animum à falſorum dogmatum concinnatoribus: non habitant in domo tua, qui fidem, quam dederunt tibi, non tuentur: non conſiſtunt coram te inſani: odium habes maleficiorum: falſiloquos euertis: ſanguinarios, qui in ciuitate tua violanda fraudes concipiunt, deteſtaris Domine. τὸ ὅτι, Quoniam παραπληρωματικὸν completiuum eſt, vt loquuntur literatores de genere τῶν συνδέσμων, quæ ornatus magis gratia adduntur, quàm neceſſitatis: de qua particula, quem poſt inſtau-

inſtauratorem Theologiæ ſincerioris libenter ſequimur in hoc commentariolo, ſic ſcribit in explanationum ſuarum Præfatione. Flaminius. Quoniam, magnas aliquando tenebras offundit orationi, niſi præmonitus ſis, eundem ſcriptorem hoc vocabulo non ſolùm ad expoſitionem cauſarum, ſed etiam ad orationis ornatum, aut rem aſſeueranter affirmandam vti conſueuiſſe: Eiuſmodi ſunt apud Latinos, quidem, mehercule, profectò. Aurea autem eſt hæc ſententia. οὐχὶ θεὸς θέλων ἀνομίαν εἶ σύ. Non enim Deus architectator eſt ſcelerum, & facinorum (licet eorundem tamen ſit ordinator, vt qui ex tenebris lucem ſoleat elicere) ſed τὸ φθονερὸν σκότος ἐπεισελθὸν τὴν κακίαν ἐδημιούργησε, vt inquit Nazianzenus: quare nec approbat peccatum, ſed verè offenſionem, atq; faſtidium habet ad illud, & horrendum in modum ſceleribus omnibus iraſcitur. Vnde rectè Auguſtinus. Credimus ex vno Deo omnia eſſe quæ ſunt: & tamen non eſſe autorem peccatorum, & præclariſſimè Prudentius.

Inuentor vicij non eſt Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.

Atq; huc referri poteſt illud Tertulliani. Quod ab æmulo Dei conceptum eſt, vtiq; non eſt amicum Dei rebus. Eadem diſcordia eſt rerum, quæ & autorum. τὸ ἁμαρτάνειν ἐνέργειά ἐστι καὶ οὐκ οὐσία, διὸ οὐδὲν ἔργον θεοῦ, Peccatum efficacitatis vis eſt, non ſubſtantia: ideoq; minimè Dei opus. Clemens. Malum non eſt aliqua natura, ſed naturæ vicium. Obſeruandum vero eſt, diſtribuere Prophetam hoſtes & aduerſarios Eccleſiæ, eosq; in claſſes quaſi, & tribus ſex digerere. Volentes iniquitatem: malos, ſeu malignos: iniuſtos: operarios iniquitatis: loquentes mendacium: viros deniq; ſanguinum, & doloſos. Impij, ἀσεβεῖς, qui ſint, docet Pſalmus primus: ijs è regione ſiſtit, οὐ θέλοντα ἀνομίαν, non probantem iniquitatem, impietatemq;, qui ſunt cultus nugatorij, & actionum propriarum confiſio, Deum. Mali ſeu maligni, πονη-

mane ἀλληγορικῶς interpretantur, de die, qui exoriturus eſt, tranſacta nocte huius ſeculi, tranſactis erroribus tentationum, ſuperato illo Leone, qui nocte rugiens circumit, quem deuoret, quærens. Expoſ. Euang. Iohan. Tractatu 34.

IIII. V. VI.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: neq; habitabit iuxta te malignus.

Neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos: odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium: virum ſanguinum, & doloſum abominatur Dominus.

Narratio: quæ deſcriptione, καταγραφῇ, conſtat impiorum doctorum, κατ᾽ ἐξεργασίαν, expolitionem διαιρετικὴν, καὶ ἀπαρίθμησιν: impietatis enim ſpecies, formasq; diſtributas enumerat. Huic narrationi intexitur petitio, cuius Propoſitio eſt: Impiarum diſciplinarum magiſtros dele. Non is Deus es, cui cordi ſit improbitas: auerſaris impios: alienum habes animum à falſorum dogmatum concinnatoribus: non habitant in domo tua, qui fidem, quam dederunt tibi, non tuentur: non conſiſtunt coram te inſani: odium habes maleficiorum: falſiloquos euertis: ſanguinarios, qui in ciuitate tua violanda fraudes concipiunt, deteſtaris Domine. τὸ ὅτι, Quoniam παραπληρωματικὸν completiuum eſt, vt loquuntur literatores de genere τῶν συνδέσμων, quæ ornatus magis gratia adduntur, quàm neceſſitatis: de qua particula, quem poſt inſtau-

inſtauratorem Theologiæ ſincerioris libenter ſequimur in hoc commentariolo, ſic ſcribit in explanationum ſuarum Præfatione. Flaminius. Quoniam, magnas aliquando tenebras offundit orationi, niſi præmonitus ſis, eundem ſcriptorem hoc vocabulo non ſolùm ad expoſitionem cauſarum, ſed etiam ad orationis ornatum, aut rem aſſeueranter affirmandam vti conſueuiſſe: Eiuſmodi ſunt apud Latinos, quidem, mehercule, profectò. Aurea autem eſt hæc ſententia. οὐχὶ θεὸς θέλων ἀνομίαν εἶ σὺ. *Non enim Deus architectator eſt ſcelerum, & facinorum (licet eorundem tamen ſit ordinator, vt qui ex tenebris lucem ſoleat elicere) ſed* τὸ φθονερὸν σκότος ἐπεισελθὸν τὴν κακίαν ἐδημιούργησε, *vt inquit Nazianzenus: quare nec approbat peccatum, ſed verè offenſionem, atq; faſtidium habet ad illud, & horrendum in modum ſceleribus omnibus iraſcitur. Vnde rectè Auguſtinus. Credimus ex vno Deo omnia eſſe quæ ſunt: & tamen non eſſe autorem peccatorum, & præclariſsimè Prudentius.*

Inuentor vicij non eſt Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.

Atq; huc referri poteſt illud Tertulliani. Quod ab æmulo Dei conceptum eſt, vtiq; non eſt amicum Dei rebus. Eadem diſcordia eſt rerum, quæ & autorum. τὸ ἁμαρτάνειν ἐνέργειά ἐστι καὶ οὐκ οὐσία, διὸ οὐδὲν ἔργον θεοῦ, *Peccatum efficacitatis vis eſt, non ſubſtantia: ideoq; minimè Dei opus. Clemens. Malum non eſt aliqua natura, ſed naturæ vicium. Obſeruandum vero eſt, diſtribuere Prophetam hoſtes & aduerſarios Eccleſiæ, eosq; in claſſes quaſi, & tribus ſex digerere. Volentes iniquitatem: malos, ſeu malignos: iniuſtos: operarios iniquitatis: loquentes mendacium: viros deniq; ſanguinum, & doloſos. Impij,* ἀσεβεῖς, *qui ſint, docet Pſalmus primus: ijs è regione ſiſtit,* ὀυ θέλοντα ἀνομίαν, *non probantem iniquitatem, impietatemq;, qui ſunt cultus nugatorij, & actionum propriarum confiſio, Deum. Mali ſeu maligni,* πονη-

γενόμενοι, tum peccatores ſunt, ἁμαρτωλοὶ, tum increduli, & ad omne bonum, vt loquitur Apoſtolus, reprobi: ἀπειθεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι, contumaces, & nullius bonæ frugis: licet & ſuo, & aliorum iudicio opera illorum non poſſe cœtus Chriſtianorum carere videatur: his exterminationem è domo diuina comminatur. Iniuſti, παράνομοι, qui & ſtulti, & fatui, ἄφρωνες, dicuntur, qui, ſua ſapientia, potentia, opibus inflati, doctrinam de condonatione peccatorum contemnunt: & virtutum meritis adſcenſum ſibi in cœlum pollicentur. His abiectionem ab oculis Dei denunciat. Operarij iniquitatis, ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, non ſolùm fœdi, & flagitioſi homines ſunt, qui ſeſe vicijs, in ſenſus incurrentibus, contaminant: ſed multò magis ij, qui religione Saulitica, & iuſticia hypocritica hominibus cæteris præſtant, & boni, ſanctiq́; viri appellantur: animos gerentes alienos ab omni timore Dei, & fide. His odij diuini commemoratione terrorem inijcit. Loquentes mendacium, οἱ λαλοῦντες τὸ ψεῦδος, qui pro verbo, & ſermone diuino, qui eſt ipſa veritas, doctrinas, commentaq́; hominum docent ſub veri ſpecie, τὸ γὰρ ψεῦδος ὅταν θέλῃ πιστευθῆναι, ἐὰν μὴ πήξῃ θεμέλιον δοκοῦσης ἀληθείας, οὐ πιστεύεται, niſi apparentis veritatis fundamento iacto, mendacio fides non habetur, inquit Seuerianus. His perditionem, & internecionem indicit. Viri ſanguinum, & doloſi, ἄνδρες αἱμάτων, καὶ δόλιοι, qui partim opinionibus peſtiferis animas hominum iugulant: partim cùm vi aperta, tùm fraude occulta in corpora, & fortunas eorum ſæuiunt: qui vel lingua, vel ſtylo pro Dei verbo contra illorum furores propugnare non verentur. His offenſionem, faſtidiumq́;, reijcientis eos Dei, opponit.

Tit. 1.

VII.

Ego autem in multitudine miſeri-

ſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Ἀντίθεσις. *Ego verò non dignitate mea, & iuſticia, quæ nulla eſt, ſed infinita, & interminata miſericordia tua fretus, non ad hoſtis, & aduerſarij tui Satanæ, non mundi, qui inſigniore ſæpenumero ſpecie viſendum ſeſe præbet: ſed ad piorum me cœtum adiungam: & in timore tui, qui ante oculos impiorum non eſt, domum, ſanctuariumq́; tuum frequentans, te, ad quem vnum reſpicio in rebus omnibus, demiſſi animi humilitate piè, ſanctéq́; venerabor. Domus Dei, & templum ſanctum,* ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, καὶ ναὸς ἅγιος *eſt, quocunq; in loco doctrina cœleſtis explicatur: & de mandato verbi ſui colitur Deus, & nomen Domini inuocatur.*

VIII.

Domine deduc me in iuſticia tua: propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.

Δέησις, *Petitio, ne ab aduerſarijs deceptus, à ſimplicitate, quæ debet eſſe in homine pio, deflectat. Sunt deceptores, & fallaces non pauci, qui, inſidias ſaluti meæ facientes, in fraudem me, & errorem nituntur impellere: quare tu me per tuam iuſticiam, quam innocentiæ ducis ad ſanitatem redeuntibus, deducito: & munita ante me tua vitæ via, fac corde, tuo beneficio, præceptis tuis confirmato, nulla vi, vel docendo, vel viuendo, de recto vitæ curriculo declinem: ſed quem præſcribit verbum tuum, curſum teneam: quò ad vitam beatam, & immortalem, tua fiſus miſericordia, peruenire poſſim.*

Iuſticia Dei, δικαιοσύνη, non ea eſt, qua ipſe iuſtus eſt, & iuſtè vindicat in impios, ſceleratosq́; : ſed qua ad ſanam mentem, ſuo munere, reuerſos, & credentes Euangelio ſontes iuſtificat, & innocentia eos Filij ſui ornat, omnibus illorum criminibus obliuione ſempiternaq́; ſepultis. Inimicos, ἐχθροὺς, φρεναπάτας, vafros, & veteratores intelligit: qui callida, & malitioſa verbi diuini interpretatione, vt nouas opiniones ſuſcitent, puluerem quaſi in oculos hominum conijciunt. Viarum Domini alibi autor ſic facit mentionem: Notas fecit Moſi vias ſuas: & Eſaias: Non enim viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus. Harum parator, & munitor vocatur Iohannes Baptiſta.

Pſal. 103. Eſa. 55. Lucæ 1.

Diriguntur autem, κατευθύνονται, *ante nos viæ Domini, cum à prauitate vitæ ad pietatis ſtudium conuertimur: & fidem adhibemus doctrinæ de remiſſione, & condonatione peccatorum, non naturæ viribus, ſed Spiritus ſancti beneficio. Præparatur enim voluntas à Domino, vt eſt apud regem ſapientem. Et: male gratia Dei hominis voluntati poſtponitur, inquit Fulgentius: Quod nemo poteſt habere bonam voluntatem motu proprio, niſi mens ipſa, id eſt, interior homo reformetur ex Deo. De Incarnatione, & Gratia.*

IX.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt: ſepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant.

Repetitio, iteratioq́; deſcriptionis impiorum, eiusq́; διασκευή, explanatio illuſtris per εἰκασίαν, ſeu παραβολήν. In eorum ore nihil eſt certi: non loquuntur rectè de Numine

cœleſti

cœleſti : doctrina de voluntate Dei, quæ eſt gratiæ, & miſericordiæ, ſola eſt vera, firma & immota : de qua quia iſti homines nihil docent : tantùm animis audientium, & conſcientijs perturbationem afferunt : pectus eis dirum eſt, & immanitate efferatum : & quemadmodum egeſta terra ideo ſepulchrum patet, vt cadauera recipiat : ſic illorum guttur gurges eſt, & vorago, quæ ſorbet, & haurit omnia : labia veneno ſublita habent : &, magnam ſpeciem præ ſe ferentes pietatis, lingua tamen blandiuntur. Veritas ἀλήθεια, ipſe eſt Deus, Deiq; ſermo: huius intelligentiam impij non habent : ideoq; πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι & ipſi falluntur, & errores alijs obijciunt : id quod fecerunt noſtro ſeculo percuſſi tenebris Ægyptiacis, αὐτοκατάκριτοι, Adulteroromani in ſphecijs Ennoſigæis: in quorum ore rectitudo non fuit, diris defigentium execrationibus expertem dubitationis fidem, πληροφορίαν : quæ certò, & absq; hæſitatione condonationem peccatorum credit : in quos conuenit illud Syluenſis, qui ipſorum gregis eſt. Qui veritatem oppugnat, ſummum rerum omnium Deum, qui eſt ſumma, & ſempiterna veritas, oppugnat.

Cor, & pectus vanum, καρδία ματαία, eſt, quod nec vindicare ſe à dolore, nec alios conſolatione confirmare poteſt. Sepulchrum patens, τάφος ἀνεωγμένος, auariciæ delineationem habet : qua res, corpora, & animas hominum deglutiunt magiſtri impietatis, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, qui ventrem pro Deo habent : quem vt molliſſime colant, per ſuaues ſermones, & dulces prædicationes, διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας oratione ſpecioſa, corda ſeducunt, ἐξαπατῶσι, fallunt innocentium, τῶν ἀκάκων, non malicioſorum, ſeu ſimplicium. Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis. Autor. Pſal.14.
Deuorant domos viduarum. Chriſtus. Vide Amoſum, & Mi- Luc.20.
chæam. Huc referenda illa : Loquimini nobis placentia. Eſa- Amo. 4.
ias. Aceruabunt ſibi magiſtros prurientibus auribus, κνηθό- Mich. 3. Eſa. 28.

 2.Timo.4.

μῦθοι τὴν ἀκοὴν. *Aliud in corde tenent, aliud ſermone pollicentur: pietatem loquuntur, impietatem cælant: Chriſtum profitentur, & occultant Antichriſtum. Hieronymus.*

X.

Iudica illos Deus: decidant à cogitationibus ſuis: ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.

Ἀρὰ, *imprecatio, qua de ſubiectione Spiritus Sancti, ne quid detrimenti patiatur gloria Dei* (θεοῦ γὰρ ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν) *malum exoptat, & exitium doctoribus impijs, & quicunq; bellum nefarium, & omni atrocitate ſceleris imbutum, cum Deo gerere minimè dubitant. Euerte illos Deus, ac conſilia, quæ de opprimenda veritate inierunt, frange: & pietatis ſuco detracto, in apertum profer illorum ſcelera: propter quæ diſiecti, exterminatiq; ex Eccleſia funditus deleantur. Iudicat,* κρίνεται, *Deus, quos accuſatos à pijs, vt hoc loco à Dauide, ſententia lata reos peragit, & condemnat: vt inſipientia,* ἄνοια, *dementiaq; eorum manifeſta, & perſpicua,* ἔκδηλος, *fiat, & pateat oculis omnium. Decidunt de ſuis conſilijs,* ἀποπίπτουσι ἀπὸ τῶν διαβουλιῶν αὐτῶν, *impij, cùm, quæ ineunt conſilia, & alia, atq; alia ſubinde dogmata, quæ comminiſcuntur, aranearum telarum inſtar diſſoluuntur: vt Babylonis conſtructionem omittere cogantur. Eoſdem expellit,* ἐξῶθει, *& profligat Deus: cùm propter rebellionem, primùm ſpiritum inter illos vertiginis inijcit, vt diuidantur animis, nec alij aliorum ſermonem intelligant: deinde diſiectorum & aras confringit, & diſpergit ſtatuas.*

2. Tim. 3.

Oſeæ 10.

XI.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt,& habitabis in eis: et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.

Ἀντίθεσις συνωνυμία illuſtrata. Sunt enim poteſtatis eiuſdem ferè lætari, εὐφραίνεσθαι, exultare, ſeu ouare, ἀγαλλιᾶσθαι, gloriari, ſeu prædicatione ſeſe de benignitate diuina extollere, καυχᾶσθαι: item ſperare, ἐλπίζειν, in Dominum: & nomen eius diligere, ἀγαπᾶν τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου. At verò pij mortales, qui nec in ſuis virtutibus, nec natura vlla, quæ vel cœlo, vel terra continetur, ſed in tua miſericordia ſpem ſalutis omnem reponunt, gaudeant: perpetuò lætitia exultent, qui tuo præſidio ſepti ſunt: gaudio triumphent tui nominis amantes vniuerſi. Exitij, & interitus impiorum effectus, τὸ αἰτιατὸν, amantium Dei eſt, & lætitia, qua, ſe, ſuaq́; omnia miſericordiæ Dei committentes, propter condonationem peccatorum incredibili afficiuntur gaudio: & defenſionis, propugnationisq́; pro Eccleſia, celebratio: & deniq; firma ereptionis, liberationisq́; ex malis, & calamitatibus omnibus expectatio. Alij regnent, poßideant, glorientur: nos hic miſeri ſumus, vt poſtea ſimus fœlices, Hieronymus. Sperant in Deo, qui à ſe, & naturis omnibus auerſi, ad clementißimum verò numen conuerſi, omnes cogitationes in ipſo conſtitutas habent: & cum fide apprehenſam ſalutis immortalem, impollutam, & inuictam hæreditatem, exhibendam tempore vltimo, expectant: tum in hac vita etiam, tum propter peccatorum, & admiſſorum ſcelerum recordationem, nihil ad ſpem oſtenditur quicquam, ad illius tamen ſolius tutelam ſeſe conferunt: & non in operationibus

ſuis,

ſuis, ſed merito Chriſti fixæ, & fundatæ miſericordiæ eius infinitæ confidunt. Diligunt eundem, qui hæreditatis cœleſtis ius, Chriſti beneficio, conſecuti, diuino amore incenſa, & inflammata fide, nihil cupiunt, nihil ſtudent, nihil cogitant, nihil moliuntur: niſi vt Dei nomen ſanctè colatur ab omnibus, & proximi commodis, vtilitatibusq; ſeruiatur. Nomen Domini ὄνομα κυρίου, eſt, nulli quod fas tribuiſſe creato: Sanctus, Esa. 6. Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: cuius gloria plenus eſt vniuerſus orbis: qui eſt pater ipſe, quem nemo vidit vnquam: qui ex omni æternitate verbum, qui eſt filius ipſi-Heb. 1. us, genuit: & qui gloriæ eſt ſplendor, & forma expreſſa naturæ paternæ, qui noſtri cauſa hominem adſciuit, Filius Ieſus Chriſtus: & qui ratione, quæ explicari non poteſt,

A genitore fluit per Natum numine iuncto, Spiritus Sanctus: Conditor, Redemtor, & Sanctificator vniuerſorum, Exod. 34. ἐν τριάδι, καὶ μονάδι δοξολογούμενος: miſericors, exorabilis, ad iram tardius, ad clementiam, & auxilium propenſus: cuius recondita iudicia, & rationes abſtruſæ: beatus, ſolus potens, ſapiens, verax, regnantium rex, & dominantium Dominus: cuius nomen quisquis inuocauerit, ſaluus erit: & ſi qua Rom. 10. ſunt præterea, quæ vatum, & Apoſtolorum ſcripta Domino, Deoq; noſtro tribuunt.

XII.

Quoniam tu benedices iuſto, Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Ἐπιφώνημα imagine exornatum. Non potes non fortunare pios Domine, & beneuolentiæ tuæ fauore tanquam ſcuto firmiſsimo protegere, & incolumes ab omnibus telis, & inſidijs aduerſariorum conſeruare. Benedicere εὐλογεῖν, laudare eſt, gloria ornare, bene ominari, proſpera, & felicia cum opta-

optare, tum præſtare. Benedicit Dominus iuſto, εὐλογεῖ δ' ἰκαίον, non qui bonus, & iuſtus ſibi videtur ipſe (omnis enim homo mendax, omnes peccauerunt, omnibus ſunt fœdiſſimæ criminum maculæ inuſtæ, nec eſt, qui rectè faciat, ne vnus quidem) non quem innocentem pronunciat mundus (nam qui hominibus placet, Chriſti ſeruus non eſt) ſed qui Deo talis eſt. Talis autem eſt, quicunq; mentis expers, impurus, temerarius, væſanus, contumax, teter, ſceleratus, furijs agitatus, peſtis Reipub. turbo, atq; procella religionis, ideoq; non dignus putatur, quem ſol polo cernat ſecundo lumine: propterea quòd aduerſante omnium ſapientum iudicio, doctorum, & virtute præſtantium virorum ſententia, nulla re, niſi infinita, & interminata protegentis ſeſe, tanquam ſcuto firmiſſimo, ὅπλῳ εὐδοκίας, miſericordia, & fauore Dei gloriatur.

PSALMVS VI.

CONSCIENTIA.

PRecatio in ea animi ægritudine conſtituti, qua propter conſcientiam violatæ legis diuinæ, fides cum diffidentia, ſpes cum deſperatione confligit: & intelligens animus ſeueritatem iudiciorum cœleſtium inter anguſtias, atq; acerbitates mortis, & inferni, mœrore incredibili conficitur. Confitetur autem apertè, & ingenuè de peccatis ſuis Propheta: ſeq; impurum, & multis viciorum maculis contaminatum eſſe non negat: verùm orat, vt ignoſcat ſibi Deus, iracundiamq; remittens, clementis potiùs grauitatem Patris, quàm iudicis rigidi, & immitis acerbitatem ad delictum ſuum vindicandum adhibeat. Vtitur verò ad eam rem impetrandam tribus potiſſimum rationibus. Prior eſt, quòd ex colluctatione

one cum terroribus legis, & animo, & corpore, criminum ob conſcientiam, ita afflictus iaceat, & proſtratus: vt non modò miſeriarum alleuationem nullam reperiat: Sed oſſa quoq; ſibi, artusq; debilitari, & medullas confici, & exhauriri ſentiat. Altera, quòd infinita ſit, & interminata Dei miſericordia, ad quam vnam confugiat: in eaq; ſola, non in actionibus ſuis, aut vlla ad legem diuinam morum conformatione, quæ manca eſt, & inchoata, ſpem abſtergendæ impietatis omnem ponat. Tertia, quòd nulla Dei mentio fiat in morte, nulla memoris animi pietas perſoluatur Numini æterno apud inferos: ipſe vero gratias acturus ſit Patri clementiſsimo, & carminibus bonitatem, ignoſcentiamq; illius in omnem ſeculorum perennitatem celebraturus. Quin aſpere etiam appellat operarios iniquitatis, qui ſunt prauarum diſciplinarum magiſtri: qui, quod perſuaſum habent ſeſe aut planè iuſtos eſſe, aut certè, ſi quibus ſint inquinati, criminum fœditatem ſuis virtutibus expiare poſſe, quid ſit angor animi ſentientis Dei iram, ne tenuiſsimo quidem guſtu acceperunt: ideoq; veræ, vigentisq; fidei hoſtes capitales ſunt: &, quos ſollicitudo vexat conſcientiæ, bonos, & ſanctos homines odio proſequi, & grauiſsime infeſtare nequaquam dubitant. Sub finem & querelas ſuas exauditas affirmat, itaq; ſuo exemplo confirmat conſternatos animo, atq; ad ſpem certam de clementia, miſericordiaq; Dei excitat: & optat ingenti aliqua calamitate affici impios: vt malorum fracti magnitudine, animos remittant: &, peccata ſua, iramq; Dei agnoſcentes, ad ſanitatem redeant: & in ſola Dei bonitate, clementiaq; acquieſcant. Lyranus Nicolaus confectum arbitratur hunc Pſalmum, cùm poſt numera-

meratos ipſius iuſſu Iſraelitas, animo perculſus dixit Domino. Peccaui grauiter in eo, quod feci : verùm ignoſce mihi tuo noxam hanc : qui tam vehementer ſtultè egerim 2.Reg.24. Aliȷs referre eum placet ad tempus coniurationis Abſolomi.

I.

Domine ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Propoſitio ἀποφαντικῶς, negatione enunciata, habens inſertam προκατάληψιν, oppoſitionem tacitam, & contritionis, qui eſt angor in recordatione delictorum, pœnitentiæ, τῆς μετανοίας, nimirum pars prima, deſcriptionem. Ne omnium rerum moderator, & Princeps Domine, cuius nullis finibus terminatur clementia, nullis ſpacijs bonitas includitur, ne age mecum pro eo, ac ſum meritus : neue iræ in me puniendo acerbitatem adhibe. Equidem fateor me peccaſſe, & culpam commeruiſſe non nego : verùm tu pro benignitate Domine abſtine à me iræ tuæ furorem : nec, animaduerſione, pœnaq; in me duriore vtens, in ſcelera, & flagitia mea iracundè vindica. Furorem & iram, θυμὸν, καὶ ὀργὴν, pro iuſticia συνεκδοχικῶς, conſequens nimirum pro antecedente poſuit : vt etiam in ſecundo Pſalmo eſt annotatum, in Dei enim naturam, quæ rei aduenticiæ nihil patitur, & ab omni vitio ſegregata eſt, (παντὸς γὰρ πάθους ἀλλότριον τὸ θεῖον, vt eſt apud Baſilium) non cadunt humani affectus. Quare nec bilis narium, hoc eſt, furor ei, nec ira, aut cuius nos habemus noticiam, vlla animi perturbatio attribui poteſt : verùm ſacræ tamen literæ de diuinis operibus humana verba fabricantes, vt quidam loquitur, ſeſe captui noſtro accommodantes, & arguere in furore, τῷ θυμῷ ἐλέγχειν furenter animaduertere : &

per

per iram corripere τῇ ὀργῇ παιδεύειν, atrociter punire illum, ἀνθρωποπαθῶς affirmant. Quod quale ſit, apparet in hominibus Sanctis, quorum Spiritum, vt Hiobi, haurit virus ſagittarum in ſe omnipotentis infixarum. At tum quidem potiſsimum: cùm, qua in ſceleribus maiorum puniendis vſus eſt, iuſticiæ diuinæ, & decreti de pœnis impiorum immobilis recogitatione, in eos angores animi propter peccata conijciuntur: vt repudiari ſibi & à conſpectu diuino reijci videantur, in tenebras penitiſsimas compingendi. Quæ quidem tentatio, periclitatioq; talis eſt, et tanta: vt, niſi diuino excitentur, recreenturq; beneficio, propius nihil ſit futurum, quàm, vt animum deſpondeant, & planè contabeſcant. Vnde quidam rectè, vereq; dixit. Timor Dei etiam oſſa conſumit. Et Hieremias.

Hier. 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio. ἐν κρίσει, ratione: & non in furore, καὶ μὴ θυμῷ, non iratè: ne fortè ad nihilum redigas me. Hieronymus, & Stapulenſis furorem ad vltionem in hac vita præſenti, iram ad pœnam gehennæ referunt.

II. III.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequò?

Propoſitionis ἐξεργασία interpretatio expolitioq; κατάφατική, ratione à ſuis miſerijs, αἰτίῳ in homine προκαταρκτικῷ, interpoſita: qua non ſuis viribus, ſed ſpiritus ſancti dono ad cædentem ſe conuerſus, miſericordiam ſibi tribui petit fide: quæ eſt conuerſionis τῆς μετανοίας pars altera. Conuenit cum illo Pſalmi. Non eſt ſanitas in carne mea: ex

quo

quo acceſſe etiam reliqua, quæ huc faciunt. Ede in me exemplum miſericordiæ tuæ: animo enim malè eſt: adhibe medicinam Domine vulneribus miſerrimè affecti corpore, & mente grauiſsimè perturbati.

En equidem vix membra traho iam morte propinqua:
Diriguit trepida attonitus formidine ſanguis,
Frigidaq; ignauus præcordia contrahit horror.
Languet nec minus ipſe animus: vix halitus ori
Vix tenuis ſuper aura: & iam fugitiuus aberrat
Spiritus, vt fauces hæc ægrè in verba reſoluam:

Nihil miſerius nec fieri, nec cogitatione adumbrari quicquam poteſt, homine ira numinis oppreſſo: vt qui videatur ſibi Deo vnà cum verbo, fide, & Spiritu ſancto ex animo amiſſo, ſub imperium, ditionemq; Satanæ ſubiunctus: & in leti fauces, ac tenebras Orci deturbatus eſſe. Et cùm plærumq; benè affectum corpus animum, animus verò vires corpus habere faciat: (δέχεται μὲν γὰρ ζωὴν ἐκ τῆς ψυχῆς τὸ σῶμα: μεταλαμβάνει δὲ ἀλγηδόνας ἀπὸ τοῦ σώματος ἡ ψυχή, *ait Baſilius) hunc conſternatæ mentis angorem conſequitur* ἀσθένεια, καὶ τῶν ὀστῶν, καὶ τῆς ψυχῆς ταραχή, *hoc eſt, tum membrorum, artuumq; corporis totius eneruatio, & pinguitudinis illius, quæ replet oßium media, conſumtio: tum virium proſtrati, & iacentis animi debilitas, & infractio. Cùm contrà lætus animus exhilaret vultum, & erecta mens ſit perpetuum conuiuium, vt inquit rex ſapiens.* Prou. 15. *Sicut Leo contriuit (perfregit) omnia oſſa mea, Ezechias.* Iſ. 38. *Sub irà Dei curuantur, qui portant orbem. Hiobus.* Hiob. 9.

Vſque quò? ἕως πότε, ἀποσιώπησις, *reticentia: qua gemitus ille ineffabilis,* ἀλάλητος στεναγμὸς *Apoſtoli innuitur. Domine, qui non vis mortem peccatoris, quouſq; auxilium tuum differes? quouſq; animi mei curationem extrahes? Propera mihi ſuccurrere ô Domine ſalus mea. Qui propter conſcientiam peccatorum in mœrore ſunt, & iram aduerſum ſe di-* Rom. 8.

uinam experiuntur: iſs vel breuiſsima mora, longiſsima, adeoq́; perennitate æterna contexta videtur eſſe.

IIII.

Conuertere Domine & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Repetitio Propoſitionis adiecta ratione ἀπὸ τοῦ ἐλέους, Dei miſericordia: quæ eſt προκαταρκτικὸν in mente diuina. Infinita eſt, & interminata clementia tua: quare qui vultum mihi quaſi ſubtraxiſti tuum, reconciliare quæſo Domine miſericordiæ tuæ ergò: & ærumnoſam hanc, & infelicem animam libera, & his malis eripe. Confugit ad meram Dei miſericordiam: non operum, quibus talis, & tantus rex, & vates non deſtituebatur, ſuorum fiducia nititur. In certamine enim conſcientiæ luctantis cum ira Dei, nullum meritum, nullum officium, nulla virtus, nulla iuſticia, ſed clementia tantùm, indulgentiaq́; Dei inductione animi certa apprehenſa facit, vt poſsimus conſiſtere. Reuertitur, ἐπιστρέφεται, ad nos Deus, cùm in contuſi cordis dolore, quam videbatur abdidiſſe, placidiſsimam faciem offert: & propter Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conturbatos, & in puluerem redactos recreat, vitæ reſtituit, &, quamuis indignos, pro ſua indulgentia conſeruat.

V.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tuì: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Alia ratio ἀπὸ τοῦ τελικοῦ, cauſa finali, propter quam vt ſibi opituletur Deus, obteſtatur κατ᾽ ἐρώτησιν. In interitu

teritu enim, cum quo mihi res nunc eſt, nulla laudum tuarum ſit mentio: & quis in Orco, quo mihi videor amandatus, tibi gratias agere, & nomini tuo cultus, honoresq; adhibere poteſt?

an ego te pallentibus abditus vmbris
Concelebrem? lætoq; feram tibi carmine laudes?
Ecquid apud manes, inamœnaq; regna ſilentum
Grata reſoluentur laudibus ora tuis?

Mortem, & inferos, θάνατον, καὶ ᾅδην, *vocat horrendos pauores, cruciatus, & tormenta conſcientiæ: præterea impios fremitus, & execrandas voces eorum, qui diuinæ miſericordiæ, & fiduciæ ſpe prorſus abiecta, ſibi omnia inferorum ſupplicia videntur experiri: & quia Deum ſibi infenſum ſentiunt: eum laudare, & in eius miſericordia, clementiaq; nullo modo poſſunt acquieſcere. Hinc alibi deſcendentes in infernum,* καταβαίνοντες εἰς ᾅδου, *dicuntur, qui ſpe omni proiecta nihil ad ſe pertinere arbitrantur benignitatem cœleſtem, adeoq; fremunt: vt vel Deum non eſſe, vel ſeſe ipſi in nihilum planè redactos optent. Infernus non confitebitur tibi, neq; mors laudabit te: non expectabunt (prædicabunt) qui deſcendunt in lacum (humati, qui, morte conſumti, in ſepulchrum ſunt illati) veritatem (fidem) tuam, Ezechias. A mortuo perinde,* Eſa. 38. *ac ſi nullus eſſet, abeſt gratiarum actio. Viuus, & ſanus Dominum laudat, & in eius miſericordia gloriatur, Siracides.* Syrac. 17. οὐκ ἔστιν ἐν τῷ ᾅδῃ ὁ ἐξομολογούμενος, οὐδὲ ἐν τῷ θανάτῳ ὁ μνημονεύων θεοῦ, οὐκ ἔτι τῆς βοηθείας τοῦ πνεύματος συμπαρούσης, *Non eſt in inferno, qui confiteatur: neq; in morte, qui memor ſit Dei: non amplius auxilio Spiritus præſente. Ignatius, & Baſilius.* οὐκ ἔστι τῆς ἀπελθοῦσιν ἐν ᾅδῃ ἐξομολόγησις, καὶ διόρθωσις: συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς ἐνταῦθα μὲν βίον, καὶ τὴν πρᾶξιν, ἐκεῖ δὲ τὴν τῶν πεπραγμένων ἐξέτασιν. *Non eſt diſcedentibus in infernum Confeſſio, & Correctio. Concluſit enim Deus hic quidem vitam*

& actiones: illic verò actionum quæſtiones. Theologus. Clauſa eſt pœnitendi via ijs, qui ab hac vita demigrarunt: nec enim fieri poteſt, vt, qui in vita præſenti remedijs pœnitentiæ vti noluerunt, illic afferant Deo confeßionem pro peccato. Theodoretus. In inferno confeßio fructum penitus non habet: ſed in iſto ſeculo paratißima eſt Dei miſericordia. Arnobius. Apud inferos pœnitentia nulla. Cyprianus. In hoc mundo confeßio dicitur, vbi & venia reperitur. Caßiodorus.

Quæ confeßio tetro
Lucet in inferno? cùm iam demiſſa ſecuris
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia gaudia vertat.

Sedulius. Si apud inferos nemo confitetur Deo, hoc eſt ad bonam frugem redeundo, æternam maieſtatem laudat, &, quod, niſi per Chriſtum, fieri nequit, inuocat: qua fronte, qui ſuis operibus acceptam referunt ſalutem, Hypocritæ receptaculum fabricantur animorum, in quo ad tempus definitum, & certis annorum curriculis delicta, alijs ad ventos inanes ſuſpenſis, alijs ſub iurgite vaſto ſcelere inuecto elutis, alijs igne purgante exuſtis Mercenario initiato, qui pane, & vino parentat, ſuffragante, expientur?

VI. VII.

Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Αὔξησις ὁμοιωματικὴ, *ſimilitudine exornata amplificatio. In perpetuo luctu, & mœrore verſor, nec vlla dolores meos ſolatur alleuatio: adeo quidem, vt nox, quæ duros miſerata labores, rebus, & animantibus optata ſilentia feßis, ac quietem afferre ſolet, curas, & anxiæ mentis ægritudines mihi augeat: dum inter gemitus, & ſuſpiria, quod ſomno dandum erat, tempus conſumens, incredibilem lachrymarum vim profundo: qua ſanè profuſione continua accidit, vt cadaueroſa iam facta ſit facies mea: & inter tot acerbitates, & ærumnas formam penè humanam amiſerim. Res afflictæ, curæ, & ærumnæ accelerant caniciem, rugas, & ipſam denique mortem: ægritudine enim animi tabeſcit corpus, & cordis anxietas exhaurit ſuccum vitalem.* Hagnon. *Laborare in gemitu* κοπιᾶν ἐν τῷ στεναγμῷ, *gemitu, & trabendo ſuſpiria defetiſci: Lauare per ſingulas noctes lectum, & lachrymis ſtratum rigare,* λούειν καθ' ἑκάστην νύκτα τὴν κλίνην, καὶ ἐν δάκρυσι τὴν στρωμνὴν βρέχειν: *Lauare cubile flumine lachrymarum, & lectum madore noctium corrumpere: Turbari præ amaritudine oculos,* ταράττεσθαι ἀπὸ θυμοῦ ὀφθαλμούς, *oculos præ mœrore contabeſcere: Inueteraſcere inter inimicos,* παλαιοῦσθαι ἐν τοῖς ἐχθροῖς, *inter hoſtes conſeneſcere: non dicuntur* ὑπερβολικῶς: *ſed exprimunt, & ob oculos ponunt ingentes formidines, dolores, & ærumnas ſanctorum: quando cum reiectione ab oculis Dei, & exploſione perpetua colluctantur. Inimicos autem,* ἐχθρούς, *intelligit non eos ſolum, qui hoſtili in ipſum ſunt animo: ſed Spiritum etiam nequam, qui eſt Satanas, &, quæ mentem conſiſtere non patitur, admiſſorum recordationem.*

Me nulla querentem,
Nullaq; me flentem, ſingultus nulla cientem,
Et tua pulſantem deprendit ſidera quæſtu,
Non rediuiua dies, non nox obſcura tenebris.

VIII. IX.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam ſuſcepit.

Conſolatio per gratiarum actionem παραμυθία ἐυχαριστικὴ κατ᾽ ἀποστροφὴν auerſionem : qua ex doloribus animi recreatus, quæ eſt, ζωοποίησις viuificatio, pœnitentiæ ex fide profecta pars altera, gaudio triumphans obiurgat contemtores miſericordiæ, & clementiæ diuinæ, ſuos aduerſarios. Amolimini vos hinc malefici vniuerſi. Flebiles enim meas quiritationes Dominus exaudiuit : admiſit Dominus preces meas ſupplices : Dominus ad vota mea adhibuit attentas aures. Operarij iniquitatis, ὁι ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, qui ſunt, cùm ipſe malorum ſubiectionum in corde author Diabolus, tum vel in primis peruerſarum opinionum doctores, & quicunq;, adumbrata religione nitentes, in homine ponunt aliquid, quod ad ſummam vitæ beatæ faciat : nec volunt, nec poſſunt ijs, quos conſcientia peccatorum anxios habet, & ſollicitos, vllam conſolationem afferre : meritò igitur diſcedere, ἀφίστασθαι eos vir ſanctus, & faceſſere iubet à ſe : cuius nullis ſuis meritis, nullis ſacrorum vſurpationibus : ſed miſericordia intima flebiles voces Dominus commiſeratus ſit, εἰσακούσῃ κύριος τῆς φωνῆς τοῦ κλαυθμοῦ : cuius ſupplicationibus aditum ad ſe Dominus dederit, ἀκούσῃ τῆς δεήσεως κύριος : cuius pater miſericordiarum lamentis benignas aures præbuerit, κύριος τὴν προσευχὴν προσδέξεται : dante animo illius teſtimonium Spiritu diuino,

diuino, ipſum eſſe Filium Dei. Repetit ter ſententiam eandem, vt exprimat ingentem læticiam, & voluptatem: qua perfundi animos ſuos pij ſentiunt, ſimul atq; Dei beneficio ex grauiſſimis curis, & ſollicitudinibus eluctati fuerint. Inchoant à lachrimis pœnitentes: vt deſinant in læticiam. Caſsiodorus. Vtetur in iudicio extremo Cenſor viuorum, & mortuorum Chriſtus hoc verſu: ἀπόστητε, ἀναχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ Matth. 7.
ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας. *Faceſſite à me cuncti malefici: quibus verbis percellet omnes, quicunq; non fide, quæ miſericordia Dei Chriſti nobis ſanguine conciliata nititur, ſed ſuis factis aſcenſum ſibi in cœlum ſunt polliciti. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt, inquit Apoſtolus.* Lucæ 13. Rom. 14.

X.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valdè velociter.

Imprecatio, κατάρα ἐπιφωνηματικὴ, *quæ eſt Pſalmi concluſio: qua vota facit, vt pudore afficiantur,* αἰσχυνθείησαν, *terreantur,* ταραχθείησαν, *in fugam conſternantur,* ἀποστραφείησαν, *& repentino etiam atq; etiam induant*

auerſi actutum mutata mente pudorem,

καταισχυνθείησαν σφόδρα διὰ τάχους: *cur ita? quia, quorum repletur vultus dedecore, requirunt nomen Domini, & vexatio dat intellectum, inquit Propheta Eſaias. Audeo dicere, ait Auguſtinus, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtumq; peccatum: vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit: quàm ſibi placuit, quando præſumſit. Et pudore, ignominiaq;* Eſa. 28.

notentur omnes inimici mei, & corripiantur formidine horribili: infamia, & dedecore affecti, & pudore circumfuſi ſubitò fugiant metu perterriti, qui immani ſuperbia in caput, ſalutemq́; miſeri inſultabant.

PSALMVS VII.

CALVMNIAE DEPVLSIO.

QVerela de calumnijs Semei Ieminienſis: quem χυσὶ vocat: qua appellatione Hebræi Aethiopem, hoc eſt, hominem nigrum, vt loquuntur Latini, intelligunt. Hic, vt regum narrat hiſtoria, Dauidi pulſo in exilium ab Abſolone filio, non dubitabat
2. Reg. 16. obijcere: eum per vim Sauli liberis ereptum regnum occupaſſe: ideoq́; Deum ab ipſo omnem ſtirpis Sauli ſanguinem expetere. Qui quidem Ieminienſis imago fuit, & Iudæorum accuſantium Chriſtum Dominum coram Pilato Prætore: quod concitaſſet popu-
Luc. 23. lum, ac Cæſari tributa dari prohibuiſſet: & omnium, qui inſimulare pios ſeditionis, defectionisq́; à Repub. audent: ad quem modum aduerſarij doctrinæ cœleſtis Euangelicam doctrinam crimine nunc rebellionis contra eos, qui ad Eccleſiæ ſedent gubernacula, in inuidiam apud reges, & optimates adducunt. Priore autem parte petit Propheta à Deo, in quo ſpem ſalutis, & rerum ſuarum locarit: vt tueatur, & defendat eiectum ſeſe è regno, & capite oppugnatum, fortunisq́; ſpoliatum ab hoſtibus: qui immanium leonum inſtar in perniciem ipſius ferantur: idq́; nullo ſuo vicio, nulla culpa, nullo merito. Adeo enim ſe non agnoſcere, quæ obijciuntur ſibi ab aduerſarijs crimina: vt, ſi quid eiuſmodi admiſerit, qualia falſò

in ipſum

in ipſum conſerant: non recuſet, quò minùs non modo exemplis peſsimis perdatur, verùm gloriaquoq; ipſius humi peſſundetur: & omnis ſui nominis memoria funditus exſtinguatur, Inſurgat igitur in iram Deus: & vim ſeueritatis, iuſticiæq;, contra vim, & magnitudinem ſæuitiæ, ſcelerumq;, aduerſariorum ſuorum declaret: vt, ſe in priſtinum dignitatis, & officij gradum reſtituto, colligi rurſus cœtus ſanctorum, & de voluntate, numinis æterni populus tùm voce, tùm exemplo principis erudiri poſsit. Hoc allaturum adiumentum maximum, & ad diuulgationem iuſticiæ Dei, qui corda explorans, & in intimos ſenſus, & affectiones animorum introſpiciens, ſcelera, flagitiaq; impunita non dimittat, & piorum confirmationem, vt in ſe iuuando quaſi ſigno, ad benè de præſidio Dei ſperandum ſublato, non dubitent, quin & ipſis in miſerijs ſuis, & calamitatibus ſit affuturus Pater cœleſtis, eosq; ex periculis omnibus erepturus. Parte poſteriore preces ſuas exauditas eſſe affirmat: & aduerſarios exemplo hoſtium ſuorum terret: qui in molitione ipſa concepti ſceleris per ſummum dedecus, & ignominiam interierint: vt à ſe infeſtando deſiſtant, & impietatis finem faciendo, ad ſanam mentem redeant. Eam enim eſſe Dei iuſticiam, & ſeueritatem: vt, niſi hoc fecerint, omnes miſerrimis modis perituri ſint. Nam & gladium iam ſuum exacuiſſe Deum; &, correptis telis mortiferis, ſagittas ad perdendum comparaſſe. Ipſos quidem concepto apud animum ſcelere parturire quaſi facinus, & perniciem ſibi, peſtemq; machinari: verùm adeo nihil quicquam acturos: vt, quam vim ſibi nefariè intentent, ea in caput ipſorum recaſura, & dedecoriq;, exitioq; illis ſit futura: ſe verò crudeliſsimorum hominum

inſidijs liberatum, periculiſq; defunctum omnibus, Domino immortales gratias acturum: & nomen eius carminibus perpetuis celebraturum.

I.

Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Propoſitio: Defende & libera me. Qui miſericordiæ vteris, & clementia cum aduerſus omnes mortales communiter, tum in primis erga pios, & amantes tui, Domine, tibi confido: in te repudiatis, & valere iuſsis rebus cunctis, vno ſpem ſalutis, & rerum mearum omnium conſtituo: conſerua me ab inimicis meis: qui eiecto è regno non modo omnis generis offerunt iniurias: ſed merito quoq; meo, propter ereptum Saulo imperium, in has calamitates deueniſſe inſimulant. Ad Dei opem, & defenſionem contra inimicos ſuos receptum habet vir ſanctus eiq; vindictam committit. Hinc diſcamus & ipſi, obdurato ad infeſtas aduerſariorum incurſationes animo, factas nobis iniurias obterere: nec ſemper, quamuis æqua in cauſa ius noſtrum perſequi: ſed Deo vltionem commendare.

II. III. IIII. V.

Ne quando rapiat vt Leo animam meam: dum non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat.

Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi tribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.

Perſequatur inimicus animam

meam & comprehendat: & concul-
cet in terra vitam meam,& gloriam
meam in puluerem deducat.

A ſuo periculo ratio prima imagine expoſita. In vltimo verſatur diſcrimine ſalus mea : noli igitur committere,vt me deſeras: ne leonis inſtar vitam meam corripiat aduerſarius, & defendente nemine dilaniet. Altera ratio ab ipſius innocentia ducitur, ὑποθετικῶς *in imprecationem deſinens, ornatam* ἐπαυξήσει. *Semeis maledictum recitauimus Pſalmo 3. Hoc inficiatione,* ἀρνήσει *hic Dauides depellit: neq; dubitat ipſe ſibi execratione,* κατάρᾳ *malum, peſtemq́; exoptare, ſi inſimulati facinoris ſibi conſcius ſit. Loquitur autem de mentis ſibi rectè conſciæ teſtificatione erga homines, non erga Deum, quam* ἀκακίαν *paulò poſt nominat, confiſione: In Dei enim conſpectu, cuius iudicio ne cœlum quidem ipſum purum eſt, vt eſt apud Hiobum, hominum nullus eſt innocens: & quotus quiſq; eſt, qui numen cœleſte propter ipſum, non ſuorum emolumentorum gratia colat? Domine Deus meus,ſi feci,quod obijcit aduerſarius : ſi manus habeo ſcelere inquinatas: ſi non ſolum malum pro malo non repoſui, nec iniurias grauiſſimas, quibus me affecit hoſtis,vltus ſum: verùm de pernicie quoq; mea cogitantibus bona non rependi: inſectetur inimicus fugientem, & captum miſerrimis modis accipiat: nec tantum morte me afficiat: Sed ad terram etiam proculcati gloriam, & omnem nominis memoriam extinguat. Reſpicit ad hiſtoriam, quæ extat in Regibus,vbi Saulus fatetur ipſe,pro Dauide facere æquitatem, non pro ſe: qui generum malo affecerit: cum ſocerum ille iugulare ſit veritus. Iuſtior tu es, quàm ego: tu mihi tribuiſti bona: ego aũt reddidi tibi mala. Proculcatio in terram vitæ alterius,* καταπάτησις εἰς γῆν τῆς ζωῆς, *& deductio, & collocatio gloriæ in puluerem,* κατασκήνωσις εἰς χοῦν, *vſuræ lucis huius ademptionem, & famæ, ac nominis deletionem, extirpationemq́; notat.*

Hiob 25.

1. Reg. 24.

Exur-

V. VI.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum: & exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti:

Et ſynagoga populorum circumdabit te: & propter hanc in altum regredere.

Tertia ratio ἀπὸ τοῦ τελικοῦ: vt colligatur rurſus Ecclesia: & religio priſtinum decus, amplitudinisq; maieſtatem recipiat. Qui ſomno ſopitus dormire putaris ab aduerſarijs, nec, quid mecum fiat, quicquam curare, inſurge in iram Domine: & vim ſeueritatis, ac iuſticiæ contra magnitudinem ſæuitiæ, & ſcelerum inimicorum meorum declara. Impetu hoſtium, & rabie compreſſa, reſtitue me in eum, vnde deiectus ſum, dignitatis locum: vt populoſa ſtiperis concione: & diligentia, exemploq; meo populus excitatus conſenſu maximo ad te colendum, venerandumq; conueniat. Vt rectè colatur, & precibus, votisq; adeatur Deus, in ijs, qui ad rerum ſedent gubernacula, non parum ſitum eſt. Non enim in ijs ſolùm negocijs, quæ ad rem attinent publicam: ſed religionis etiam procuratione. quales principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues. Nam Regis ad exemplum totus componitur orbis. Præclarè igitur addit Propheta. Eam ergo ob cauſam euehere, & in ſublimi ſedeto: conſcenſo tribunali propter Eccleſiæ, cuius vicem doleo, quæq; cor meum ſollicitat plurimùm, me in integrum reſtitue, ac vim, poteſtatemq; tuam in homines impios declara. Non enim ſui emolumenti gratia malè precatur inimicis: id enim lex fieri vetat, ſed, vt Dei gloriæ, & Eccleſiæ commodis conſulatur. δῆλον γὰρ, inquit Baſilius, ὅτι ἑνὸς ἀδίκου σω-

φρο-

φρονισθέντος πολλοὶ ἐπιστρέφουσι, Conſtat, vnius iniuſti ad ſanitatem reuerſione, multos emendari: Πρόσαγμα, Præceptum, mandatæ ſibi intelligit, & commiſſæ, concreditæq; à Deo adminiſtrationis, gubernationisq; regiæ munus, & officium. In altum regredi, ſeu reuerti, εἰς ὕψος ἐπιστρέφεσθαι, de tribunalibus, ſeu iudicum ſellis ſumtum eſt: quæ in locis editioribus ponebantur.

VIII.

Dominus iudicat populos: iudica me Domine ſecundum iuſticiam meam: & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

Ratio quarta à Dei iuſticia: qua vitam de ipſius voluntate gubernantium pariter, & vicijs, ac ſceleribus contaminatorum rationem habet. Iuſtus es Domine, & cum bonos contra impiorum furores defendis, tum flagitia ſceleratorum impunita non dimittis: quare nec me patieris opprimi: ſed ex innocentia, atq; integritate, qua ſum præditus, de me iudicabis, piorum confirmandorum cauſa: qui, fieri non poteſt, quin cadant animis, cum ab improbis infeſtantur. Iuſticiam, δικαιοσύνην, vocat, quòd malum malo non rependerit: Et, 2. Cor. 7.
Apoſtolus vt loquitur, nemini iniuriam fecerit, neminem circumſcripſerit. Innocentiam, ἀκακίαν, quod in regnum neq; fraude, neq; vi inuaſerit. Super me, ἐπ' ἐμοί, in me, ad differentiam additum eſt eius iuſticiæ: qua Deus propter filium nos ſuum approbat, & iuſtos pronunciat. Ea enim in nobis non eſt, ſed in ſolo Chriſto: nec vllo ſenſu vſurpatur: Sed credula tantum animi inductione, quæ eſt Fides apprehenditur.

IX.

Con-

Conſummetur nequitia peccatorum: & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus.

Propoſitionis iteratio adiecta precatiuncula. Deficiant peccatores à terra (tollantur ex orbe) vt non ſint. Author. Coërce impiorum peruerſitatem, improbitatemq́; frange im-
Pſal. 104. *pios malorum auſus: & confirma iuſtos ô iuſte iudex: qui intimos animi receſſus perſcrutaris, & omnia mentis arcana inſpicis:*

Nec tibi cælantur quæcunq́; obſcura geruntur,

1. Reg. 16. *Homo ſpectat ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor. Deus Samueli. Ego Dominus & cor perſcrutor, & renes exploro: reddens vnicuiq́; iuxta viam ſuam, & iuxta fructum ſtudiorum*
Hier. 17. *ſuorum. Hieremias.*

Nil abſente Deo loquimur, nil abdita clauſum
Pectoris antra legunt: præſens Deus omnia cernit,

Iuuencus. Nihil minus nouit cor hominis, quàm ſe ipſum: Deus autem intimum cordis perſcrutatur, Taulerus. Iuſti rectitudinem cordis, καρδίαν κατορθωμένην, *diu retinere non poſſunt: niſi* τῇ παρὰ θεοῦ χειραγωγίᾳ *ipſorum* εὐθύτης κατευθυνθῇ, *vt eſt apud Baſilium. Cor,* καρδία, *rationem, ſeu mentem,* τὸ ἡγεμονικὸν, *ac conſilia, & cogitata, ſtudiaq́; illius: Renes,* νεφροὶ, *concitationes animi, cupiditates, deſiderationesq́;,* τὸ ἐπιθυμητικὸν, *ſignificant: Hæc omnia perſpeculatur Deus: neq́; ei quicquam ignotum eſt,*

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Apo. 2. *Is ſum, qui renes & corda ſcrutor, & pro ſuis quenq́; factis remunerabor. Autor Apocalyp.*

X. XI.

Iuſtum adiutorium meum à

Do-

Domino: qui ſaluos facit rectos corde.

Deus iudex iuſtus, fortis & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Ἐπιφώνημα παραμυθικὸν adiuncta comminatione ἀπειλῆς. In quo ſitum eſt meum præſidium, curæ ſum Deo: qui quidem pietatem, & iuſticiam colentes tuetur, & defendit: Impijs vero quotidie minatur. Adiutorium, βοήθεια, clypeus eſt, ſeu ſcutum, μεταληπτικῶς. Recti corde, οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ, pij ſunt, & colentes numinis: qui fide prediti in Filium Dei, ad normam voluntatis diuinæ omnes vitæ ſuæ rationes dirigunt. Deus, qui iudex eſt æquiſsimus, indignatur, & denunciatione periculi terret diebus ſingulis. Impij quidem nec videre Deum, quæ moliuntur, & agunt: nec actionibus ipſorum affici quicquam exiſtimant: ſed & cernit ille omnia: & maximo cum ſtomacho verè ad impietatem offenſionem habet: quamuis vitæ proſperitates, ſecundasq; res improbis, & diuturnam impunitatem concedit. Deus omnia largitur, & præſcit: ſed peccata prædicit, ſupplicia minatur, beneficia pollicetur. Auguſtinus epiſtola 120.

XII. XIII.

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Expolitio per ὑποτύπωσιν εἰκαστικὴν, προῤῥητικὴν.

de

de miſerabili ſuorum hoſtium interitu. Niſi ad meliora conuer-
ſi fueritis, niſi retraxeritis vos à ſua quisq; vitioſa conſuetudine,
veſtrosq; mores correxeritis: non aberit procul à vobis infortu-
nium: imò iam gladium ſuum ſtrinxit Deus: iam correpto, ten-
ſoq; arcu in vos collineat telis, ſagittisq; comparatis, & apta-
tis, quibus inſtet, letiferis, Gladius, ἡ ῥομφαία, & arcus, τὸ τό-
ξον, Dei, verbum iudicij eſt & calamitatis, interitusq; ſempi-
terni. vaſa, σκεύη, inſtrumenta dicuntur, Sic Paulus Apoſtolus
vas electionis, σκεῦος ἐκλογῆς, ſelectum organum, & in-
ſtrumentum. Vaſa mortis, σκεύη τοῦ θανάτου, arma ſunt, tela,
iacula, & ſagittæ mortiferæ: βέλη τοῖς καιομένοις, vene-
no ardente infectæ: eſt enim ἔλλειψις. Baſilius τοὺς καιο-
Actor. 9. μένους intelligit: qui, à timore Dei remoti, iam antea æſtuan-
tes auiditate honorum, gloriæ, opum, potentiæ, ardent cupidi-
tate vindictæ, vruntur libidine voluptatum. Hi enim, διὰ πο-
λὺ τὸ ὑλικόν, καὶ πρὸς ἀφανισμὸν ἐπιτήδειον, δέχονται
τὰ βέλη τοῦ θεοῦ. Ne dixeris peccaui: & quid mihi accidit
triſte? miſericordia enim, & ira ab illo citò approximant
(proficiſcuntur) & in peccatores reſpicit (incumbit) ira eius:
ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem:
Sir. 5. ſubitò enim veniet (prodibit) ira illius, & in die vindictæ
(tempore vltionis) diſperdet te. Siracides. Vide Hieremi-
am 18.

XIIII.

Ecce parturijt iniuſticiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Ἀλληγορία προοιμιώδης καθ' ὕστερον πρότερον, ſeu σύγχυσιν: quam tamen Auguſtinus non agnoſcit. De Trin. lib. 9. cap. 9. Vaticinatus fuerat de futuris pœnis aduerſariorum ſuorum, & æternis: nunc de inſtantibus dicit & præſentibus.

tibus. Animo incluſum ſcelus parturit : facinore prægnans eſt : verùm edet partu mendacium : κύεται καὶ μόχθον, τέκεν δ' ἀμπλακίην ἀλεγεινήν. *Apollinarius.* | *Parturire iniuſticiam,* ὠδίνειν ἀδικίαν, *malê cogitare eſt, & peſtem alicui, perniciemq́; machinari. Concipere laborem,* συλλαμβάνειν πόνον, *facinore grauidum eſſe. Parere iniquitatem,* τίκτειν ἀνομίαν, *mendacium, nihil efficere, & conatus omnes in vanum, & irritum effundere. Conceperunt laborem (facinus) & pepererunt nequiciam, Eſaias. Concepit dolorem, & enixus eſt iniquitatem : vterus eius (pectus) præparat (concinnat) dolos. Hiobius. Similitudo tracta eſt à mulieribus, quibus vbi praui alicuius humoris copia vterus diutius intumuit, non infantem poſtea : ſed aut nihil, aut molam, hoc eſt, rudem, & informem maſſam magno cum vitæ diſcrimine edunt.* Eſa. 59. Hiob. 15.

X V.

Lacum aperuit & effodit eum : & incidit in foueam, quam fecit.

εἰκὼν *imago & ipſa* παροιμιῶδες, *ſimilitudine ſumta vel ab ijs, qui feris inſidiari ſoliti, non raro in foueas, quas ad inſidijs belluas excipiendum aperuerant, ipſi incidunt : vel à bellis, in quibus aliquoties ſuffoſsis cuniculis hoſtis hoſtem captat. Foſſam excitat, cauat ſcrobem : in quam caſurus eſt ipſe.*

X V I.

Conuertetur dolor eius in caput eius : & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Interpretatio. Retorquebuntur machinationes, & conatus nefarij in caput ipſius : & improbitas, crudelitasq́; in verticem ipſius recidet. Conuerti laborem alicuius in caput ipſius, ἐπιστρέφεσθαι τὸν πόνον εἰς τὴν κεφαλήν, *& in verti-*

rem iniquitatem deſcendere, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὴν ἀδικίαν *καταβαίνειν, deferri, quid ſit: explicat Siracides his verbis:*
Sir. 27. *Qui in ſublime iactat lapidem, ſuper caput ſuum iactat: & plaga doloſa fraudulento vulnus infligit: & qui foueam fodit, cadet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendit in eo: & qui laqueum alij ponit, eodem capietur: qui nequam init conſilium, in eum ipſum reuoluetur: & non agnoſcet, vnde aduenerit illi. Qui foueam cauat, in eam cadet: & qui ſaxum voluit, id in eum recidet.* Prouer. 26. *Solomon. Sed notus etiam eſt ſenarius ille Prouerbialis: Malum conſilium conſultori peßimum: &,* ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

XVII.

Confitebor Domino ſecundum iuſticiam eius: & pſallam nomini Domini altiſsimi.

Concluſio per gratiarum actionem: Ego verò liberatus, & ex periculis ereptus omnibus, Domino, vt iuſticia eius, qua tum in ſceleratos vindicat, tum de ſe pendentes approbat, dignum eſt, gratias agam: & nomen eius memori animi voluntate, carminibusq́; perpetuis proſequar.

PSALMVS VIII.

TORCVLAR.

VAticinium de Chriſto, & regno, imperioq́; illius in omnia, quæ tota rerum vniuerſitate continentur. Adiuncta eſt autem gratiarum actio, de futura, quam Torcularis appellatione intelligit, Eccleſiæ collectione, & amplitudine: &, cùm premátur in hoc mundo varijs miſerijs, & calamitatibus multiplicibus, liberatione, atq; gloria. Idq́; ad exemplum Chriſti

Chriſti regis ſui: qui, cùm egeret quaſi Deo, à quo deſtitutus videbatur, minor quodammodo factus angelis, vt prælum calcaret ſolus, gloria poſtea, & honore ornatus eſt, accepto nomine, quod eſt ſupra omne nomen. Hanc verò Eccleſiam, quæ eſt regnum Chriſti, collectum iri, & conſtitutum affirmat Propheta non armis, & vi bellica: ſed verbo, & doctrina omnibus terrarum finibus propaganda. Nimirum voce infantium, atque lactentium, hoc eſt, qui verricularij fuerant, & remiges, Apoſtolorum, hominum rudium, & indoctorum, ac ſimplicibus pueris ſimilium. Eos enim barbaras gentes, Euangelij doctrina in vnum quaſi compulſas, à vana ſimulachrorum ſuperſtitione ad verum Dei cultum deducturos primùm: deinde collectis Eccleſijs, ſacramenta, & ritus à Chriſto ipſo inductos tradituros, & diſciplinam, & mores deſcripturos: vt ita, deſtructo inimico, & vltore, euerſaque tyrannide hoſtis ſempiterni humani generis, Deus Pater in filio ſuo auguſtè, ſanctèque in omnem ſeculorum perennitatem adoretur, & colatur. Eſa. 63.

I.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.

Propoſitio θαυμαστική per admirationem: in quam traducitur, quod proſpicit animo fore, vt Eccleſia Chriſto ex omnibus terrarum finibus colligatur: quæ nomen Patris æterni honore afficiat in cœlo, hoc eſt, cœtu, & congregatione credentium. Maximè omnium rerum conditor, & Domine, qui ad

effigiem tuam expreſſos nos alis, ſeruas, regis, & defendis, quàm nobile, & illuſtre eſt nomen tuum in orbe terrarum vniuerſo. Nomen, ὄνομα, Dei eſt, ipſum eſſe, ipſum Vnum, verumq́; bonum vocari: ideoq́; agnoſci, & repudiatis rebus, quæ magni fiunt in terris, omnibus, ipſum celebrari: ipſum precibus, ſupplicationibus, gratulationibus piè, ſanctèq́; adiri, & coli, ſapientiæ, iuſticiæ, bonitatis, ignoſcentiæ, clementiæq́; ergò: homini ignominia, dedecore, ſtulticia, iniuſticia, peccatis, & vacuitate gloriæ Dei adſcriptis, & aſsignatis.

Quoniam) Neq; verò celebre eſt nomen tuum in omnibus terrarum finibus: ſed gloria tua cœlos quoq; ipſos tranſcendit. Magnificentia, μεγαλοπρέπεια, gloria, ſeu maieſtas Dei eleuata, & collocata ἐπαρθεῖσα ὑπὲρ ἄνω τῶν οὐρανῶν, ſuper cœlos, eſt ipſe Chriſtus Dominus, Deusq́; noſter: qui collocatus in ſede immortali, caput eſt, & princeps Eccleſiæ: cuius beneficio magnificum, glorioſum, & maieſtate ampliſsimum eſſe Patrem cœleſtem agnoſcimus, & confitemur: & ab illo viciſsim magnificentia, gloria, & maieſtate, propter meritum Filij, honeſtamur, & illuſtramur.

II.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum & vltorem.

ἔκθεσις, Narratio, qua modum exponit collectionis Eccleſiæ, Coniungens cauſas, τὸ ποιητικόν, efficientem, Deum, & ὀργανικόν, inſtrumenta Apoſtolorum linguas. Ore infantium, & lactentium regnum tibi condidiſti, & imperiũ propter aduerſarios tuos conſummaſti. Regni Chriſti conſtitutio diſsimilis eſt imperiorum Mundi. Hæc enim armis, & vi bellica acquiruntur, conſeruantur, & adminiſtrantur: illud verò autore Spiritu

Spiritu S. verbo tantùm, & veræ doctrinæ propagatione, non Platonis, Ariſtotelis, Phocionis: ſed τῶν νηπίων, καὶ ψελλαζόντων ore, inuitis non tyrannis ſolùm, & huius ſeculi ſapientibus, ſed ipſis etiam Orci portis, fundatur, & gubernatur. Eſa. 51.
Huc illud Eſaiæ pertinet: Ego Dominus Zabaoth verba ori tuo ſuggeram, teq́; meæ manus vmbra tegam: vt plantes cœlum, & terram fundes: ac Sioni dicas: Tu meus es populus. Quis autem non videt, ita moribus comparatum eſſe inter homines: vt mutuum ferè muliſcabant, & alij ab alijs gloriam accipiant: ac rari inueniantur, qui teſtimonium dent Filio Dei: & ad celebrandum nomen diuinum vires ingenij, dicendiq́; facultatem conferant? Quare etiam verſum hunc citat ipſe Chriſtus: & exultans mente, gratias, inquit, ago tibi Pater, cœli, & terræ Domine: qui hæc ſapientes, peritosq́;, σοφοὺς, καὶ συνετοὺς, celaueris, & infantibus, νηπίοις, patefeceris. Mat. 11.21. Luc. 10.
Non multi ſapientes ſecundum carnem (quod ad humanitatem attinet) non multi potentes, nō multi nobiles vocati eſtis: Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat (pudefaciat) ſapientes: & infirma mundi elegit Deus: vt confundat (confutet) fortia: & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non (nihil) ſunt: vt ea, quæ ſunt, deſtruat (aboleat:) vt non glorietur omnis caro (aliquis mortalium) in conſpectu Dei. Paulus. 1. Cor. 1.
Laus, αἶνος, conſequentis pro antecedentis vſurpatione, virtus eſt Euangelij, quod diuina eſt potentia, & efficacitas ſalutaris omni fidenti, δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, vt loquitur Apoſtolus: Hæc fundatur, confirmaturq́; vi diuina: ſed non niſi ore docentium. Rom. 1.
Non enim vos eſtis, qui loquimini, inquit apud Matthæum Chriſtus, ſed patris veſtri Spiritus in vobis loquitur. Matth. 10.
Citat huius verſus partem priorem idem Chriſtus contra pontifices, & ſcribas indignè ferentes Oſiana ipſi à pueris acclamari. Matth. 21.
Sed de auditoribus μάλιστα ἔλαμψεν ἡ θεία χάρις ἐν τοῖς νηπίοις, καὶ ἀνοήτοις ἐνεργουμένη, inquit Baſilius. Diuina gratia efficax apparuit, & ope-

roſa in infantibus, & rudibus. Auguſtinus etiam ad infantes ab Herode occiſos accommodat hunc verſum: qui cùm lingua Chriſtum non potuerint confiteri, teſtimonio mortis ſuæ ſint confeſſi. Contra Iudæos, Paganos, & Arrianos.

Vt deſtruas inimicum & vltorem. τὸ τελικὸν *Imperij Chriſti: vt coërceas hoſtes, & aduerſarium euertas: vt vaſtitatem inferas regno Satanæ, & fidentes tibi in libertatem felicem, & omnibus ſeculorum ætatibus duraturam vindices. Hoſtes, & vltores ſunt: cùm ipſe, qui crudeliter vexat nationem piorum, & omnibus contumelijs, & iniurijs afficit, inferorum manium Princeps: tum prauarum diſciplinarum magiſtri: qui cùm à Chriſto defecerint, eius tamen Apoſtolos ſeſe, & Spiritus diuini interpretes eſſe ementiuntur: ideoq;, qui contra futilia ipſorum dogmata vel mutire audent: vt peſtes Eccleſiæ, qui omnia tetra facinora, cum ſumma petulantia, cũ inſigni contumacia, cum temeritate, & impudentia execranda ſuſcipiant (ſic enim quidam loquuntur) non ſolùm malo, & damno mactant: ſed etiam in cruciatum abripiunt, & vita exuunt. Horum deſtruuntur,* καταλύονται, *alij ad ſalutem, magno cum ipſorum commodo, emolumentoq;, vt Paulus ipſe Apoſtolus: alij verò cum Diabolo ad perniciem, & interitum ſempiternum, vt Iulianus.*

III.

Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum: Lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Vt tuis manibus fabricatos orbes cœleſtes videamus: vt Lunam, & ſidera abs te condita ſumma cum voluptate intueamur. Διὰ τοῦ ὑπεῖν ἃ σὺ ἐθεμελίωσας, ἐσήμανε τὸ πάγιον, καὶ ἀμετάβλητον τῆς ὑπὸ θεοῦ δοθείσης αὐτοῖς τάξεώς τε καὶ εἱρμοῦ· ἔταξε γὰρ αὐτοὺς εἰς καιροὺς, καὶ εἰς σημεῖα, καὶ εἰς ἐνιαυτούς. *Cùm inquit, quæ tu fundaſti: innuit ſtabilitatem & immutabilitatem ordinis, ac curſus illis à Deo præſcripti.*

Statuit

Statuit enim illos in tempora, ſigna, dies, & annos. Damaſcenus. Sed hîc cœlos, τοὺς οὐρανοὺς, ipſam Dei Eccleſiam ἀλληγορικῶς: lunam, et ſtellas, τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας, Apoſtolos, & doctores, qui à Sole Chriſto mutuata luce fulgent: digitum Dei, δάκτυλον θεοῦ, Spiritum intelligit Propheta ſanctũ iuxta illa: Ecce ego cœlum nouum, & terram nouam creaturus Eſa. 65.
ſum: & non erũt in memoria priora. Et: Qui docti fuerint, ful- Dan. 12.
gebunt quaſi ſplendor æthereus: & qui erudiunt ad iuſticiam multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sol obtenebrabitur, & Luna non dabit (emittet) ſplendorem ſuum, & ſtellæ cœli decident, Chriſtus. Digitus Dei hic eſt. Moſes. Digito Dei eijcio Matth. 24
dæmonia. Chriſtus. Caßiodorus cœlis intelligit ipſos libros Exod. 8.
doctrinæ ſalutaris, quòd Lex digito Dei ſcripta. Quamuis au- Lucæ 11.
tem Apoſtoli, & verbi diuini adminiſtri infantes ſunt: & ab illis collecta Eccleſia nullis viribus valet, ac potius contemti ſunt vtriq; & periculis expoſiti omnibus: conditi tamen, & fundati diuino ſpiritu, doctrina, miraculisq; vt ſtellæ colluſtrant omnia, et cœlo firmiores contra omnem aduerſariorum potentiam conſiſtunt: ac tandem, omnib. laboribus, & ærumnis defuncti, conſuetudine Dei æterna, æuoq; beatißimo, & ſempiterno fruentur.

IIII.

Quid eſt homo, quòd memor es eius? & filius hominis, quoniam viſitas eum?

Ἐρώτησις θαυμαστική, interrogatio: qua in admirationem erumpit Propheta, & pro bonitate ſua, & beneficentia Deo gratias agit: qui tanto amore proſequatur genus humanũ: vt ex terræ addictis, & Dei, quem hoſtem ſuum iudicant, oblitis, ærumnoſis, atq; omni ſcelere, flagitioq; contaminatis mortalib. colligat ſibi Euangelij diuulgatione cœtum: à quo perpetuis ſeculorum ætatibus celebretur. Equidem beneficia tua, quæ confers in

Eccleſiam animo, & cogitatione cùm complector, ſtupore oppreſſus non poſſum mihi temperare, quin exclamem: Domine, quis eſt homo, quòd memor es ſalutis eius: quis eſt homine natus, quòd rationem illius habes? Memor fuit hominis Deus, eumq́; veluti ægrum, & peſtifero morbo lethaliter laborantem inuiſit: cùm Filius ipſius abdicauit quaſi ſe ſua maieſtate: & noſtræ libertatis cauſa formam, & conditionem ſerui ſuſcepit: &, vt nobiſcum ſuam immortalitatem communicaret, mortalitatis noſtræ amictum induit: & poſt maximos labores, & quas tolerando perpeſſus eſt, ærumnas, acerbiſſima morte vitam amiſit: vt à pœna, ſcelerumq́; nexu liberati hæredes efficeremur vitæ perpetuæ, & immortalis. ἴδε πόσος ἐστὶν ὁ οὐρανός, καὶ ἡ γῆ, καὶ ἡ σελήνη: καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος, εἰ μὴ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ μόνῳ ἐπαναπαύεσθαι. τιμιώτερος οὖν ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος ὑπὲρ πάντα τὰ δημιουργήματα. *Ecce quanta ſunt cœlum, terra, luna: & tamen non in illis viſum eſt Domino, ſed in ſolo homine acquieſcere: præſtat igitur homo operibus diuinis omnibus. Macarius. Nihil eorum, quæ in cœlo, & terra, in mari, & abyſſis fecit Dominus, carius homine ſuo habuit: ob eum enim vnigenitus eius filius homo extitit. Hilarius.*

V. VI.

Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum.

Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.

μετάβασις συγκριτική: *qua occaſione ſumta ab hominis filio,* τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *hoc eſt, Virginis (quod nomen ipſe imponit ſibi* ὑποστατικῶς *autor ſalutis noſtræ Ieſus Chriſtus) labores*

labores & ærumnas liberatoris, & vindicis hominum cum gloria, & maieſtate ipſius: Eccleſiæ miſerias præſentes, & calamitates, cum futura felicitate, & beatitudine componit. Nam & Chriſtus ipſe, cùm, naturæ peccatis obnoxiæ habitu ſumto, vt humano generi vitæ immortalitatem redimeret, ad mortem nulla coactus vi ſe offerret pro nobis: derelictus videbatur à Deo: & Eccleſia in hoc mundo inter varias calamitates deſerta eſſe, & deſtituta præſidio omni exiſtimatur: verùm, vt Chriſtus reuocatus in vitam gloria, & autoritate ornatus eſt: ſic etiam Eccleſia poſt triſtiſsimas huius vitæ ærumnas, omni decore, & honore coronabitur. Angelis ſanè quidem paulò minorem illum, inferioremq́; feciſti: dum maximos, quibus ſalutem conſtituit Eccleſiæ ſempiternam, veluti perditiſsimus in crucem latro ſuffixus, dolores ſuſtinuit: verum eundem ita rurſus extuliſti: vt operum eum manuum tuarum Dominum, & principem faceres: & poteſtati eius, quæ cœli, & terræ complexu continentur vniuerſa ſubiungeres. Vide epiſt. ad Heb. Filius apud Patrem (vtimur verbis Auguſtini) æqualis cum Patre, ſempiternus cum ſempiterno, creans cum Patre angelos, conſtituens mundum, faciens homines, vitam largiens æternam, minor redditus eſt, in natura humana exiguo diſcrimine, βραχύ τι ἠλάττωται, quàm ſunt angeli, ſeu eguit, & defectus eſt Deo: cùm peccati in Dei forma, expers, peccatum hominum cauſa factus, & offerens ſe pro nobis ad mortem, in acerbiſsimis, & animi, & corporis, quos pertulit, cruciatibus, clamare habuit neceſſe: Deus, Deus meus cur me dereliquiſti: gloria verò, & honore, τῇ δόξῃ καὶ τιμῇ coronatus, et ornatus eſt, ἐστεφάνωκε, à cœleſti parente: cùm reuerſo victori in vitam (non abdicans ſeſe imperio mundi, ſed cum Mariæ filio regnum totius vniuerſitatis rerum communicans) omnem poteſtatem, ἐξουσίαν, in cœlo dedit, & in terra, donans ſedentem ad dexteram maieſtatis nomine omnium nominum ſummo: vt ad nomen Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & ſubterrane- Phil. 2.

orum: & omnis lingua confiteatur Dominum eſſe Ieſum Chriſtum ad gloriam Dei patris.

Nam Chriſto quæcunq; vſquam potis eſſe poteſtas
Omnis vbiq; data eſt, cœlo, terraq;, mariq;:
Omnia vt æterna ditione in ſecula frenet.
Inſuper inſigni eſt genitoris munere adeptus
Præclarum, & dictis non enarrabile nomen,
Inſolitum, euectum ſuper omnia nomina nomen:
Quod cœlum, telluſq; tremunt, atq; infera regna.

Vide Auguſtinum contra Maximinum Arrianum lib. 3. cap. 25. De verſione interpretũ 70. et epiſtolæ ad Hebræos autoris conſule Stapulenſem. Opera manuũ Dei τὰ ἔργα τῶν χειρῶν θεοῦ, *ſunt non ſolùm cœlum, terra, & naturæ reliquæ: præterea ſancti ſapientes, docti, potentes: ſed etiam, & multò quidem magis peccatores: quales ſunt Dauides adulter, Petrus inficiator Chriſti, Paulus infeſtator Eccleſiæ, ſtulti, rudes, in pædore iacentes, & puluere; viui deniq;, & mortui vniuerſi. Idem. n. eſt Deus qui omnia efficit in omnibus. Ac certè quidē, ſiue viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur, inquit Apoſtolus.* Rom. 14.

VII. VIII.

Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.

Volucres cœli & piſces maris: qui perambulant ſemitas maris.

ἐξεργασία κατ᾽ ἀπαρίθμησιν. *Sub pedes illius, imperio eius vt ſeruiant, dediſti non bomines modò, ſed beſtias etiam agreſtes, animantes aëreas, & quæ fluminibus natant piſces, & mari occultantur belluas. Cum dicit Propheta ſubiecta eſſe pedibus Chriſti omnia: an non innuit, non cœlum tantùm, & cœleſtes naturas, præterea ſolem, elementa, animantes, artes, leges, inſtituta omnia fidei noſtræ ad Chri-*

Chriſti gloriam ſeruire: ſed Satanam quoq;, peccatum, mortem, calamitates, anguſtias, vexationes, famem, nuditatem, pericula, gladios demq; illius dominatu premi: & neq; mortem, neq; vitam, neq; genios, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; ſublimia, neq; depreſſa, nec vllam aliam rerum naturam poſſe nos ab amore Dei diuellere: qui amor eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt loquitur Apoſtolus. Alludit autem ad illud: Replete terram, eamq; ſubigite: & in piſces aquatiles, volucresq; aëras, & omnes, quæ in terris mouentur, beſtias, imperium exercete. Quibus verbis Deus Rm. 8. Gen. 1.

homini permiſit munera mundi,
Iusq; dedit volucrum, pecudum, genus omne ferarum,
Et genus æquoreum & deformia monſtra natantum.

Hoc imperium, propter princeps hominis peccatum admiſſum, Eccleſiæ ſuæ Chriſtus (cuius ὑπὸ κάτω τῶν ποδῶν ὑπέταξε, *pedibus ſubiecit omnia, dans ei regnum Pater, quod ambit omnia dia, & marina, & terrea, à ſolis ortu ad exitum, & tartara, & cœlum ſupra vt ille canit) reſtituit: vt quæ tota rerum vniuerſitate continentur, omnia fidei noſtræ ſeruiant: adeoq; vtantur, fruantur etiam ijs impij, & à Deo remoti propter ſanctos ex omnibus gentibus, & populis in numerum filiorum Dei aggregandos. Abſq; enim eo foret, nec fructus pecudes, nec agri ſegetes ferrent: & irato Deo pax turbata, & regna imperiaq; labefactata iam pridem concidiſſent. Tanta eſt quæ meretur extrema omnia, mundi improbitas, & nequam dæmonis in genus humanum odium. Vide epiſtolæ ad Epheſios caput primum: vbi demonſtrat Apoſtolus Chriſtum eſſe cunctarum rerum potentem Dominum: eiusq; ditioni, & imperio omnia ſubiecta eſſe vbiq; & ſemper.*

IX.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?

Conclu-

Concluſio in admirationem deſinens, à qua Pſalmus cœperat. Maxime omnium rerum conditor, & conſtitutor Domine, quàm nobile, & illuſtre eſt nomen tuum in orbe terrarum vniuerſo.

PSALMVS IX.

ECCLESIA PVBESCENS.

INſcribitur hic Pſalmus pro iuuentute ſpecioſa, & illuſtri, ſeu candida, hoc eſt incunabulis quaſi ex aqua, & Spiritu denuo nati populi, & Eccleſiæ primordijs: quam quidem Eccleſiam affirmat ad ſimilitudinem exempli Chriſti omnis generis calamitatibus ſubiectam, & occiſioni expoſitam fore. Explicat autem iſta omnia ſub gratiarum actionis, conſolationiſq; forma. Iuducit enim Chriſti fidem amplexos, & eos inprimis, qui propter veræ doctrinæ confeſsionem in fortunarum, ac non rarò vitæ ipſius diſcrimen vocantur, Deo gratias agere, ſibiq; gratulari ipſi, quod propugnans pro ſe cœleſte numen habeant: cuius fauore, & beneuolentia, quò grauius vexentur, & ad pœnas, ac ſupplicia rapiantur à tyrannis, eò magis numerus ipſorum augeatur, amplificeturq; : donec ex ijs, qui inimico animo perſequuntur pios, quidam ad Dei Chriſtiq; cultum conuertantur: reliqui verò ad vnum omnes exemplis miſerrimis intereant. Videtur autem Prophetæ, vel occiſus ab ipſo Goliathus, vel interitus Saulis, vel mortuus Nabalus, vel etiam ſui in regnum reſtitutio, occaſionem huic Pſalmo præbuiſſe: ac reſpondere quadam ex parte ſeptimo: cuius in extrema

ma parte promittit Propheta ſe pro liberatione, & vindicta de hoſtibus Deo gratias acturum.

I.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Propoſitio. Qui Numine ſempiterno contines omnia, totius vniuerſitatis rerum conſtitutor, & conſeruator Domine: non meas opes, vires, potentiam, actiones præclaras, verùm nomen tuum celebrabo: & non lingua ſolùm: ſed toto mentis affectu gratias agens, maxima, & maximè admiranda miracula tua prædicatione extollam. Confiteri Domino, ἐξομολογεῖσθαι τῷ κυρίῳ, *eſt in rebus & proſperis, & aduerſis celebrare Numen æternum, & maieſtatem cœleſtem decorare laudibus: quod fit miraculorum,* θαυμασίων, *diuinorum narratione,* διηγήσει, *expoſitioneq́;.* ἐξομολόγησις, εὐχαριστία *eſt, inquit Baſilius. Toto autem corde laudat Deum: qui omnibus animi ſenſibus pendet ex Numine cœleſti: non qui, vt eſt apud Theodoretum, cogitationes animi partitur in Mammonam, & Deum, in Chriſtum, & aurum, in præſentem vitam, & futuram.*

II.

Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo altiſſime.

ἐξεργασία. *Quicquid gaudij, & leticiæ, quicquid delectationis homini poteſt contingere, id in te vno poſitum, & conſtitutum habebo: ideoq́; laudes tuas ad citharam canendo ſine intermiſſione celebrabo. Piorum eſt, & colentium Dei læ-*

ta

lætari & exultare, εὐφραίνεσθαι, καὶ ἀγαλλιᾶσθαι, oblectationes animi quærere, non in rebus fragilibus, & caducis, non ſuis opibus, & virtutibus: ſed in numine cœleſti: & canere ψάλλειν, non impia, & bonis moribus pernicioſa, verùm nomen Domini.

III. IIII. V.

In conuertendo inimicum meum retrorſum: Infirmabuntur & peribunt à facie tua.

Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſticiam.

Increpaſti gentes, & perijt impius: nomen eorum deleui in æternum, & in ſeculum ſeculi.

ἔκθεσις: qua narrando exponit, quæ, & quanta à Deo beneficia acceperit. Te, qui videbare, quaſi ſomnum caperes, quid de nobis fieret, nihil curare quicquam, pro vita, & ſalute noſtra propugnante, hoſtes retrò verſi dederunt terga, & inimici occidione ſunt occiſi: te pro tribunali ſedente, & cauſam, litemq́; noſtram diſceptante, in priſtinum dignitatis, & officij gradum ſum reſtitutus: te, non armis, & inſtrumentis bellicis protelante impios, ſed iratius tantum pronunciante verbum, ita in aduerſarios noſtros vindicatum eſt: vt & ipſi exciſi, & nomen illorum de hominum memoria ſit ſublatum. Facere iudicium, ποιεῖσθαι τὴν κρίσιν, & cauſam τὴν δίκην, litem agere, eſt cognoſcere controuerſiam, & ferre, ac pronunciare ſententiam. Increpat, ἐπιτιμᾷ Deus ἔθνεσι, refutat, protelat, ſubuertit, exterminat gentes: tum quando Spiritu ſuo, non arguit

tos, de peccato, & iuſticia, & iudicio: tum quoties non dat illis Dauidas, Cyros, Alexandros, τοὺς nimirum ἐκπεπυλαγωμένων, tali robore præditos, qualis à fortißimo ſagitta torta milite: Sed Sardanapalos, Darios, Auguſtulos: ſub quorum imperio perduntur impij, ἀπολοῦνται ἀσεβεῖς: & euntium cum principe ſuo in ignem, & pœnam perpetuam, nomina, gloria, & maieſtas aboletur in omnem æternitatem. Ex hoc loco videri poteſt ſumſiſſe Zacharias ſua illa. Pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra: diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.

VI.

Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum deſtruiſti: perijt memoria eorum cum ſonitu.

Ἐπιτίμησις κατ᾽ ἀποστροφὴν: qua auerſione ſermonis, quæ diſsimulante vrbanitate, quæ eſt εἰρωνία, exornatur, in vanos conatus, minationesq́; aduerſariorum inſultat: & in nihilum recidiſſe eas oſtendit. Feruida tua dicta, quibus nos terrebas hoſtis barbare, minæ, quas iactabas, pericula, quæ intendebas, quo tandem euaſerunt? Scilicet vrbes, oppidaq́; noſtra diſturbaſti: & famam nominis noſtri ex memoria hominum euulſiſti.

VII. VIII.

Et Dominus in æternum permanet: Parauit in iudicio thronum ſuum.

Et ipſe iudicabit orbem terræ

in

in æquitate, iudicabit populos in iu-
ſticia.

Αντίθεσις, quæ traductione ὑποθέσεως ad θέσιν abſoluitur. Hoſtes Eccleſiæ omnibus ſeculis exemplis miſerrimis pereunt: Deus verò, & Eccleſia ipſius in omnem æternitatem permanet: qui, cùm ad iudicium, tribunali compoſito, ſedeat, tum iuſtos opprimi non patitur: ſed, cognita potius eorum cauſa, contra aduerſariorum calumnias, & iniurias fortiter tuetur eos, & defendit: tum æquitate ſua pendentibus à doctrina cœleſti præmia ampliſſima, iuſticia verò ſceleratis, & verbi contemtoribus ſupplicia debita conſtituit. Iuſticia, δικαιοσύνη, etiam ad condonationem peccatorum referri poteſt: cùm gratiam delictorum facit Deus pœnitentiam agentibus: & motus miſericordia, & clementia ſua, propter Filium, iuſticia nos ornat cœleſti, & ſempiterna. Æquitas verò, ſeu rectitudo, εὐθύτης, ad ſanctitatis donationem ſpectat: cum afflatis Spiritu ſancto puritatem animi largitur: vt nihil, niſi rectum, honeſtum, & ſanctum expetentes ad regulam legis diuinæ vitam, actionesq́; conforment. Iudicabit orbem in iu-
Pſa. 96. 98. *ſticia (iuſtè) & populos in veritate (ex æquo fideliter.) Data*
Matth. 28. *eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & terra. Chriſtus.*

IX.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Παραμυθία, quæ conſolatur, & hortatur pios, qui cœtus pauper ſunt, abiectus, & contemtus, ne animo deficiant in rebus triſtibus, & aduerſis. Non poteſt fieri, vt Deus in ſe ſperantes, deſertos eſſe patiatur: vt qui defenſor pauperum,

rum, tenuibus, & omni ope humana destitutis præſidio ſoleat eſſe: eosq́;, arce veluti firma receptos, tueri, & defendere. Refugium, καταφυγὴ, excitationis, & in rupem quaſi editam euectionis ſignificationem habet: qua innuitur, Deum hominibus pijs, ceu aſylum quoddam, aperuiſſe ſuæ defenſionis arcem: ad quam, prementibus illos improbis, conuolent. Quod addit Propheta, in opportunitatibus, ἐν εὐκαιρίαις, hanc vim habet: vt diſcamus Deo committere, quando, & quomodo nos liberare velit. Nouit enim ille exactiſſimè opportunum & tempus, & modum nos iuuandi. Liberabit Pauperem à potente, & afflictum cui non erat adiutor. Autor. Pſal. 72.

X.

Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Sedes Domine, regnas, iudicas, defendis, & tui ſtudioſos deſeris nunquam: igitur confidant tuæ miſericordiæ, quicunq; aliquid de clementiæ tuæ fama auditione acceperunt: exultent, & lætentur in te omnes quærentes te. & dicant: Magnificetur, & extollatur Dominus. Pſal. 40.

XI.

Pſallite Domino qui habitat in Zion: annunciate inter gentes ſtudia eius.

Adhortatio, κατ᾽ ἀποστροφήν, ad omnes omnium ætatum ſanctos: vt grata mente diuinorum, in ſe liberandis, beneficiorum memoriam vſurpent. Carmina, nullo puncto temporis intermiſſo, habitatori Sionis Domino cantitate: & apud omnes gentes, quæ nec audiuere famam, nec viderunt gloriam Dei, conſilia, o-

pera, factaq; illius prædicate. Memorate inter gentes ſtudia e-
Pſal. 105. ius: Autor. Habitator Sionis, ὁ κατοικῶν ἐν σιών, Christus
eſt: quem Pater cœleſtis regem præfecit monti Sionio. Huius
opera, & ſtudia, ἐπιτηδεύματα, ſunt hoſtium quidem prote-
latio, euerſio, & nominis illorum abolitio: cauſæ verò ſuorum,
litisq; diſceptatio: & ſalutis Eccleſiæ propugnatio, & defenſio.

XII.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum.

Ratio. Eorum enim, quos caros habet, iniurias vlciſci-
tur: pœnas ſanguinis, quos curat, ſeruorum ab impijs expetit,
gemitus, & querimonias inopum inanes, & irritas eſſe non ſi-
Luc. 18. nens. Nonne faciet Deus vindictam electorum (vlciſcetur ele-
ctos, ποιήσει ἐκδίκησιν) ſuorum clamantium ad ſe (quiritan-
tium) dies, & noctes, & patientiam habebit in illis, (μακρο-
θυμῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς: & tam erit in eos difficilis?) dico vobis,
Gen. 9. quia citò faciet vindictam illorum (vlciſcetur illos) Requirere
Ezech. 3. ſanguinem, ἐκζητεῖν τὸ αἷμα, cædem eſt alterius vlciſci. O-
mnium ſanctorum fidelis oratio clamor eſt Deo: Fidei enim ad
eum, non vocis clamore clamatur: ſed & martyrum ſanguis voce
corporis caret: ſed indignitas necis eorum Deo clamor eſt. Hi-
larius. Pauperes, πένητες, vocantur ſacris in literis, non
ij, qui copia rerum, quæ ad viuendum ſunt neceſſariæ, deficiun-
tur, ideoq; in egeſtate miſeram vitam, & ærumnoſam degunt:
ſed Spiritu inopes, πτωχοὶ τῷ πνεύματι, pauperes animo:
qui iram Dei aduerſus peccata ſua intelligentes, intimis cruci-
antur ſenſibus: ideoq; nec gloriæ, nec diuitiarum cupiditate
ducuntur: ſed, in rebus etiam maximè aduerſis animo forti, &
tranquillo conſiſtentes, in ſola Dei miſericordia, & clementia
ſpem ſuam reponunt.

Miſerere

XIII.

Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis: qui exaltas me de portis mortis.

μίμησις. Exponit enim querimonias, & preces ſuas: quibus vſus ſit, cùm in ſummum periculum capitis, & fortunarum veniſſet. Opem fer, & auxilium mihi pro miſericordia, & clementia tua Domine: ſpecta ſolitudinem, & inopiam meam: vide quanta crudelitate exagiter ab impijs: qui ex mortis ore, & faucibus Orci me ſoles eripere. Portæ mortis, πύλαι τοῦ θανάτου, ſeu ianuæ inferorum συνεκδοχικῶς, mors ipſa eſt, & infernus, & miſeriæ, atq; ærumnæ ſempiternis ſeculorum ætatibus manſuræ.

XIIII.

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Zion: Exultabo in ſalutari tuo.

Ratio ἀπὸ τοῦ τελικοῦ. Ideo liberatio è calamitatibus à Deo petenda eſt, non vt nobis poſtea bene ſit, & fruamur voluptatibus: ſed vt Deus gloria, & laude afficiatur: & multi ad eum piè, & ſanctè colendum exemplo noſtro excitentur. Vt frequenti in populi conuentu laudes tuas prædicando extollam: & propter tuam, pro ſalute noſtra, propugnationem gaudio exultem. Portæ vrbium celeberrima pars ciuitatis fuerunt in Repub. Hebræorum. In ijs enim conuentus agi, & iudicia exerceri ſolebant. Salutare σωτήριον, tutelam intelligit, & pro ſua ſalute propugnationem: reſpiciens latenter ad ipſum Filium Dei: in cuius negocio, poſtquam facta per ſemet ipſum expiatione peccatorum noſtrorum, conſedit ad

dexteram maieſtatis in ſublimi, Dei gratia triumphamus: vt, quo magis premamur, magis religio Chriſtiana augeatur.

XV.

Infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt: in laqueo iſto quem abſconderunt: comprehenſus eſt pes eorum.

τὸ ἐκβὰρ, *imagine illuſtratum, quo, quæ vis fuerit, & effectus ſuarum precum, oſtendit. In exciſam à ſe foueam ſunt demerſi: quæ vis mihi ab improbis intentata eſt nefariè, ea in ipſos recidit. Suis ſe fraudibus induerunt: in mala, quæ mihi parauerant, inciderunt. In ijs, quas nobis poſuerunt, inſidijs ipſi ſunt interclusi. Interitus,* διαφθορὰ, *fouea, conſequens pro antecedente poſitum eſt. Pſalmo 7. eſt Lacum aperuit. Laqueus,* παγὶς, *quem pijs abſcondunt,* κρύπτουσι, *occultant improbi, nihil eſt aliud, quàm fraudes, doli, & fallaciæ, quibus ex inſidijs ad euertendos, opprimendosq́; doctrinæ ſalutaris profeſſores improbi aggrediuntur. Translatio ſeu imago ſumta eſt ab ijs, qui inſtructis pedicis auibus, aut feris inſidias tendunt. Solet autem non rarò accidere, vt qui alteri oppoſitis inſidijs periculum ruinæ ſtruit, ſuis ipſe fraudibus intercludatur, iuxta illud:*

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τεύχει κακὸν ἥπατι τεύχει.

XVI.

Cognoſcitur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

ἐπιφώνημα. *Impij quidem multa ſibi, magnaq́; pollicentur de oppugnatione, oppreſſioneq́; ſanctorum. Et verò initia*

tia actionum conſilijs non raró præclarè videntur reſpondere: verùm exitu inſelici, & miſerabili concluduntur: ac docet tandem euentus ipſe, Deum ius facere, & pro miſeris ac calamitoſis propugnantem, impiorum, qui ferocitate exultant, vires, opesq́; funditus euertere: quæ quidem res ſingulari animi penſione, admirationeq́; cum primis digna eſt. Iudicium Dei in ſuos non in compede, aut pileo vertitur: ſed in æternitate, aut pœnæ, aut ſalutis. Tertullianus.

Opèra manuum, τὰ ἔργα τῶν χειρῶν, quibus comprehenduntur, συλλαμβάνονται, irretiuntur impij, ad vtrasq; referri poſſunt actiones: tum quas ad Dei fauorem demerendum adhibent, ijsq́; maxima cum temeritate confidunt: tum quæ ad malum, & damnum bonis dandum ſuſcipiunt. Meditatio, quam vocem ex Hebræo Hieronymus hoc loco adijcit, animi ſignificat piè, & attentè diuini verbi potentiam, & operum diuinorum mirabilitatem cogitantis ſecum, commentationem.

XVII.

Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.

πρόῤῥησις ἀπειλητική, qua malum denunciat impijs. Relegabuntur in perpetuas tenebras peccatores: quæ noticiam non habent, gentes ſupplicijs ſempiternis mactabuntur. Conuertuntur in infernum, ἀποστρέφονται εἰς τὸν ᾅδην, retro labuntur in tartara, tum qui propter ſcelera, & flagitia prorſus ad cæcas inferorum tenebras detruduntur: tum qui, lege diuina accuſante ſordes, & impietatem hominum, in eas anguſtias animi conijciuntur: vt in ipſa tartara depulſi, & in maximas, & perpetuas miſerias ſibi proiecti videantur. Atq; hanc poſteriorem in ſententiam intelligunt hunc verſum ij, qui εὐκτικῶς eum enunciant: vt conueniat cum verſu vltimo Pſalmi 6.

XVIII.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Ἀντίθεσις παραμυθική. At verò licet iacent quidem in hac vita pij, & videtur oblitus eſſe illorum Deus: fieri tamen non poteſt, vt ſuorum calamitates negligat, & ſpem bonorum irritam eſſe patiatur. Huc illud: Non dabit in æternum fluctu-
Pſal. 55. *ationem iuſto: id eſt, non ſinet virum bonum labefactari, vexa-*
Luc. 21. *ri & opprimi ſemper ab impijs. Et: In patientia poßidebitis animas veſtras. Conſuletis ſaluti veſtræ patientia.* στῆκε ὡς ἄκμων τυπτόμενος: μεγάλου ἀθλητοῦ ἐστι δέρεσθαι καὶ νικᾶν: μάλιστα δὲ ἕνεκεν θεοῦ πάντα ἡμᾶς ὑπομένειν δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομένῃ. *Sta incudis inſtar ad ictus. Athletæ fortis eſt verberari, & vincere: maximè verò propter Deum omnia nos decet ſuſtinere: vt qui ipſe nos ſuſtineat. Ignatius.*

XIX. XX.

Exurge Domine: non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo.

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.

Concluſio continens precationem: vt ea, quæ de piorum defenſione, & pœnis impiorum optauit, rata, & firma eſſe Deus iubeat. Excitare, & inſurge in iram Domine: & inſolentius efferentibus ſeſe, potentiaq; ad perniciem miſerorum abutentibus, metum, & formidinem incute: ſententia pro natione ſancta.

ne ſanctorum pronunciata pœnas repete ab impijs: documentum ſtatue iuſticiæ tuæ: vt malo tandem ſuo intelligant aliquando, ſe miſeros, nihiliq́; eſſe homines: quorum nec ſapientia, nec prudentia, nec conſilium aliquid contra Deum poßit. Legiſlator, νομοθέτης, & doctor, ſempiternæ ſunt legis diuinæ ſanctiones: ex quibus, intellecta Dei iuſticia, noticia peccati oritur: & impietatis humanæ, futilitatisq́; diſciplina accipitur. Si omnis homo mendax, exurge veritas, non præualeat falſitas. Homo ergo ſi vult eſſe aliquid boni: non ſit de ſuo proprio. Si enim de ſuo eſſe voluerit: mendax erit. Exurge ergo Domine, non præualeat homo. Aug. de verbis Domini Sermone 81.

PSALMVS X.

ANTICHRISTVS.

QVerela cùm de omnium temporum tyrannis, hypocritis, aduerſarijsq́; Eccleſiæ, & qui cum illis faciunt, ſceleratis, ac nefarijs hominibus omnibus: tùm vel maximè de Filij Dei hoſte, qui ſe Chriſtum mentitur, capitali. Patriarcham, qui coniuges duram ſeruitutem ſeruiendo comparauit, ſocer, & frater: Opilionem à caulis ouium ad regnum vocatum cum ſacerdotibus pijs, rex Hebræorum primus: Prophetam Anathotenſem, Pontifices, & ſacrorum præfecti Hieroſolymis oppugnant, & perſequuntur: alij, etſi nolunt videri doctrinæ cœleſti aduerſari, clanculum tamen ſerunt calumnias: vt in odium adducant, & inuidiam Dei timentes. Iam ſapientes non pauci, pacis prætendentes, & concordiæ ſtudium, principum animos alioqui remotos à pietate, & religione, oleum quaſi addentes camino, vt ferrum expediant in homines innocentes, & cultum diuinum euertant,

ac bene conſtitutas vexent Eccleſias, inſtigant. Quid
2. Theſſ. 2. verò homo peccati, Filius'q; perditionis, qui eſt aduerſarius, & effertur ſupra Deum, ſupraq; omne quod colitur, adeo vt in templo diuino ſedeat, oſtentans ſe ipſum eſſe Deum? dummodo ius ſuum, ditionemq; non quidem retineat, ſed multò magis in omnes terrarum fines promoueat, proferat, protendat, omni ſcelere lacerare rem Chriſtianam minimè dubitat: idq; partim vi aperta, partim dolis, & fraudibus occultis. Nam & gladio armatus eſt tyrannico, quo ſæuit in corpora oppreſſorum: & reti, laqueoq; falſæ, & impiæ doctrinæ inſtructus animos compeditos tenet: os habens maledictione, dolis, & fraudibus redundans. Quis enim illo diris deuouendi homines, & peſtem eis, exitiumq; imprecandi promtior? quis mendacia, & impiam doctrinam ſtatuendi, propugnandiq; ſtudioſior? quis excogitandi fraudes, quibus non in bona ſolùm, honores, opesq; inuadat regum, & principum, ſed vita quoq;, & ſalute æterna ex inopinato interceptos nudet, ſpolietq;, ſolertior? Deſinit autem in conſolationem Pſalmus hic: qua pronunciat fore, vti tanta ſcelerati hoſtis intemperantia, & immanitas efferata puniatur: & pijs in libertatem vendicatis, tam ſceleſtùm nefas, in vltima deflagratione mundi in æternas miſerias, tenebraſq; proturbetur.

I. II.

Vt quid Domine receſsiſti longè: deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Dum ſuperbit impius incenditur

tur pauper: comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.

Exordium ὀδυρτικὸν ἀνθρωποπάθως, ſeu συμβολικῶς informatum: cui intexta eſt Propoſitio, & adiuncta ratio. Qui fit Domine, vt triſtiſsimo hoc tempore tam procul abſis: quid cauſæ eſt, vt remoueas à nobis oculos tuos: & omni cogitatione pendentem de te cœtum credentium patiare cum tantis ærumnis conflictari? Equidem intimis animi crucior ſenſibus, impium, quaſi re præclarè ſe habente, inſolentiùs efferri. Facies Dei duplex eſt. Interna, cùm blandè in cor noſtrum inſtillat verbum ſolatij, & remiſsionis peccatorum: Externa verò, quando largitur pacem, ſucceſſum, copiam omnium rerum: ſublatis, fame, peſte, bello, & infeſtationibus vexationibusq́; quæ ſunt facies Satanæ. Impium ſuperbientem, ὑπερηφανευόμενον, intelligit, cum Saulum ipſum, cuius ſub imperio ab arca Domini oracula petebat nemo: tum quemlibet eorum, qui non animaduerſa cæcitate, & humani cordis peruerſitate: quòd magnum ſeſe ac præclarum putat hominem, poſthabita doctrina cœleſti, ipſe ſibi apud animum ſuum concinnat modum, rationemq́; colendi Deum: eumq́; propter ita ſeſe admiratur ipſe: vt in cœlo ſibi videatur eſſe: quæq́; dicit, & facit, pro puro puto verbo Dei, iuſticiaq́; haberi poſtulet. Quæ cùm vident homines pij, Deiq́; metuentes: non poſſunt non incendi, ἐμπυρίζεσθαι, & dolore ardere. Vide Eſaiam 63, & Abacucum 1. Ardentibus ſimiles ſunt, qui mœrent, ac dolore conficiuntur: & veluti fumum, gemitum ore emittunt. Theodoretus.

III.

Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur: Exacerbauit Dominum.

Narratio cauſam querelæ continens, & hypotypoſi, ſeu χαρακτηρισμῷ *ſub oculos quaſi ſubijciens ſcelera, & vicia, cùm Antichriſti ipſius: tùm omnium, qui capitali odio Eccleſiam Dei perſequuntur* ΦΙΛΑΥΤΙΑ, *& arrogantia. Animi ſui cogitatis, & conſiliorum intentionibus implicatur peccator: ac laudans inuenta ſua, & de concluſiunculis ſibi placens, vt, qualis ſibi videtur in conſpectu Dei, talis etiam habeatur apud homines ſummo ſtudio, conatuq́; elaborat. Effrenata animi impotentia ad id furoris, amentiæq́; peruenit: vt quæ ſibi opinionis errore inductus apud animum confinxit: ipſe opinionum commenta pro Dei verbo oſtentare: deq́; eis arrogantiſsimè gloriari minime dubitet: Et quia eſt iniquus, hoc eſt, iniuſtus, & auarus, qui ſui emolumenti gratia facit omnia, qui omnia ponit in pecunia, ſucceſſu elatus, ſua omnia rectè habere putat: ideoq́; gratulatur ſibi, Deum ipſum ſpernens, & contumelia afficiens. Si cui placet, quod vetus habet translatio verbum, laudatur: addat illud Auguſtini: Si miniſter verbi laudatur, verſatur in periculo. Comprehenduntur ſuis conſilijs,* συλλαμβάνονται ἐν διαβολίοις οἷς διαλογίζονται, *qui bonis ſuis, vt apparent, ratiunculis, quaſi caſsibus irretiuntur: ex quibus expedire adeo ſeſe non poſſunt: vt arctius in dies ſingulos, arctiusq́; impiarum opinionum vinculis conſtringantur: donec ſuæ doctrinæ aduerſatores interficiant: quòd Deum à ſe hoc quaſi ſacrificio coli putant. Iniquus,* ὁ ἀδικῶν, *iniuſtus eſt, auarus,* καὶ πλεονέκτης, *ſemper enim defectionem à fide, & doctrina puriore cupiditas opum diuitiarumq́;*
Zach. 12. *comitari ſolet. Atq; huc faciunt illa. Agunt Domino gratias,*
Phil. 3.
1. Timo. 6. *quod ditati ſunt, Zacharias. Quorum Deus venter eſt,* ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία *qui ventrem pro Deo habent. Paulus Et putant pietatem quæſtum eſſe. Idem.*

IIII.

Peccator ſecundum multitudi-

nem iræ ſuæ non quæret: non eſt Deus in conſpectu eius.

καταφρόνησις, contemtio Dei, & hominum. Tanta arrogantia eſt impius, tantaq́; animi intemperantia effertur ἄνομος vt reliquos præ ſe omnes cōtemnat, et nihili prorſus pendat: &, cùm bene monentes, ac de Dei voluntate docere illū conantes maximo cū ſtomacho à ſe repellat: tum reclamantes ipſi, ac contumelioſis in Deum conatibus illius opponentes ſeſe, ſuperbia, inſolentiaq́; non ferenda proterat, & conculcet: quid multis, omnes curas ſuas eò intendit, omnes conatus, ſtudiaq́; eum in finem refert: nullus vt Deus eſſe videatur. Elatus ſuperbiet contra omnem Deum, & contra Deum Deorum mirificè loquetur. Daniel. At Chriſtus: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Dan. 11. Matth. 11.

V.

Inquinatæ ſunt viæ illius in omnī tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur. 31.

Pertinacia, αὐτάδεια, εἰκασία expreſſa. Parturientis fœminæ inſtar quantum viribus conniti poteſt, tantùm elaborat: vt à ſe inſtituta, promulgataq́; prouehat: tua placita, & decreta ab eius oculis ſublata ſunt: mente, quæ iuſticiæ propriæ caligine obducta eſt, iuſticiam Dei non intuetur: nec putat ad ſe pertinere quicquam exempla iræ cœleſtis, vt diluuij, conflagrationis Sodomæ, Solymorum diſturbationis, & quæ ſunt eiusdem generis. At illud quod interpretes Græci dixerunt, βεβηλοῦνται αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, pertinet, quod apud regem ſapientem de dictis Aguri recitatur. Sunt qui ſibi puri, & mundi videntur: cùm non ſint à ſuis ſordibus abluti. Et Pauli: Pollutis, Prouer. 30. Tit. 1.

tis & infidelibus nihil eſt mundum: inquinata eſt enim eorum mens, & conſcientia.

Omnium) *Quin etiam infeſtos ſuos flocci non facit, inimicos, & aduerſarios ſuo difflat Spiritu, quaſi ventus folia. Flatus AntiChriſti execratio eſt, qua aduerſantes ſibi omnium ordinum homines ſacris abſtentos è Chriſtianorum cœtu, & diuina communitate exterminat: ac diris defixos in leti fauces, & orci tenebras detrudit.*

VI.

Dixit enim in corde ſuo: non mouebor à generatione in generationem ſine malo.

4. *Securitas, ἄδεια μιμηλικῶς. Pollicetur ſibi proſperum ſucceſſum rerum omnium, cum animo ſuo in hunc modum loquens:*

Sum felix, quis enim neget hoc, felixq́; manebo:
præſidio munitus firmiſſimo nunquam conuellar: nulla me in perpetuúm attinget calamitas: ſemper potens, & beatus ero. Pax (impunè) erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei
Deut. 29. *(ſi ex animi peruerſitate vixero) Moſes. Percuſſimus fœdus*
Eſai. 28. *cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Eſaias. Colet De-*
Dan. 10. *um præſidiorum. Daniel.*

VII.

Cuius os maledictione plenum eſt & amaritudine & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.

5. *Falſa doctrina, διδασκαλία ψευδής, καὶ τῶν δαιμονίων. Execratione os plenum habet, fraudibusq́;, & perfidia:*

dia: latet ſub lingua eius facinus, & ſcelus: doctrinam ſuam ad perniciem, interitumq́; bonorum dirigit. Doctrinam Anti-Chriſti dolorem vocat, & laborem, κόπον καὶ πόνον: quòd hominum induſtria, & ingenijs inuenta in religione, & pietate inſtituendi homines ratio anxias conſcientias, tantùm abeſt vt pacatas reddat, & tranquillas: vt magis etiam, magisq́; in dubitationem de voluntate Dei, ac deſperationem tandem, & exitium perpetuum conijciat. Quo ibimus, Domine, Verba vitæ æternæ habes. Apoſtoli. Ioh. 6.

VIII.

Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem: oculi eius in pauperem reſpiciunt.

Artes, quibus ſua ſpargit, & poſtea defendit, εἰκασία ſumta à graſſatoribus, & latronibus. Fraudibus, & inſidijs, ex quibus totus eſt conſutus, in officium docendi inuadit, & dogmata in vulgus pernicioſa ſpargit: quibus quàm primùm obſiſti animaduertit, & contradici: furore, amentiaq́; percitus, & inflammatus, communicat cum regibus conſilia, & monarchis: eorumq́; potentia ſuffultus, & armis inſtructus, in claros pariter, & obſcuros, diuites, & inopes, tum eos, qui in vrbibus habitant, tum qui ruri vitam colunt, oculos intentos habet: & callido pietatis, & religionis prætextu ſæuiciam in eos, crudelitatemq́; exercet. OCVLI, ὀφθαλμοὶ, *quibus in pauperes, qui & docent, & diſcunt doctrinam de condonatione peccatorum, reſpicit AntiChriſtus, ſpeculatores ſunt, excurſoresq́;, & emiſſarij: Qui vitæ, fortunarumq́; creant periculum ijs, quos contra autoritatem illius vel hiſcere, auſos animaduerterint: & ſedulò dant operam, ne quis faber exiſtat in finibus Iſraelitarum: quo omnes* 1. Reg. 13.

Hebræi

Hebræi ad Palæſtinos cogantur proficiſci ad vomeres, ligones, & ſerramenta cætera inſpicanda: itaq; caueatur: ne quid detrimenti ſedes ſacroſancta accipiat. Quo verò modo in inſidijs atriorum ſubſidant impij, & occultè occidant innocentes, hiſtoriæ docent omnium temporum. Quis autem neſcit ab ijs, qui adumbrata nituntur religione, pietatis, ſacrorum conſuetudinum, pacis, & tranquillitatis prætextu, Prophetas, Apoſtolos, & Chriſtum deniq; ipſum aularum opera interfectos, & nunc paßim pios mortales crudeliter trucidari?

IX. X.

Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua: Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum in laqueo ſuo.

Humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

ὑποτύπωσις *illuſtrata imaginibus leonis, venatoris, ſeu aucupis, & beſtiarum: quæ iam, iamq; in prædam inuaſuræ inclinant ſeſe, & ſubſidunt vt ruant maiore impetu in animalcula minora. Inſidias ſtruit ex occulto, leonis inſtar ex luſtris fraudes intentat, in inopes inuaſurus: vt eos diſcerpat, & dilaceret: In inopes facit impetum: vt fraudum laqueis irretitos dilaniet, callidè ad tempus demittens ſeſe, ac ſubmißius gerens: quò facilius incautos, & improuidos iniurioſè contundat, premat, & peſſundatos funditus euertat.*

XI.

Dixit

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus: auertit faciem ſuam ne videat in finem.

Cauſa ſcelerum tantorum, flagitiorumq; ὀίησις, & perſuaſio falſa nullam eſſe prouidentiam. Nam veriſsimum eſt, quod dicit alibi vates noſter, impios cum animis ſuis cogitare nullum eſſe Deum. Sic enim cum mente ſua loquitur: non animum ad iſta aduertit Numen cœleſte: abdidit vultum Deus, nec cernit actiones noſtras. Qui eo dementiæ deuenit: vt ſpreto, repudiatoq; verbo diuino, cultus ſibi Numinis peculiares fingere, & propter eos ſtabiliendos graſſari in homines innocentes ſuſtineat: rerum quoq; tandem procurationem habere Deum nullam exiſtimabit: & licet, cùm faciet malè, ab animi ſui mente accuſabitur: dabit tamen ipſe ſibi verba, & ſecum: hæc, qui in nubium eſt latebris, prorſus ignorat: qui in orbe cœleſti ambulat Deus, non cernit: qui qualis quiſq; ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, adeoq; nec piorum, nec impiorum rationem habet. Non videt Dominus nos: dereliquit Dominus terram. Ezechiel. Quis videt nos, & quis nouit nos. Eſaias. Hiob. 22. Ezech. 8. Eſa. 29.

XII.

Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

Petitio defenſionis, auxilijq; diuini contra furores aduerſarij: Excitare omnium rerum gubernator, & Princeps Domine: & vltrici flagello in impium vindica: noli obliuiſci inopum: oſtende te curam gerere eorum, qui in te vno ſua reponunt omnia. Manus, robur, & potentiam

ſignificat μεταληπτικῶς. Surgit autem, & manum exaltat, eleuat, ſeu effert Deus, ἀνίστησι ὁ θεὸς, καὶ ὑψοῦται ἡ χεὶρ αὐτοῦ: cùm, ſupplicio de impijs, & ſceleratis ſumto, ſalutarem ſeſe hominibus ſanctis, nocentibus verò horribilem, ac formidoloſum oſtendit: : adeoq́; de ſedibus ſuis deturbat potentes, & humiles excitat, & inter præcipuos ſuorum collocat.

XIII.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo non requiret.

Ratio petitionis ἐπαναλήψει τῆς μιμήσεως. Ideo Eccleſiam defendas: vt cum ſalute noſtra ſimul gloria tua vindicetur in integrum. Cur enim Deum contemnat impius: cur maledictis patientiam, lenitatemq́; tuam inceſſat: cur nefanda oratione non dubitet affirmare: humana non rerum arbiter curat Deus?

XIIII.

Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras: vt tradas eos in manus tuas: Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

Alia ratio à natura Dei. Tu, quem nihil fugit rerum omnium, tu certè & dolos impij, arteſq́;, quibus doctrinam ſuam animis rudium, innocentiumq́; inſtillare, atq; rectè nomen tuum colentibus nititur eam obtrudere, vides: & vim, furoreſq́;, quibus ſtabilire eandem, & confirmare conatur, animaduertis: ne quæſo inultam auferat audaciam ſuam, petulantiamq́;: dando ſanctis in manum tuam, & rem totam tibi, cuius in dextra ſunt omnia, committentibus: tu eorum, qui humana

mana deſtituuntur ope, tutor: tu orphanorum, pupillorumq́;, compreſsis, qui prædæ eos habent, & diripiunt, defenſor es, & propugnator. Orphanum, & pupillum vocat, qui & pauper, πτωχὸς, ſed Deo diues, & fortis: qui ab omnibus deſertus, & deſtitutus, in quem reſpiciat, excepto Deo, neminem habet. Et ſanè verè pauper eſt in terris, & puſillus grex, cœtus credentium: qui acerbè licet, dolenterq́; ferunt numinis diuini prætextu vexari, & omni ſcelere lacerari Eccleſiam: opem tamen, & auxilium rebus afflictis ferre non poſſunt: ſtantibus pro impijs, ſummoq́; conatu defendentibus eos, qui ad rerum gubernacula ſedent. Diſce eſſe pauper, & Deo relinqui: eſto autem verus pauper, hoc eſt, pius. Sic enim eris Pauper pauper, id eſt, humilis. Auguſtinus de Tempore Serm. 110.

XV.

Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

Violentas opes, & non ferendam potentiam impij infringe: de peruerſitate verò illius, & malitia quæſtione conſtituta, nuſquam ſceleratus compareat, ſupplicijs vexandus perpetuis. Brachium, βραχίων, lacertus, virium ſignificationem habet, & neruorum, vt loquuntur Latini. Hoc brachium impiorum conteritur vi, & potentia cœleſti, quæ eſt ipſum verbum diuinum.

XVI.

Dominus regnabit in æternum & in ſeculum ſeculi: peribitis gentes de terra illius.

Concluſio ἐπαγγελτική. Tu Domine rex es in omnem ſeculorum perennitatem: deq́; terra tua peribunt gentes. Quam-

uis tumultuantur hoſtes, ac dies, nocteſq; de pernicie, exitioq; piorum cogitant: tamen tantùm abeſt, vt Chriſtum, & Eccleſiam ipſius opprimant: vt ad ſempiternas ſeculorum ætates illo regnante, ipſi modis miſerrimis interituri ſint.

XVII.

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Non potes non, quæ eſt clementia, & facilitas tua, miſerorum, afflictorumq; vota, etiam antè, quàm clament, & precibus te fatigent, exaudire: ideoq; fit, vt certi ſint, quod preces eorum propitius admittas. Præparatio, ἑτοιμασία, *non eſt, qua ſeſe comparant ipſi, & aptos reddunt, atq; idoneos ſancti homines: ſed qua appoſiti, atq; accommodi fiunt à Spiritu ſancto, cùm ad omnia virtutum genera, tùm ad expoſcendam diuini auxilij benignitatem, & promtitudinem. Erit, antequam cla-*
Eſa. 65. *ment, ego exaudiam. Eſaias. Ipſe Spiritus interpellat pro nobis*
Rom. 8. *gemitibus inenarrabilibus (* ἀλαλήτοις, *ineffabilibus) Paulus Apoſtolus. Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt. Ex Cypriano Fulgentius ad Tras. 2. Auris Dei ſignificat, vt inquit Damaſcenus,* τὸ ἐξιλεωτικὸν αὐτοῦ, καὶ τῆς ἡμετέρας δεκτικὸν δεήσεως. *Virtutem propiciatricem, et noſtræ deprecationis ſuſceptricem.*

XVIII.

Iudicare pupillo & humili: vt non apponat vltrà magnificare ſe homo ſuper terram.

Vt ſententia pro miſeris, & afflictis pronunciata, remittant tandem ſpiritus, qui terra ſunt, & puluis, homines impij, & ne-

& nefarij: nosq; ab omnium hoſtium, & aduerſariorum fraudibus, inſidijs, & impotenti immanitate vindicatos, transferas in felices illas, & beatas oras: vbi à facinoroſorum, & tyrannorum importunitate ſecuri æuo fruamur ſempiterno.

PSALMVS XI.

MONTES.

PRior pars huius Pſalmi conqueſtione conſtat: qua deplorat Propheta impietatem eorum: qui mendacijs, & confictis fabulis in fraudem deducunt homines: & à fundamentis veræ doctrinæ, fideiq;, in montes ſuos, hoc eſt, iuſticiæ propriæ fiduciam, & ſanctitatis opinionem falſam auocant. Exprobrat autem eis duo præcipuè crimina: Inſidias & ſuperbiam. Nam & omnis generis dolos, ac machinas comminiſcuntur; quibus veram de Deo doctrinam opprimant, & extinguant: & tanto efferuntur faſtu, & ſuperbia, vt non modò pro nihilo putent omnes, qui ſeſe pro Dei gloria conatibus illorum opponunt: verùm inſolentiſsimis quoq; & dictis, & factis inſultare in eos nequaquam dubitent. Altera pars conſolationem habet: qua bono eſſe animo, fortiq; pios iubet. Deum enim pro ſui verbi cultoribus acerrimè propugnaturum: de impijs vero doctoribus pœnas grauiſsimas expetiturum eſſe. Argumentum, ſeu occaſio carminis ſumta eſt de hiſtoria ipſius Dauidis à Saulo è patria eiecti. Vt autem virum ſanctum tyrannus acerrimè oppugnabat: ad eundem modum piorum capitibus imminent temporibus omnibus veræ doctrinæ aduerſarij: eosq; nullis non iniurijs exagitare ſolent.

I.

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer.

Querela à ſententia communi ducta, de non irrita in Deum fiducia, ἐλεγκτικὴ, καὶ ἐπιτιμητικὴ κατ' ἀποστροφὴν, ſeu ἀνακοίνωσις. Propoſitio hæc eſt Non me ad veſtrum cœtum adiungo: cùm in miſericordia diuina omnes meas curas, & cogitationes defixerim, ex clementia, gratuitaq́; ignoſcentia Dei toto animo pendeam, tutelæ, miſericordiæ, poteſtati fideiq́; numinis me, meaq́; omnia commiſerim: qui fit in eam vt ſpem diſcedatis, fieri poſſe: vt valere iuſſa Eccleſia, quæ expreſſum habet, & illuſtre verbum Dei, in montes, ſolitudinesq́; veſtras, & veſpertilionum luſtra me conferam: & cum cœtu me coniungam eo: qui cultus contra mandatum cœleſte inſtitutos habet: & ſalutem ſibi, ac vitæ immortalis beatitudinem illorum obſeruatione pollicetur? Ego verò nihil faciam minùs: optima in ſpe diuino præſidio munito, nihil incommodi, maliq́; non modò ab improbis mortalibus: ſed nec à dæmone etiam nequam poſſe accidere. Vtitur Propheta inſigni εἰκασίᾳ: qua Eccleſiam nido, doctrinas humanæ rationis montibus (ad excelſa, fana, & ſacella reſpiciens Hebræorum) auditores auiculis confert: quæ nidis ſuis exturbatæ ſedibus incertis vagantur. Eſt autem doctrinæ, quæ autoritate humana nititur, nota propria: quòd ipſius opera in montibus, ſyluis, & luſtris vagantur, qui illam amplectuntur: hoc eſt, certi per vitam omnem nihil habent, in quo acquieſcant, diſcentes ſemper, & nunquam ad co-
2. Tim. 3. *gnitionem veritatis peruenientes, vt loquitur Apoſtolus. Si quis vobis dixerit, ecce hic Chriſtus, aut illic: cauete, vt credatis: ſi dixerint eum in ſyluis eſſe, nihil minùs facite, quàm*
Matth. 24 *vt exeatis. Chriſtus. Sunt quibus μίμησις videatur eſſe in hac*

parte: qua εἰρωνείᾳ ὑποκριτικῇ voces, & geſtum hoſtium ſuorum exprimat vir ſanctus. Cùm enim mons pro regno etiam, & Eccleſia Chriſti ſumatur iuxta illud: Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium: Et Dauides inter ſuos de monte Domini, & regno futuro non rarò Iſ. 2.
magnificè ſit locutus: inducit aduerſarios verbis, orationeq́; ludente abijcere montem illum: q. d. quid prædicatione extollis montem, & regnum tuum? paſſer es, & erro: qui locum, in quo conſiſtas, non habes: faceſſe in montem tuum. In vocabulo, animæ, intellectio eſt, pro: quid mihi dicitis. Exi, & vade (diſ- Lucæ 11.
cede) hinc, quia Herodes te vult occidere. Phariſæi.

II.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt ſagittas ſuas in Pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Ratio propoſitionis, & expoſitio cauſarum: propter quas, cum aduerſariorum ſeſe cœtu nolit coniungere. Deſcribit autem ſubdelineatione ὑποτυπώσει, ſtudia, arteſq́; aduerſantiam doctrinæ cœleſti: quibus ad peſtem bonorum, perniciemq́; vtuntur: ac continuat imaginem, montibus, & auiculis venatores addendo, & attribuendo arcus illis, & ſagittas: quibus ex inſidijs in mortales pios, & amantes Dei iaculantur. Arcum & ſagittas, τόξον, καὶ τὰ βέλη, μεταφορικῶς, καὶ συνεκδοχικῶς vocat, primum ipſam doctrinam impiorum: qua non aliter ac ſpiculis veneno illitis cordibus innocentium letalia vulnera infligunt: non enim veniunt fures, & latrones, niſi vt furentur, vt mactent, vt perdant: deinde calumnias, quibus veram doctrinam in odium vocant apud Tyrannos: eoſq́; ad crudeliſſima in pios exempla edendum extimulant. In occulto inquit: quod primùm blanda, ſpecioſaq́; oratione, διὰ τῆς εὐλογίας,

καὶ χρηϛολογίας, ſallunt, & ſeducunt, concinnantes puluillos, & ceruicalia, animos improuidorum: deinde non palam, ac vi aperta, ſed, nocte quaſi σκοτομήνῃ, & per amica ſilentia Lunæ, ex occulto impetum facere in ſanctos conſueuerunt: eisq́;, indicta cauſa, ſed prætextu tamen pietatis, & religionis, ſumma crudelitate adhibita, vitam ſolent eripere. Ad μίμησιν, καὶ εἰρωνείαν relatus hic verſus, obiectionis formam habet, cùm aduerſariorum, tùm carnis infirmæ & debilis, rationes ex aduerſo opponentis. At enim, quod vias nocendi omnes cognitas habent hoſtes tui, malè tecum agitur: niſi obſecundaris eis, & ad illorum doctrinam, rationemq́; viuendi te aggregaueris. An non enim intendiſſe eos arcum, & neruo ſpicula admouiſſe vides: vt imbuant tuo ſagittas ſanguine?

III.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Fundamenta conuulſa, firmamenta diſiecta, & diſsipata, omnia ſancta, & recta ſunt peruerſa. Fundamenta, ſeu ea, quæ conſtruxit Deus, vocat doctrinam fidei: quæ quaſi ſolum eſt, quo & totius Eccleſiæ incolumitas, & ſalus ſingulorum, velut ædificium fundamento, nititur. Inuertitis verba Dei viuentis. Hieremias. Fundamentum aliud iacere nemo poteſt, præter id, quod iactum eſt: qui eſt Ieſus Chriſtus. Paulus. Super Apoſtolorum, & Prophetarum fundamentum extructi angulari lapide exiſtente Ieſu Chriſto. Idem. Hoc fundamentum conuellunt, quicunq; impio ſtudio παραδόσεις humanarum inſtitutionum defendunt. In his verbis: Iuſtus quid fecit: expreſsio eſt ſuperbiæ, & faſtus eorum: qui contra Dei verbum pro falſa doctrina propugnant. Non enim demoliuntur ſolùm Eccleſiæ fundamenta, verùm inſolentia quoq; verborum aduerſantes ſuæ doctrinæ ſuperbiſsimè abijciunt. Qui ſe pro iuſtis vendi-

Hier. 23.
1. Cor. 3.
Ephe. 2.

venditant, qui, cognitionem Dei iactando, arrogant ſibi iuſticiam, quid illinc ſoli ſapiant, ſoli tanta nos inſtructos ſapientia, tantaq́; potentia ſuffultos reprehendere ſuſtineant? Poſteriore explanatione totus verſus μίμησις *erit impiorum, inſimulantium ſanctos euerſionis, diſturbationisq́; doctrinæ Dei, legum, conſuetudinum, & omnis decoris, & honeſtatis, iuxta illud. Inuenimus hunc euertentem gentem noſtram. Iudæi. Et: Dixit* Luc. 23.
verba blaſphemiæ, impiè locutus eſt in Deum, & Moſen. Calu- Actor. 6.
mniatores Stephani. Quæ cùm ferenda non ſint: rectè ſeſe potentes, ſapientesq́; arbitrantur facere: quod in id dant operam: vt conuulſores fundamentorum de medio tollantur. Iuſtus quid fecit? an non apparet, quantæ turbæ, qualesq́; offenſiones ex renouata iſta doctrina ortæ ſint? Ex eo tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumti ſumus. Hieremias. Hier. 44.

IIII.

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes eius: Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

παραμυθία ἀντιθετικὴ ἀνθρωποπάθως *effigiata: qua Deum in templo, ſacroq́; ſuo palatio eſſe: hoc eſt, vt loquuntur Hebræi, ad arcam, & propitiatorium, vt Chriſtiani in Eccleſia, quam ſibi ſanctam reddit, & quæ illum de præſcripto verbi ſui colit, & inuocat, montibus opponit, & ſolitudinibus impiorum: qui cultibus humana audacia excogitatis numen diuinum venerantur. Pars, & membrum Eccleſiæ ſum, Deoq́; cultus à ſeipſo mandatos adhibeo: in montes veſtros confugere nec volo, nec poſſum: impiam, & contumelioſam in*

Deum doctrinam veſtram abominor. Cœlum meum eſt ſubſelli-
Eſa. 66. *um, & terra meorum pedum ſcabellum. Eſaias. In cœlo ſedem eſſe Dei, & ipſum opponitur monti impiorum : qui ad locum certum, operaq́;, & cultus, qui mereantur condonationem peccatorum, alligatam eſſe Eccleſiam contendunt : & extra illa coli Deum, & inuocari non poſſe putant : cùm tamen Eccleſia diffuſa ſit, quàm latè cœlum terras complexu ſuo continet : &*
Ioh. 4. *verus cultus Dei in Spiritu conſiſtat, & veritate, vt inquit Chriſtus.* Oculi Dei (*qui ſunt* ἡ τῶν ἁπάντων ἐποπτικὴ αὐτοῦ δύναμις, καὶ τὸ ἀλάθητον τῆς αὐτοῦ γνώσεως : *vis omnia contemplans, & cuius cognitionem nihil effugit, vt eſt apud Damaſcenum) reſpicientes in pauperem, ex inſidijs homines pios ſagittis impetentibus reſpondent. De cœlo proſpicit Deus : & quid agat vnusquisq;, quidúe patiatur acerrimis, maximèq́; attentis intuetur oculis : conſilia, conatus, & inſidiæ hoſtium adeo non latent moderatorem rerum omnium : vt etiam occulta cordium introſpiciat : intimos animi receſſus perſcrutetur, cogitationes exploratas habeat, arcana mentis conſideret. Simulat quidem ille ad tempus ſe nec furores videre improborum, nec clamores, & preces audire bonorum : tùm vt illos vocet ad pœnitentiam, tùm, vt horum fidem exerceat, vt, quod igne exploratur, longè precioſior inueniatur auro : ſed tandem tamen vtrisq; digna ſuis factis præmia perſoluit.*

Cernit cuncta Deus præſentia, priſca, futura :
Nec celantur ei, quæcunq; obſcura geruntur. *Sedulius & Dracontius.*

V. VI.

Dominus interrogat iuſtum & impium : qui autem diligit iniquitatem odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos:

ignis

ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Comminatio, deſcriptioq́; pœnarum, quibus & ipſos magiſtros doctrinæ peſtiferæ, & tyrannos, aduerſariosq́; Chriſti Deus afficiet. Dominus, qui iuſtiſſimus eſt, probat, ſcrutatur, & verè rimatur omnia: ac toto pectore impium, & crudelitatis amantem auerſatur: ideoq́; retia in ſceleratos, & impuros depluet: & vento atroci, ſulphure, & carbonibus candentibus in maximas eos, & perpetuas miſerias deturbabit. Dei odium ſequitur mors æterna. Hagnon. LAQVEI, παγίδες, *tendiculæ, ſeu flammæ potius, & carbones, ignis,* πῦρ, *ſulphur,* θεῖον, *& ſpiritus procellarum,* πνεῦμα καταιγίδος, *atrox ventus, mala ſunt, calamitates, & ærumnæ tùm animi, túm corporis: quibus excæcati, & ſtupefacti, neq; oculis vident, neq; mente intelligunt impij: in exitium agendi, & interitum ſempiternum. Alludit autem ad cladem Sodomorum, qui cœleſti igne ſunt concremati: Pharaonis, qui in mari rubro perijt: Cananæorum, qui, vt in hiſtoria Ioſue ſcriptum eſt, ingentibus de cœlo lapidibus ad Azecam ſunt deiecti: & interitum deniq; Antichriſti, de quo vaticinatur Apocalypſis. Calix,* ποτήριον, *metaphora ab* οἰκονομίας *ſumta, demenſi ſignificationē habet: & in ſacris literis ponitur, tum pro doctrinæ cœleſtis celebratione, & grati animi memoria, quibus honore à nobis Deus afficitur, vt. Calicem ſalutis ſumam, & nomen Domini inuocabo: tum omnis generis calamitatibus, & miſerijs, hoc eſt, cruce, quæ nobis à Deo imponitur, iuxta illud. Pater tranſeat à me Calix iſte. Et: Calix in manu Domini vino rubente turbido plenus: & effundit ex hoc: veruntamen feces eius ſugent, & ebibent omnes impij terræ. Autor. Ad te quoq; pertinet calix. Hieremias.*

Gen. 19. Exod. 14. Ioſ. 10. Pſal. 116. Matth. 25. Pſal. 57. Thren. 4.

VII.

Quoniam iuſtus Dominus,& iuſticias dilexit : æquitatem vidit vultus eius.

Ratio, quæ eſt Pſalmi Concluſio. Qui iuſtus, vnicuiq; pro eo, ac meretur, præmia perſoluit Dominus, eos, qui in gratiam ſeſe, amiciciamq; nuiminis receptos eſſe certò ſibi perſuaſerunt, ideoq; ſalutem omnem in clementia diuina conſtituunt: caros habet, & inter mille, quæ intentantur eis, pericula defendit, & tuetur.

PSALMVS XII.

DOCTORES IMPII.

QVeritur Propheta de humanarum inſtitutionum magiſtris : qui ab ignorante veritatem ratione ritus, ceremonias, & ſacrorum vſurpationes ſumunt : & maliciarum quaſi euerriculis, quibus ad capiendos homines inſtructi ſunt, iactis, modos, & vias colendi Deum contra ſacrarum literarum interdictum conantur introducere : & in oppreſsionem doctrinæ cœleſtis omni cura, & cogitatione incumbunt. Quibus quidem quàm primùm ſuis in molitionibus felicioris ſucceſſus aura cœperit adſpirare: tum verò non aliter, quàm ruptis aggeribus cùm ſpumeus amnis exijt, cumulo opinionum feruntur in Eccleſiam : & proluuie eam ſuperſtitionum obruunt. Quæ, in animis hominum vbi ſemel inſederunt, radices agunt : ac multiplici poſtea, erraticoq; lapſu longiſsimè diffunduntur : & ſemen verbi Dei in bonorum mentibus ſuffocant : vt non immerito Pſalmus paucitatem rectè de Deo, rebusq; diuinis ſentientium

tium deploret. Addita eſt autem conſolatio : Deum excitata verbi ſui potentia opinionum commenta deleturum : & lappis, tribuliſq; humanarum traditionum extirpatis, ſalutem allaturum eſſe pijs : verùm ita tamen, vt, quemadmodum aurum igne purgatur, ſic ipſi calamitatibus, & rebus aduerſis explorentur : eaq; ratione maiore in dies ſingulos veritatis cognitione augeantur.

I.

Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus : quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

Propoſitio querelæ , cui annectitur ἀφηγημάτιον, *narratiuncula. Da ſalutem Domine : ſuccurre miſeris rebus, & ærumnoſis. Defecerunt ſancti, & innocentes, laborat veritas, periclitatur integritas, perierunt ex terris pij : nec eſt in hominibus probitas : rari nunc ſunt inter mortales, qui promiſsionibus diuinis fidem adhibent, de legis Dei præcepto vitam inſtituunt, ac res, rationeſq; ſuas moderantur. Perijt ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt : vir fratrem ſuum ad mortem venatur:malum manuum ſuarum dicunt bonum, Michæas. Sancti,* ὅσιοι, *qui & miſericordes, ſunt quos clementia, & fauore ſuo dignatus eſt Deus : & ablutos à peccatis, iuſtos, ſanctos, & integros propter, cuius iuſticiam illis, confirmatam verbo, & myſterijs obſignatam, attribuit, Filium ſuum Ieſum Chriſtum pronunciat : qui quidem tales cum ſint, vt redintegratione quæ fit Spiritus ſancti auxilio, vita, & actionibus, quæ proſint omnibus, noceant nemini, ſeſe Deo probent, ſummo conatu dant operam. Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum* ὠλιγώθησαν αἱ ἀλήθειαι ἀπὸ τῶν υἱῶν Mich. 6.

τῶν

τῶν ἀνθρώπων, idem eſt, ac ſi dixiſſet: ſimplicis veritatis amaci deſierunt eſſe in hominum genere: qui & in Deum fide, & homines eſſicio ſingulari exiſtat,

Rara auis in terris, nigroq́; ſimillima cygno.

Hæc illa. Homine natus cum veniet, putáſne fidem inuenturum in terris. Et. abundabit ſcelera, refrigeſcet multorum caritas.
Sophon. 3. *Vide Sophoniam.*

II.

Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde & corde locuti ſunt,

Ratio. Tantam eſſe bonorum paucitatem, quòd deprauata ſit, adulterataq́; vera doctrina ab ijs, qui nouis quotidie rebus ſtudent in religione: & pro verbo Dei commenta ſuorum ſomniorum obtrudunt auditoribus. Conferunt ſermones inter ſe de rebus vanis, & ad ſalutem nihil facientibus, blandientes ſibi ipſi, & loquentes inter ſe placentia: Et quanquam corde loquuntur, & corde, hoc eſt, ſuos quiſq; ritus, ſua ſacra, ſuos diuos habent quaſi tutelares, quæ ſunt de propriarum virtutum præſtantia, opum, pecuniæ, honorumq́; excelſitate opiniones: contra tamen veritatem congruunt: & idem ſentientibus animis aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius conueniunt. In corde, & corde loqui, ἐν καρδίᾳ, καὶ ἐν καρδίᾳ λαλεῖν, eſt, vel mente duplici loqui, quod fit ab ijs, qui aliud clauſum pectore, ore aliud promptum habent, vel etiam diſcrepare inter ſe ſententijs, contrà, quàm credentes ſolent, quorum vna mens, vnusq́; animus.

III. IIII.

Diſperdet Dominus vniuerſa labia doloſa: & linguam magniloquam.

Qui

Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?

εὐχὴ προφητικὴ, cui adijcitur μίμησις: qua arrogantiam exprimit, ſuperbiamq́; impiorum. Neq; enim falſi doctores blandis ſolum, & malitioſis ſermonibus in errores ſolent inducere imperitiores: ſed intolerabili quoq; arrogantia ita efferunt ſeſe, neminem vt ſecum exæquari patiantur: ſe ſolos ſapere, alios cæcos, & deſipientes eſſe exiſtimant. O vtinam faciat Deus, vt labia prætumida, vanaq́;, compoſitis ad fallendum verbis loquentia excindantur: & magniloqua impiorum lingua ex ima radice reuellatur: quæ audacia in Deum petulanti, & contumelioſa ita loqui ſuſtinet: Eloquentia, & dicendi vi, atq; copia victoriæ palmam ab aduerſarijs reportabimus: penes nos iudicium eſt de doctrina, & religione: liberum, & ſolutum os habemus: noſtrum eſt docere, & tenebras ignorantiæ veritatis luce expellere, iudicare, leges præſcribere, diuina effata interpretari, cœleſtibus de rebus reſponſa dare, animos labantes ſuſtentare, mentes hæſitantes confirmare: quis eſt, qui de dictis, & factis noſtris rationem à nobis auſit repetere? liberi ſumus ab omni dominatione: vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas: cæteros manet obediendi Hier. 18.
neceſsitas. Non peribit lex à ſacerdote, neq; conſilium à ſapiente. Sacerdotes. Cur baptizas? Legati ad Iohannem. In qua Iohan. 1. Matth. 21.
poteſtate facis hæc? Phariſæi. Tu totus in peccatis natus Ioh. 9.
es, & doces nos. Iudæi. Cur loquimini in hoc nomine? Ponti- Act. 5.
fices. Datum eſt beſtiæ os magna, & infanda loquens. Autor Apocal. 13.
Apocal.

Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum: nunc exurgam dicit Dominus: Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.

Promißio μιμητῶς expoſita & ipſa: qua Deum loquentem introducit, & cauſa, quæ eſt προκαταρκτική, ſuorum ærumnis motum opem, defenſionemq́; contra ſceleratorum furores pollicentem. Propter vaſtitatem, vexationem, direptionemq́; piorum, quibus ſomnum capere, aut peregre abijſſe viſus ſum, iam iamq́; conſurgam: & firmam, ac nunquam conuellendam ſalutem ſtatuam: fietq́; vt fiducialiter agatur, fortiterq́; res geratur verbi noſtri potentia. Salutare, σωτήριον, vocat doctrinam cœleſtem, qua ſalus datur pijs, vaſtatio verò impijs infertur. Hanc ſalutem ponit, τίθησι, Deus: cùm verbum ipſius per os infantium, & lactentium turbinis inſtar in humanarum traditionum doctrinas inuadit: & παῤῥησιάζων tenebras opinionum, & commenta ſomniorum dißipat, & profligat fulgore lucis, qua ad ſalutem aſpiremus æternam: niſi miſericordiæ, indulgentiæq́; cœleſti, nullum operationibus virtutum noſtrarum, ac ne naturæ quidem vlli locum relinquens. Huc illa pertinent. Docebat eos, vt poteſtate præditus, nõ
Matth. 7. *vt ſcribæ. Spiritu labiorũ ſuorum interficiet impium. Eſaias. Ini-*
Eſa. 9. *quum, ſceleroſum, facinoroſum, τὸν ἄνομον exlegem Domi-*
2. Theſſ. 2. *nus Ieſus conficiet Spiritu oris ſui. Paulus. Fiducialiter agen-*
Acto. 14. *tes παῤῥησιαζόμενοι, in Domino. Lucas. Apollo cœpit fi-*
18. *ducialiter agere, ἤρξατο παῤῥησιάζεσθαι, in Synagoga. Idem.*

VI.

Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum

batum terræ, purgatum ſeptuplum.

Σύστασις, verbi diuini, & doctrinæ cœleſtis commendatio imagine ornata, & expolita, tùm à certa, firma & conſtante veritate, tùm ipſo effectu. Veritas opponitur vana, & appoſita ad fallendum oratione decipientibus: Effectus, mundicia eſt animorum. Nihil ſanctius verbo Dei, nihil ab omni falſitate magis ſeiunctum, & ſegregatum, ſimile argento Aryandico, quod artifex in fornace argillacea ſumma diligentia ſæpius purgauit: cùm contrà eorum, qui cauponantur verbum Dei, doctrina fucata ſit, & adulterina: quæ ψευδαργύρου inſtar inani quidem ſpecie perſtringat oculos, ſed in igne calamitatum non durat: vnde Eſaias de doctrinis hominum: Argentum tuum in ſcoriam verſum eſt, mutatum in ſpurciciem, quæ è catino iactatur. Quin etiam purgat verbum Dei animos, prauasq; affectiones eximit, &, in nullo vt officiorum genere claudicemus, facit, iuxta illud, Mundi eſtis propter ſermonem, quem audiſtis. Chriſtus. Omnis Dei ſermo exploratus, eſt clypeus eo fretis. Solomon. Eſai. 1. Iohan. 15. Prouer. 30.

VII. VIII.

Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Concluſio: qua petit, vt Deus Eccleſiæ verbum ſuum ab omni falſitatis labe integrum, & purum conſeruet: & deſtitutos huma-

humanis præſidijs bonos clementer tueatur, & defendat. Ser-ua nobis præpotens rerum omnium moderator, & Princeps verbi tui promiſſa: & tuere nos ab ijs, quorum erga te reli-gio humanæ doctrinæ diſciplina eſt: neq; enim fieri poteſt, quin hominibus pollutis, quorum Deus venter eſt, principatum obtinens, augeatur numerus impiorum, & innocentes circum-uentibus opprimantur. In circuitu impios ambulantes, qui ſunt vbiq; obuerſantes improbi, conſceleratiq; homines, Auguſtinus accommodat ad eos, qui de nugis Philoſophorum annum ma-gnum, qui vulgò Platonis dicitur, ſibi imaginantur: altitudi-nem verò intelligit, non veſtigabile Dei decretum, & conſili-um generis humani ex vno multiplicandi. Sed hæc aliena eſt explanatio. De ciuitate Dei lib. 12.

PSALMVS XIIII.

ANXITVDO ANIMI.

OBtinet hunc morem aduerſarius Dei, humaniq; generis hoſtis ſempiternus Satanas: vt omni ex parte pios, & æterni Numinis colentes oppugnet: & tela igneo veneno illita in animos illorum immit-tat: cui adminiſtros ſeſe præbentes homines nequam, improbiq;, vias omnes rationesq;, quò ſceleratis ma-artibus, & fraudibus callidis damnum dent pijs, lumq;, perſequuntur. Quod fieri cum cernimus: maximo animi mœrore, & ægritudine debilitari nos, conficiq; eſt neceſſe. Præcipuè verò ea mentis æru-mna miſerrimos habere ſolet ſanctos: vt doloribus inferni, quemadmodum loquuntur ſacræ literæ, & portis includi mortis, hoc eſt, explodi ſibi à Deo irato, repudiariq; videantur: qua maior miſeria fieri nulla poteſt. Verùm docet Pſalmus hic Deum omnibus

malis

malis longè eſſe ſuperiorem: ideoq; vetat: ne in rebus aduerſis ſuccumbamus: ſed, quòd fortior eſt oratio omnium hoſtium potentia, ad preces confugiendo, & in Dei clementiam, fauoremq; nos totos reijciendo, magno, & infracto animo, quicquid obijci poteſt miſeriarum, & calamitatum, feramus: certiſsima in ſpe, fore vti Deus nos exaudiat: ac tandem ex malis, & ærumnis omnibus liberet: iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis (rerum aduerſarum tempore) & ego te eripiam: & illud: Si quis veſtrum eſt afflictus, ſupplicet.

Pſal. 50.
Iac. 5.

I. II.

Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorẽ in corde meo per diem? vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Exordium ἀγανακτικὸν *ex abrupto,* διπλώσει ἀναφορικῇ, ἐπιμονῇ, καὶ ἐρωτήσει *de mora, & dilatione auxilij. Quouſq; maximè cœlitum, atq; hominum Pater ſupplicem tuum negliges: & ſempiterna obrutum obliuione deſeres in tantis malis? quouſq; iratus, negligenſq; ſalutis meæ tuum mihi vultum ſubtrahes? quem ad finem cura, quæ me nunc coquit, & verſat ſub pectore fixa, perturbabit? quàm diu in animo ſolliciti, & mente anxij miſerias hoſtis inſultabit? Obliuio Dei, dilatio eſt & auxilij & vindictæ de aduerſarijs* τῆς κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἀμύνης ὑπέρθεσις, *vt inquit Damaſcenus. Facies* πρόσωπον, *Dei,* ἔνδειξίς τε, καὶ ἐμφάνεια, *maniſeſta oſtenſio,*

& monſtratio eſt fauentis numinis, & conſolantis, ac medicinam facientis animis mœrore afflictis, & proſtratis verbo ſuo, & Spiritu ſancto. Hanc auertit, ἀποστρέφει, & ſubtrahit, quoties nos cum Diabolo, peccato, morte, &, quæ ſunt eiuſdem generis, monſtris manum quaſi conſerere permittit: Et, Baſilius vt loquitur, dedi quaſi, & rebus triſtibus mancipari ſinit: ἐν τοῖς τῶν περιστάσεων καιροῖς ἐκδότους ἀφίησι τοῖς πειρασμοῖς. Ponere conſilia in anima ſua, & dolorem in corde, θέσθαι τὰς βουλὰς ἐν ψυχῇ, καὶ ὀδύνας ἐν καρδίᾳ, idem eſt, quod animo ſollicito, & mente anxia diſputare ſecum: & huc, & illuc ſenſibus intimis impulſum in omnes partes deliberando diſtrahi. Vita in voluntate eius, ζωὴ ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ, elogium eſt, quod Deo tribuunt ſacræ literæ: nam non mors, ſed cordi eſt vita, ſalusq; Deo: vt cuius benignitas ſemper ſalutem, ſemper hominibus pijs ſincera præſtet gaudia: at verò contra Satanam mendacem eſſe eædem, & homicidam pronunciant. Tum igitur ille exaltatur, ὑψοῦται ſuper nos, & in miſerias noſtras inſultat: cùm lethali angore animos occupatos excruciat: quaſi nec viſos, nec auditos velit Deus.

Pſal. 30.

III.

Reſpice & exaudi me Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

Precatio, adiuncta ratione. In lachrymis, & ſordibus lugubribus iacentem oculis adſpice: placidis ad querelas meas aures adhibe: tuum implorantem auxilium exaudi: diſpelle ab oculis noſtris caliginem, & offuſam animo noctem diſijce: ne, adauctis calamitatum tenebris, ſpe ſalutis abiecta deficiam animo: & in æternam declinent lumina noctem. Reſpicere, ἐπιβλέπειν, aliquem, cura alicuius affici ſignificat. Illuminare oculos, φωτίζειν τοὺς ὀφθαλμούς, idem eſt: quod lætitiam afferre, & ani-

& animo à curis ac ſollicitudinibus ad hilaritatem traducto, quaſi vitam alicui reddere, & reſtituere. Attonitis enim, & qui in mœrore ſunt, vt etiam morientibus, oculi caligare ſolent. Illuminat autem Deus oculos eorum, quorum aures recludit primum, vt doctrinam ſalutis admittant: deinde mentes Spiritus ſancti fulgore illuſtrat: vt promiſſam in Filio miſericordiam agnoſcant: & inter aggreſsiones hoſtium in præſidio diuino læta animi mente acquieſcant.

IIII.

Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum: qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero.

Alia ratio. Ne gloria ſeſe, & prædicatione efferat aduerſarius, quaſi me abiecerit, proſtrauerit, perdiderit: ne lætitia triumphent impij, ſi me labefactatum viderint: ne caſu meo inflentur homines ſcelerati, & ſublatis animis contumelia Deum afficiant.

V.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui: exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſsimi.

Concluſio παραμυθικὴ, *cum grati animi memoriæ* ὑποχέσει. *Confirmat enim animum ſuum expectatione auxilij diuini: cuius quidem ſpe optima ſe ſuſtentari affirmat, fretum non ſua iuſticia, ſed interminata miſericordia, & bonitate Dei: qui ſui timentem contra furores impiorum defendere & velit,*

 & poſ-

& poſsit. Promittit etiam grati animi memoriam: dum pro paterna ſui defenſione Dei celebraturum ſeſe laudes, nullo temporis puncto intermiſſo, pollicetur. Ego in tua, qui immenſa bonitate præſtas, & infinita poteſtate præditus es Domine, indulgentia omnem ſpem ſalutis fixam, locatamq; habeo: neq; vlla calamitas interueniet tanta: quæ ægritudinem afferat freto auxilij tui propugnatione. Ideoq; etiam præclariſsimè de me promeriti nomen prædicatione extollere nunquam ceſſabo.

PSALMVS XIIII.

NABAL SEV STVLTVS.

FRequentatur in ſcholis Philoſophorum, celebraturq; doctrina de viribus humanis: quas extollunt viri ſapientes, & ratiunculis ſuis exaggerant. Diuini generis animal eſſe hominem, præditum mentis ſolertia, decoratum ingenij acumine, memoriæ vi cumulatum, totius deniq; rationis ornatum præſtantia: qua quidem non in naturæ ſolùm obſcuritatem penetrare, ſed etiam, cùm Dei noticiam habeat, & ταῖς τῆς ἐυζωίας ἀρχαῖς auctus, impetu quodam naturæ vim ſempiternam, & opes immortales appetat: ſuis virtutibus ad vitam beatam, & nullis ſeculorum ætatibus circumſcriptam peruenire poſsit. neq; enim conſentaneum eſſe, adeoq; ne fieri quidem poſſe: vt, quod parens Philoſophiæ ſcriptum reliquerit, non verum ſit: rationem hortari, & inuitare ad optima, ὀρθῶς, καὶ ἐπὶ τὰ βέλτια παρακαλεῖν: Cui quidem rationi qui pareat, omne ætatis tempus ſine offenſione degere, & ad æuum bonis omnibus refertum, æterniſq; gaudijs cumulatum queat adſpirare. Hanc doctrinam ſacrarum literarum conſulti in Eccleſiam

Chriſti

Chriſti parte ex aliqua tranſtulerunt: & eam, quæ reliqua videtur eſſe poſt peccatum ſuſceptum à primo parente noſtro, & in nos natura transfuſum, ad honeſti, quam non habent bruta, lapides, & ligna, accommodationem, apud Græcos τοῦ αὐτεξουσίου, αὐτοδεσπότου, ἐθελουργοῦ, καὶ αὐτοκελεύστου γνώμης, καὶ δυνάμεως αὐτοκρατορικῆς, Latinos verò Arbitrij liberi appellatione, qua inſolens magis fieri nulla poteſt, honeſtarunt. Attribuerunt autem hanc ei vim, & facultatem: quæ præbere facilem ſeſe gratiæ diuinæ, & obtemperantem poſsit: vt, ſimul atq; Spiritus ſanctus ſenſib. noſtris aſpirare cœperit, tollere ſeſe quiſq;, & in melius proprijs quoq; viribus vſus creſcere, & in ſuperas per ſeſe nitier auras, Ac pietate ſua poſſit poſt funera cœlum, (ſic enim quidam canit) mereri. In quod cœlum, viam Chriſtus munierit, & primas quaſi fores ſalutis aperuerit, præclaris actionibus Dei gratiam, caritatemq; quærentibus, augentibusq;. Atq; hinc veluti fonte quodam promanarunt, & inundarunt quaſi ſuperioribus ſeculis in Eccleſiam doctrinæ, & commenta hominum: quibus de colendo Deo, & ad vitam æternam anhelandi viæ, rationesq; præſcribuntur. Verùm hoc Pſalmo docet Spiritus diuinus, longè aliter ſeſe rem habere. Nam omnes omnium ordinum homines inſanos eſſe, & ſtultos pronunciat: quorum adeo deprauata ſit, & deteſtanda natura, vt nemo Deum credat, nemo curet, nemo ob oculos ſibi proponat: atq; adeo rectè qui faciat, ne vnus quidem inueniatur. Quin etiam eos, qui rerum diuinarum profitentur ſcientiam, & alijs leges, præceptaq; colendi Deum præſcribunt, maleficos vocat, & operatores iniquitatis: ad quorum doctrinam, ritus, & ſacrorum vſurpationes offenſionem

habeat Deus, & faſtidium : propterea, quòd ſine fide fiant illa : nec tam diuini Numinis, quàm Ventris ſint cultiones : quem ſanè ventrem quod pro Deo habeant eiuſmodi magiſtri, vt quàm molliſsimè curare queant : prætextu pietatis in fortunas aliorum, facultatesq́ cupiditate, qua æſtuant, opum incredibili inuadunt. Quia verò purus Dei cultus, & religio ſincera ſola Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti morte nititur, & iuſticia : propter quem dat nobis Spiritum ſanctum Pater cœleſtis per verbum diuinum, & ſacramentorum myſteria, qui munda creat corda, & motus doctrinæ ſacræ congruentes excitat in animis, vt & ad agnitionem Dei, & Chriſti perueniamus, &, in ea perſeuerantes, à recto fidei, vitæq́ curriculo nunquam declinemus : ideo in fine Pſalmi vaticinando optat Propheta aduentum ſalutaris ex Sione, qui eſt liberator, & Soſpitator noſter IESVS CHRISTVS. In Sione enim cum Euangelij diuulgatio cœpit, tum Spiritus ſanctus in Apoſtolos eſt effuſus. ἀρχὴ, καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον. Liberum arbitrium niſi ad peccandum nihil quicquam valet. Auguſtinus de Spiritu & litera. Arbitrij quid iura iactas liberi? Ceſſet voluntas propria, & orcus non erit:

Eſt liber vnus Chriſtus, vnus & facit,
Quos imbuit diuina gratia, Liberos :
Vt ipſius ſint munere Dei Filij,
Cernantq; vitæ hæreditatem perpetis.

Ex Bernhardi dicto. Nihil magis proprium hominis, quàm arbitrij in deterius voluntas. Taulerus.

Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iudicijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.

Propoſitio per μίμησιν expoſita. Stulti, & inſani ſic cogitant: non eſt Deus. Impij non ſolùm cœleſtem vim non colunt, reuerenturq́; : Sed Deum quoq; vel eſſe planè negant, vel ſi ſit, quid agat humanum genus, non curare arbitrantur. Filij inſipientes ſunt, & vecordes: negauerunt Dominum, & dixerunt, non eſt ipſe. Hieremias. Inſipientes, & ſtultos, Hier. 4. *ἄφρονας, vocant ſacræ literæ, quos D. Paulus natura filios iræ, τέκνα τῆς ὀργῆς, qui digni ſint ſupplicio, nominat.* Ephe. 2. *Tales ſunt, contaminati Patris Adami ſoboles contaminata & animalis, omnes qui per fidem Filij Dei nondum euaſerunt, quantumuis ingenij, virtutumq́; præſtantia inter homines excellant: quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt. Vnde* Rom.14. *etiam hoc ex Pſalmo Apoſtolus omnes homines ſub peccato eſſe,* Rom. 3. *& æterna condemnatione dignos conuincit. Dicere in corde ſuo, εἰπεῖν ἐν καρδίᾳ eſt, apud ſe dicere, cogitare, & ratione aliquid, animoq; luſtrare. Deum eſſe primùm natura ipſa patefactione diuina, quæ mundi conſtructione, & vi, effectuq; operum diuinorum continetur, conuicta impreſſit pectoribus omnium. τὸ γὰρ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, φανερὸν ἐν αὐτοῖς ἐστι: quod Dei cognoſci poteſt, id apud eos eſt manifeſtum: inquit Apoſtolus. Et: ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν φυσικῶς ἡμῖν ἐγκατέσπαρται: cognitio quòd Deus ſit, nobis natura inſita eſt,* Rom. 1. *ait Damaſcenus.*

Nec defuit vlli,
Seu noſtros annos, ſeu tempora priſca reuoluas,
Autorem natura docens, Vt canit Proſper. Naturam deinde confirmauit autoritas. Adamus enim, Noas, & Abrahamus, & Moſes, & multi alij, Dei voce edocti cæremonias, ſacroſq; ritus, & Dei voluntatem, maieſtatemq; docuerunt poſteros. Verum enimuero eſt tamen ita debilitata, & corrupta, aut peremta potiùs vis humanæ mentis: vt nullam rem minus ratio noſtra comprobare aſſenſione, quàm notionem illam de Deo, autoritatemq; poßit. Quo fit, vt licet ore quidem nemo, niſi planè furioſus ſit, aut etiam beſtiæ naturam induerit, quales Diagoræ ſunt, & Theodori, Deum eſſe, negare ſuſtineat: tamen perpetua quædam hæreat in animis omnium, idq; maximè in rebus triſtibus, & calamitoſis de Deo dubitatio: quæ in cauſa eſt, vt nec verè credant Deo ſeſe curæ eſſe homines: neque ex animo illum implorent: ſed nugatorijs cæremonijs, & ſuperſtitioni dediti, ſecuri, & verbum eius, & iudicium contemnant, & pro nihilo putent. Impiorum proprium elogium eſt, quod vbi verus Deus eſt, loquitur, operatur: ibi dicunt eum non eſſe: rurſus, vbi ipſi loquuntur, & operantur, dicunt: Hic eſt Deus. Hagnon.

Corrupti ſunt) *Amplificatio. Deprauati ſunt, & ad tabitudinem redacti adeo: vt qui rectè faciat, nullus reperiatur. Non mens ſolùm, & cor propter ægritudinem originis infectum, corruptum, & diſtortum, ſed conatus etiam, ſtudia,* ἐπιτηδεύματα, *conſilia, actionesq; hominum viciata ſunt, polluta, contaminataq;. A fonte enim lutulento, & cœnoſo, vt limpidus, & illimis riuus deducatur, fieri non poteſt: & præclarè Theologus,* τῶν πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ τὰ γεώργια. *Huc illud: Omne figmentum cogitationum cordis tantùm malum omni tempore. Moſes. Et: Vani facti ſunt,* ἐματαιώθησαν, *in cogitationibus ſuis. Paulus. Et: Inquinatis, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta eſt,* μεμίανται *illorum & mens, & conſcientia. Idem.*

Gen. 8.
Rom. 1.
Tit. 1.

Domi-

II.

Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

Confirmatio μαρτυριώδης, *à ſacrarum literarum autoritate,* κατὰ προσωποποιίαν. *Luſtrauit oculis Dominus mortalium genus vniuerſum: vt videret, eſſetne in terris tanta ſapientia præditus quiſquam, qui Deum eſſe indubitanter apud animum ſtatueret, Reſpexit ad illud Moſis: Vidit Deus multam eſſe maliciam hominum in terra. Et: omnis caro corruperat viam ſuam. Continet autem hic verſus ad omnes pertinentem accuſationem corruptionis, deprauationiſq; naturæ hominum, qui enim ſunt filij hominum,* υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, *niſi à primo parente, qui naturæ corruptæ, viciatæq; labem propagatione ad vniuerſam transfudit poſteritatem, procreati? Et quidem non ante inundationem modò, ſed omnibus ſeculis animi conatum, & cogitationem ad deteriora conferunt homines: neq; quiſquam eſt, qui vel minationibus Numinis commotus, vel eiuſdem promiſſionibus excitatus curam in perquirendo, cognoſcendoq; Deo verè, & ex animo ponat. Quod dicit Propheta: Dominus de cœlo proſpexit, opponitur illi: Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus: vt quaſi contrarium ſit oppoſitum contrario. Non ſolùm Deus eſt, contrà, quàm opinantur impij: verùm etiam diuina acie in corda hominum penetrat: & quales reuera ſint intus, & in cute, ipſe perſpicit, & cùm vatibus ſuis, vt idem queant animaduertere, communicat. Intelligunt & requirunt,* συνιοῦσι, καὶ ἐκζητοῦσι, *Deum: qui commune, natiuumq; peccatum agnoſcunt: & quàm longè diſtent ab excellentia pietatis, & iuſticiæ eius, quam Deus à nobis requirit, intelligentes, depoſita omni temeritate, & propriarum virium confidentia in miſericordia diuina acquieſcunt: omniaq; ſua ad Dei gloriam, &* Gen. 6.

vtilitatem communem referunt. At verò non intelligunt, & requirunt Deum, qui deſcribuntur Pſalmo quinto.

III.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.

Repetitio, γνώμῃ καθολικῇ, ſententia vniuerſali: qua, vt
Rom. 3. *inquit Apoſtolus, omne os obſtruitur, atq; obmuteſcit: & obnoxius ſit totus mundus Deo. Omnes pari improbitate deflexerũt: declinarunt à Deo vniuerſi: vt non ſit, qui vitã de Numinis voluntate gubernet, ne vnus quidem. Declinare ἐκκλίνειν, deficere deſciſcere, idem eſt, quod dicere in corde: hoc eſt, non credere eſſe Deum. Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor incredulitatis, καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, praua vis diffidentiæ, diſcedendi, ἐν τῷ ἀποστῆναι, hoc eſt, τῆς ἀποστάσεως, de-*
Heb. 3. *fectione à Deo viuente. Autor ad Hebræos. Inutiles facti ſunt: conuenit cum eo, quod anteceßit: Corrupti & abominabiles facti ſunt, ἠχρειώθησαν, putruerunt. Etiam ij, qui ſpeciem habent pietatis, & virtutibus, ſapientia doctrinaq; præſtant, nec Deo grata, nec ſalutaria faciunt hominibus: ſed fœda, nefaria,*
Iſ. 1. 59. *& deteſtanda perpetrant. Heu gentem ſceleratam, populum vicijs onuſtum, ſemen noxium, natos perditos: qui deſeruerunt Dominum. Iſaias. Et: Opera eorum opera nequitiæ, & facinus impietatis in manibus eorum. Idem. Cùm ſint execrabiles, & contumaces, & ad omne bonum inepti. Paulus. Inno-*
Tit. 1. *cens nemo. Cyprianus de Orat. Dom. Quare valeat hoc loco συνεκδοχῇ Arnobij, Caßiodori, & aliorum. Hæc verba, vſq; ad vnum, ἕως ἑνός, communiter explicant interpretes, pro eo quod eſt: ne vnus quidem: & rectè ſanè illi. Sed alijs tamen, vt etiam Auguſtino, particula, vnus, ad Chriſtum referenda videtur: quem niſi quis cognouerit, bonus prorſus eſſe non poterit, inquit Hieronymus. Ad Chriſtum niſi fuerit peruentum*

nentum ipſius gratia: iure negatur vllum eſſe, qui faciat bonum. Caſsiodorus.

IIII.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis? Dominum non inuocauerunt.

προκατάληψις αὐξητικὴ κατ' ἔλλειψιν. *Occurri poterat Prophetæ, nimis aſpera verborum acerbitate humanum ab eo genus perſtringi. Nam vt ſanè mortales maximam partem Dei intelligentiam non habeant, adeoq; cœleſte numen nec arbitrentur eſſe, nec colant illud, reuereanturq́;: hoc tamen crimen in miniſtros religionis, & legis conſultos non cadere. Imò, inquit, nulli magis remoti ſunt à vera Dei noticia: quàm qui eam maximè profitentur, ideoq; in ea ſtatione collocati ſunt: vt populo doctrinam de Deo voce præeant: & in ſalutem Eccleſiæ excubent: quid? quod multi ex illorum numero non ſolùm in eam mentem diſceſſerunt ipſi, ſed animis quoq; aliorum inſtillant: totam de Dei cultu opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus: & religiones tantùm terrendorum rudium, & imperitorum cauſa introductas eſſe: vt quos ratio non poſſet, ad officium duceret metus. Id ex eo apparet: quod exiſtimant, quæſtum eſſe pietatem: & commodi, emolumentiq; ſui gratia pro falſa, & pernicioſa doctrina, quam inuehunt, acerrimè propugnant. Ellipſis hoc, aut ſimili modo expleri poteſt. An non intelligent tot malefici, qui omni ſcelere lacerantes gentem meam, ſicut panem eam comedunt, deuorantq́;: forè aliquando, vt grauiſsimas impietatis ſuæ pœnas pendant: & vim, poteſtatemq; Dei maximo ſuo cum damno ſentiant. Operarij, ſunt doctores religionis, cæremoniarumq; curatores, & præfecti,* Matth. 9.

iuxta

iuxta illud: Meſſis quidem copioſa, operarij verò pauci. Ii, cùm à doctrina propoſita diuinitus recedunt, & hominum commenta explicant, ac nugatorijs ritibus, ſuperſtitionibusq; populum imbuunt: ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, Et, vt Paulus reddidit, ἐργάται δόλιοι, falſi, & pernicioſi magiſtri appellantur: quòd conſcientias aſflictas, & metu iudicij diuini oppreſſas, ex mœrore, vt pacem habeant cum Deo, non modò non excitant, ſed magis quoq; magisq; peccatis ita cooperiunt: vt tandem angoribus, cruciatibusq; animi extabeſcant. Vocantur ijdem deuoratores populi Dei, ἐσθίοντες τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, & ventricolæ, & lupi rapaces: quòd, vt ait Auguſtinus, ſua commoda captant: non referentes miniſterium ſuum ad gloriam Dei, & eorum, quibus præſunt, ſalutem: collationibus plebis, & muneribus ſe ditando, vt loquitur Hilarius: & viduarum domus per ſpeciem prolixarum precum deuorando, vt Chriſtus ipſe. Huc illud: Optimates & iugum ſregerunt, & ruperunt vincula. Hieremias. Nunquid non veſtrum eſt, ſcire iudicium: qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter excoriatis populum pelle ſua, & carnes eorum voratis. Michæas.

Phil. 3. Hier. 5. Mich. 3.

V.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor: Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt.

Ratio. Deum enim neq; loco vllo habent, neq; metuunt quicquam: ſed ſola bona exiſtimant diuitias, opes, honores, & ſi qua ſunt eiuſdem generis: quibus quòd dicunt, fiducia mea, & robur meum: amittendi ea metu dies, noctesq; cruciantur: cùm contra Deum de præcepto ſuo metuere, amiſſionem verò bonorum parui debebant ducere. Deum inuocant, ἐπικαλοῦνται, qui eum eſſe ſolum bonum, omnisq; boni autorem ſtatuunt: qui Chriſti morte illum apud ſe in domicilio cœleſti

leſti, vbi in perpetuum viuamus, ſedem præparaſſe credit: qui deniq; amat eum, laudat, beneficiaq; eius celebrat, verbum & doctrinam ſalutis diſcit, docet, & propagat. Hanc laudem detrahit Propheta operarijs iniquitatis, & doctoribus falſis: nec mirum: quomodo enim inuocabunt Deum, in quem non crediderunt, inquit Paulus. Trepidationem, τὸ δειλιᾶν, intelligit metum, timoremq; tum ne, ſi reges, principes, & ſapientia viros præſtantes offendant: rerum ſuarum iacturam facerent, iuxta illud docti viri: vbi maneret fortunula mea: tum ne traditiones ipſorum, & adumbrata ad ſpeciem ſanctitatis commenta, condonationisq; peccatorum, ac ſacrificiorum & pro viuorum incolumitate, ac mortuorum ſalute nundinationes, minori in precio habeantur: aut planè etiam violentur, repudienturq;: quemadmodum Eſaias inquit: Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: Cum quo facit illud, quod μιμητικῶς diuus Paulus extulit: Ne tetigeris, ne guſtaris, ne attrectes. Impius timor eſt: cùm, quæ non timenda ſunt, timentur, & quæ timenda ſunt, non timentur. Hilarius. Rom. 10. Eſa. 29. Col. 2.

VI.

Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Conſolatio. Impij quidem conculcata omni religione, opes tantùm aucupantur, & potentiam: nec modò nunquam inuocant Deum, & celebrant, verùm etiam conſilium inopis, cuius fiducia Dominus eſt, aſpernantur. Sed tempus erit, cùm protelati à Deo, grauiſſimas ſcelerum ſuorum pœnas luent: neq; enim non adeſſe Dominus iuſtis, & ſanctis, eoſq; ſuo Spiritu, doniſq; protegere, & vindicatos ab hoſtibus malis, & moleſtijs omnibus prohibere poteſt. Conſilium, βουλὴ, eſt ipſa doctrina Euangelij, quod ignotum rationi, & ſapientibus huius mundi, ex ſinu Patris æterni depromtum attulit in terras

Ieſus

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: quem inopem, πτωχὸν, vocat, ſeu miſerum ea ratione, qua doctores veritatis, & Apoſtolos Paulus καθάρματα, καὶ περιψήματα appellat. Nihil enim magis abiectum in mundo Filio Dei, nihil diſcipulis ipſius contemtius: quò fit, vt & illum exagitatum contumelijs omnibus in crucem ſuſtulerint Iudæi: & Euangelicæ veritatis præcones omnibus temporibus conuicijs, & diris proſcindat mundus: & in erronum, ſeditioſorum, perturbatorum Reipublicæ, & perduellium Eccleſiæ crimine excarnificatos quæſtionibus atrocibus, gladio, flammis, vndis, & ſupplicijs exquiſitiſsimis graſſetur: Satanæ nimirum gratificans: qui nihil minùs ferre poteſt, quàm eos: qui ſpem omnem fixam, & locatam habent in Deo, ad eiusq; nomen, & gloriam celebrandam in terris contra ipſius mendacia, & tyrannidem omnes curas, & actiones referunt. Inops dicitur Saluator, inquit Caſsiodorus, quòd, de ſuo diues, factus eſt propter nos pauper.

VII.

Quis dabit ex Zion ſalutare Iſrael? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael.

Vaticinium interrogatione, & διαλογισμῷ expoſitum: quo ardorem mentis, & cupiditatem incredibilem piorum omnium exprimit, optantium, vt lætiſsimus tandem ille dies illuceſcat: quo Protitor ſerpentis Filius Dei veniat, & fidem ipſi adhibentem Eccleſiam ex dominatione Diaboli, peccati, legis, & mortis eripiat. O ſi detur ſalus ex Sione, & Dominus ex ſanctiſsimo ſuo domicilio calamitates populi ſui reſpiciat: vt reuocati ex captiuitate ocio, placidiſsimaq; fruentes pace exultent Iacobæi, & lætentur Iſraelitæ.

PSAL-

PSALMVS XV.

CIVIS COELESTIS.

PRoponit hoc Pſalmo vir ſanctus doctrinam, de rectè percipienda, intelligendaq́ lege: atq́ oſtendit quam viam, rationemq́ viuendi inſiſtere debeant: qui Deo vitam, moresq́ ſuos probare velint: ne, in quam adſcripti ſunt, cœleſtem ciuitatem, quæ eſt Eccleſia, amittant. Iubet autem totis nos animi viribus in id curam, operamq́ ponere: primùm quidem, vt ſeiungamus nos ab oſtentatione, venditationeq́ pietatis eorum, qui nugatorijs cæremonijs, & ſuperſtitioſis ſacrorum operationibus diuinum numen vt demereantur, elaborant: deinde fidei beneficio ab omni viciorum, flagitiorumq́ labe coram Deo animum purum, & integrum geramus: poſtremò quicquid eſt officiorum beneuolentiæ mutuæ, id diligenter proximo, ſanctéq́ præſtemus. Hoc enim modo futurum: vt ciuitatem, in quam ſemel recepti ſumus, æternam nunquam perdamus.

I.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Διαλογισμὸς, cuius prior pars eſt ἐρώτησις, Prophetæ interrogantis, altera ἀπόκρισις, Dei reſpondentis. Cupit enim doceri à Deo, & inſtitui Propheta de veris ciuib. æterni illius, & beati cœtus, ac concilij bonorum: deq́; cultibus, actionibusq́; virtutum ipſi placentibus. Domine quis deget in tabernaculo & domi-

& domicilio tuo? quis in tuo ſacro monte potitus ſede ſtabili, poſt exilium vitæ huius, & grauiſsimos labores vitam placidiſſimam, & omnium bonorum pleniſsimam traducet. Peregrinari verbum, quod quidam ex Hebræo transferunt pro habitare, ad Eccleſiam in hoc mundo pertinet: in quo & peregrini ſumus, & inquilini ſicut omnes patres noſtri: & in tabernaculo quaſi, ſeu tentorio expectare hoſtium aggreſsiones cogimur: dum in ſua quiſq; ſtatione cum peccatis, mundo, & Satana depugnare neceſſe habemus. Requieſcere eſt pace parta ocio frui, & quiete optata: id quod ex parte in hac vita iuſtificatis accidit, qui pacem habent ad Deum: ac tandem in vita futura liberatis ex morte, & malis vniuerſis, cumulatè pijs omnibus continget. Reſpexit autem tabernaculi, & montis ſancti appellatione, cùm ad ſanctuarium, quod erat domicilium Dei in ſolitudine à Moſe conſtructum, & conſtitutum: tùm ad montem Moriam: vbi templũ poſtea exædificauit Solomon: ſumta loquendi forma ab ipſo Moſe: qui, Perduces eos, inquit, & collocabis in monte poſſeſsionis tuæ: vbi habitationis tibi domicilium conſtituiſti: vbi ſedem tibi, & templum ædificabis. Nobis tabernaculum, σκήνωμα, & mons Dei ſacer, τὸ ὄρος ἅγιον τοῦ κυρίου, ipſa eſt Eccleſia, Filij Dei doctrinam atq; eius ceremonias retinens: quæ propter firmitudinem contra portas orci, monti, propter continentia cum hoſtibus bella, tentorio, caſtriſq; comparatur.

Pſal. 38. (margin note beside "Peregrinari")

Exod. 15. (margin note beside "ſeſsionis tuæ")

II. III.

Qui ingreditur ſine macula: & operatur iuſticiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo.

Qui non egit dolum in lingua ſua: nec fecerit proximo ſuo malum:

lum: & opprobrium non accepit
aduerſus proximos ſuos.

Reſponſio. Ille habitabit in domicilio Dei: qui integer
eſt, ſanctus, inculpatus, ſacitq; iuſticiam: qui ſincerè gerit ſe,
& ab omni viciorum labe purus verum loquitur ex animo: nec
lingua ſua cuiquam nocet. Vide Pſalmum 24. Ingredi ſine
macula, & operari iuſticiam, πορεύεσθαι ἄμομον, καὶ ἐργά-
ζεσθαι δικαιοσύνην, *eſt nullo ſcelere, aut flagitio contaminare*
ſeſe: ſed viuere ad præſcriptum diuinum: & officijs virtutum
omnibus fungentem, ac frugaliter, iuſtè, pieq; viuendo, quæ do-
ctrina præſcribuntur cœleſti, præſtare: hoc eſt, vt Moſes lo- Gen. 17.
quitur, ambulare coram Deo, & eſſe integrum: vt Lucas, eſſe Lucæ 1.
iuſtum apud Deum, incedentem in omnibus mandatis, & inſti-
tutis Domini ſine querela: vt Paulus, eſſe ἀνέγκλητον, εἰλι-
κρινῆ, καὶ ἀπρόσκοπον, καὶ ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χρι-
στοῦ πολιτεύεσθαι, *ſincerum eſſe, nuſquam offendere: dignam*
deniq; Chriſti Euangelio vitam agere. Quod quia (licet hypo-
critæ, & opinatores contra diſputent) mortalium nemo præ- Phil. 1.
ſtare ad vnguem poteſt: ſequitur fidem, ſine qua vt quis placeat
Deo, fieri nequit, addendam eſſe: & ingredi ſine macula ex- Hebr. 11.
planandum pro eo, quod eſt: in fide, qua purgantur animi, ſa-
num eſſe: & ad meritum, & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini
noſtri, qui ſolus piaculum criminum noſtrorum emundat nos
ab omni peccato, conſtanter adhærere: atq; ita viciorum ſor-
dibus, excrementisq; in dies ſingulos depoſitis, &, purgatum o-
mni & corporis, & animi labe, ſanctimonia fungi cum metu
diuino, & incontaminatum ſe à mundo cuſtodientem ἡσύχιον
βίον διάγειν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *tranquillam,* 1. Tim. 2.
quietamq; vitam agere cum omni pietate, & grauitate. Loqui
veritatem in corde ſuo. λαλεῖν ἀλήθειαν ἐν καρδίᾳ, *ſignifi-*
cat ea ſentire, & de ſe ipſo, & de numine cœleſti, quæ Deus
ſacris libris prodidit, & promulgauit: Deo credere, ex animo

ſidem adhibendo promiſſionibus eius, in iiſq; acquieſcere. Agit *dolum in lingua ſua:* δόλιοι ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ: *qui imitando calumniatorem Diabolum, aut falſæ doctrinæ autor eſt, & opinionibus impijs corrumpit alios, aut etiam modò harum, modò illarum partium exiſtit.* Pertinent *autem hæc omnia ad primam Decalogi partem: qua vera Dei agnitio, timor, fides, inuocatio, celebratioq; nominis diuini præcipitur: quæ, niſi à iuſtificatis, & merito, ac ſanguine Chriſti in gratiam apud Deum repoſitis, præſtari non poſſunt.* Sed *obſeruanda etiam ſunt, quæ annotat hoc loco Baſilius, tum ad illud, in corde, tum temporis præſentis enunciationem.* δεῖ οὐ μόνον ποιεῖν τὴν δικαίαν πρᾶξιν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ διαθέσεως δικαίως ἐργάζεσθαι. *Decet non ſolùm ea, quæ recta ſunt, iuſtaq; agere: ſed iuſto etiam, rectoq; animo facere.* Et, οὐ μία πρᾶξις τελειοῖ τὸν σπουδαῖον, ἀλλὰ παντὶ προσήκει τῷ βίῳ τὰς κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργείας συμπαρατείνεσθαι. *Non perficit bonum virum vnius operis actio: ſed par eſt, per omnem nos vitam virtuti operam dare. Fieri poteſt, inquit Auguſtinus, vt loquatur aliquis ore veritatem, quæ nihil ei proſit, ſi eam in corde non teneat: id eſt, ſi, quod loquitur, ipſe non credat.* Contra *mendacium. Non ſufficit declinare à malo, niſi etiam opereris bonū. Lyranus.*

Nec ſecit proximo) ἀπαρίθμησις, *virtutum tabulæ poſterioris enumeratio, quæ ex ſuperiore, tanquam è fonte promanant: neq; enim bona arbor non poteſt bonos fructus edere. Qui neq; iniuria, neq; iure lædit, & violat proximum: qui cauſa de aliqua ſiue vera, ſiue ficta violenter proximo manus non infert: qui corpori, vxori, fortunis, ac famæ deniq; proximi vim non facit.* Opprobrium *non accipit aduerſus proximum,* ὀνειδισμὸν οὐκ λαμβάνει ἐπὶ τὸν ἔγγιστα αὐτοῦ, *qui non modò ipſe dedecus nulli imponit, nomen eius falſa deformando infamia: ſed ne ab alijs quidem opprobrijs, & conuicijs affici quenquam ſinit, omnia in meliorem partem interpretando.*

IIII.

Ad

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat: qui iurat proximo ſuo, & non decipit.

Qui perſonis nihil tribuens, deſpicatui ducit improbos: pios verò, & Dei metuentes honore afficit. Qui ſapientia præſtant, & ſpeciem habent pietatis, illorum ſcita, decretáq; quamuis impia, & in Deum contumelioſa, nemo libenter facit, vt oppugnet: præterea, qui opibus valent, & potentia, contra eorum res, rationesq; nemo ſtudioſe venit: adeoq; ita comparata ſunt ingenia omnium: vt ad gratiam ſapientum, & potentum multa & loquantur homines, & faciant. Ab hoc vicio, vt quod pugnet cum veritate, abeſſe vult pios longiſsimè: iubetq; vt impios, quantumuis eruditione, multarum rerum vſu, genere, opibus, & gratia florentes deſpectui habeant: pios contrà, & rectè ſentientes de Deo ſuſpiciant, & magnifaciant: licet in doctrina pariter & re tenui ſint, ac nullo neq; loco, neq; numero habeantur. Moſes, poſtquam adoleuit, filius natæ Pharaonis dici recuſauit: potiùs eligens mala pati cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui: maiores arbitratus diuitias probrum Chriſti, quàm Ægyptiorum theſauros. Heb. 11. *Et Heliſæus ad Ioramum regem Iſraeliticum: teſtor ego, inquit Dominum immortalem, in cuius ſto conſpectu, niſi me Ioſophati dignitas moueret, te ne adſpectu quidem dignarer.* 4. Reg. 3.

Qui iurat) *Qui quod iurauit alteri, non reuocat: qui, quod affirmatè teſte Deo promiſit, ſumma fide, conſtantiaq; ſeruat: qui contra religionem iurisiurandi nihil quicquam admittit, præſtans proximo, quod pollicitus eſt: etiamſi malum ſibi ea res ipſi, & detrimentum ſit allatura. Iuſiurandum,* ὅρκος, ἀμετάθετος περὶ ἑκάστου πράγματός ἐστι διαβεβαίωσις, *inquit Baſilius. Vel* μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος

ἀμφισβητουμένου. Philo. Affirmatio religioſa Deum teſtem faciens. Huius ratio duplex eſt: altera temeraria, & impia: religioſa altera, & Chriſtiana. Religioſe iurat non ſolum Paulus, vt: teſtis eſt mihi Deus, quem colo Spiritu meo: ſed etiam
Rom. 1. *Chriſtus ſæpius, adeoq́; Deus ipſe. Vt, Viuo ego, dicit Dominus,*
Ezech. 33. *nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et vſitata fuit apud Hebræos iurandi formula: Viuit Dominus. Hæc ratio, cùm ad Dei gloriam pertineat, & ſalutem, vtilitatemq́; proximi, piè vſurpanda, & accuratè, ſanctéq; colenda, & ſeruanda eſt. Temerè iurat, qui, cogente neceſsitate nulla, prauo tantùm more, & conſuetudine non bona, vanitatem orationis teſte Deo confirmat, non in contractibus tantùm, ſed ſermone etiam quotidiano. Qua ratione cùm contumelia afficiatur nomen Dei: meritò fugienda illa, & modis omnibus vitanda ſecundum*
Matth. 5. *Chriſti mandatum. Ego autem dico vobis omnino non eſſe iurandum, &, eſto ſermo veſter, etiam, etiam, non, non.*
Eſt, eſt, ſufficiat, quod non eſt, dicite non eſt. Iuuencus.

V.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: qui facit hæc: non mouebitur in æternum.

Qui nummos ſuos in fœnore non ponit: qui pecuniam ſuam in quæſtum non transfert. Loquitur de vſura, hoc eſt, lucro: cùm fœneratores ab eo, cui data eſt pecunia vtenda, præter ſortem auferunt aliquid tantùm propter officium mutuationis. ἀπὸ τῶν συμφορῶν κερδαίνοντες, ἀπὸ τῶν δακρύων ἀργυρωλογοῦντες, ex aliorum damnis lucrum, & ex lachrymis pecuniam facientes. Etſi aũt vſuram conſulti legum ſuis fucis, et
Luc. 6. *pigmentis ornatam velent: planè tamen eam improbat Chriſtus.*

ſtus. Date mutuum, & commodate, nihil inde ſperantes: Et Luc. 6.
rectè Cato dixit, ſœnerari idem eſſe, quod hominem occidere.
Non accipias à fratre tuo vſuras, nec amplius, quàm dediſti. Leuit. 25.
Moſes. τὸ ἀργύριόν σου οὐ δώσεις ἐπὶ τόκῳ. *Baſilius. Chriſti diſcipuli à ſœnore tanquam à certo peccato cauent. Hagnon.*

Et munera.) *Qui donum aduerſus eum, qui iniuſtè poſtulatur iniuriarum, non accipit. Hoc præceptum violant non ij ſolùm, qui ius dicunt, ſed quicunq; donorum cupidi, nummarijq;, pecunia corrumpi ſeſe patiuntur ob falſum teſtimonium tribuendum: aut lites etiam iniquo patrocinio, calumnijsq; extrahendas, tuendasq;. Qui odit dona, viuet. Solomon 2.* Prouer. 15.

Qui facit hæc) *Concluſio. Hæc qui facit, qui hac ratione vitam inſtituendo fidem verbo, promiſsionibusq; Dei verè adhibet: & proximo officia caritatis, ac beneuolentiæ mutuæ, comprobantia fidem, ex animo præſtat: nec mouebitur, nec conuelletur in æternum: ſed in Eccleſia quæ eſt domicilium Dei omnibus ſeculorum ætatibus firmam, ſtabilemq; ſedem tenebit. Vide Eſaiam.* Eſa. 33.

PSALMVS XVI.

CHRISTVS MORTVVS ET REDIVIVVS.

LOqui hoc Pſalmo Chriſtum ipſum Dominum ex libro de rebus Apoſtolorum apparet. Sic enim Petrus ad Iudæos inquit eo die, quo in Apoſtolos miſsione manifeſta effuſus eſt Spiritus ſanctus. Hunc Deus, ſolutis doloribus mortis, reuocauit in vitam: quatenus fieri non poterat, vt ab ea teneretur: Dauid enim dicit de eo: Prouidebam Dominum coram me ſemper: quoniam dexter mihi adeſt, vt non labefiam, & quæ ſequuntur. Et Paulus ad Antiochenos: Quod autem ſuſcitauit Deus Ieſum Act. 2. Acto. 13.

ã mortuis, iam non reuerſurum ad interitum Pſalmus teſtatur: non dabis ſanctum tuum pati corruptionem. Ex his intelligi datur, carmen hoc verè aureolum (ſic enim apud Hebræos inſcribitur) conſtare de Chriſti pro humano genere, vt à peccato, morte, & diaboli tyrannide ſolueretur, ſatisſacientis, ærumnis, tormentis, morte acerbiſsima, & rurſus, iuſticia æterna vt induceretur, victoria, & glorioſa in vitam reſtitutione. Teſtatur autem Propheta fore, vt legem Moſaicam abrogaturus ſit Deus: & ſacra, ritusq; teſtamenti veteris exterminaturus: ipſisq; Iudæis, veluti ſimulachricolis reiectis, alium populum in hæreditatis æternæ felicitatem vocaturus.

I.

Conſerua me Domine quoniam ſperaui in te.

Propoſitio adiuncta ratione. In quo omnis ſpes ſalutis meæ conſtituta eſt, ſerua me Deus. Filius Dei vita, factisq; nos exprimens, & in omnibus, vt nos, periclitatus, citra culpam, & peccatum (non enim ſcelus fecit, neq; fraudem habuit in ore) inſtante iam morte patri cœleſti ſalutem ſuam toto proiectus corpore terræ, ſuppliciter, & demiſſè commendat: petitq;, vt ſeſe in obeundo humanæ redemptionis munere omni auxilio, præſidioq; deſtitutum iuuet: quòd, in quo opis, adiumentiq; ſpem locet, illo excepto, habeat neminem. Huc illa: Nunc anima mea turbata eſt, ecquid dicam? Pater ſeruato me ex hac hora. Et: Mi Pater, ſi fieri poteſt, fac vt effugiam hunc calicem. In die carnis ſuæ (cum mortalem ageret) Chriſtus precibus, ac ſupplicationibus ei, qui ipſum à morte ſeruare poterat, obtulit (libauit) cum vehementi queſtu & lachrymis: & pro ſua pietate exauditus tametſi filius, didicit tamen ex ijs, quæ paſſus eſt, obœdientiam: (præſtitit patiendo obœdientiam) & perfectus redditus omnibus ſibi obedientibus ſalutis æternæ cauſa extitit. Autor ad Hebræos.

Ioh. 12. Matth. 26. Heb. 5.

Dixi

II.

Dixi Domino: Deus meus es tu: quoniam bonorũ meorum non eges.

Narratiuncula: δικγημάτιον, *qua cauſam mortis, ſuppliciúq; ſui exponit. Impij dicunt, non eſt Deus, & non ſolùm ex metallis, lapidibus, & lignis conflata, & efficta, ſed ex ſuis quoq; virtutib. opinione falſa depicta numina ſibi adſciſcunt: Ego verò toto pectore confiteor, te non ſolùm exiſtere, ſed eſſe Deum quoq; meum: ex quo vno pendeo, eamq; fidem omnibus actionibus, vitaq; tota præ me fero, tuæ voluntati ſatisfaciens: quod licet verè ita habet ſeſe: non propterea tamen ſuperbia, faſtidioq; efferor: quid enim voluntas mea, alacritaſq;, qua promtus, & paratus amicus meus ad obſecundandum, parendumq; tibi, maieſtati numinis tuæ commodare, quid boni profectum à me bonis ad te cumulatum omnibus redire poteſt? Omnia refert Chriſtus ad Deum parentem, ſibi nihil arrogat. Etſi enim illuſtrauit ille quidem doctrina ſua, obœdientia, & morte nomen, gloriamq; ſui Patris, iuxta illud: Ego te in terris glorificaui, opus abſolui, quod dediſti mihi, manifeſtaui nomen tuum hominibus: non tamen oſtentat hoc ſuum factum, venditatq;: vt ſententiam nimirum illam exemplo ſuo comprobet. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: Et ad ſubmiſſionem animi nos inuitet: vt nõ tam in noſtris virtutibus, actionibuſq;, quàm in infinita Dei, & interminata miſericordia, fauore, & clementia, vt quæ prora nobis eſſe, & puppis debet ſalutis, acquieſcamus, humili eum animi ſubiectione colentes: non quòd ſeruitute noſtra indigeat: ſed quia nos dominatione illius opus habemus. Nobis enim prodeſt colere Deum, non ipſi Deo, inquit Auguſtinus. Vide epiſt. 198, & lib. 8. De Gen. ad Literam. Sunt, qui legant: Bonum mihi, vel bene mihi non eſt propter te: vt hoc intelligatur. Tormenta, & cruciatus per-*

Ioh. 17.

Matth. 11.

ſero, non quod ſcelus aliquod commiſerim: ſed tuæ vt iuſticiæ
Ioh. 17. *ſatisfiat: & nominis tui gloria hominibus declaretur.*

III.

Sanctis qui ſunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Προκατάληψις. *Occupatio. Si ex morte tua, ô fili Dei, nihil fructus redit, & commodi ad Deum Patrem: quam tandem ob cauſam pateris? Sic enim occurri Chriſto poterat. Reſpondet* ἀπὸ τοῦ τελικοῦ: *cruciatus, & tormenta perpetior pro ſanctis, & glorioſis, ac nobilibus in terris: quibus nihil mihi eſt carius, & rerum omnium iucundius. Sanctos autem intelligit, & glorioſos,* ἁγίους, καὶ θαυμαστοὺς, *nobiles, fortes, magnificos, num maleficio, quales nulli ſunt, vacantes, num præſidentes ſuis cum pietate ſuſceptis actionibus, num à Curione deniq; maximo, qui ſibi diuinæ maieſtatis conſortionem arrogat, in cœleſtium concilium relatos, & radiato capite conſpicuos? Minimè. Sed Deo, qua ſolà conciliatur ſalus, fide ſe dedentem, & permittentem, quæ eſt flos generis humani, Eccleſiam: tum quod ſanguine Chriſti à maculis, & peccatis purgata eſt: & per verbum myſteriaq;, quibus ſalutis noſtræ ſumma repræſentata exhibetur, beneficio ſpiritus ſancti luſtrata, renouataq;: tum quod latente vita ipſius cum Chriſto apud Deum, magnificum agit triumphum, duce imperatore ſuo, de morte, peccato, Satana, & hæreditatis ampliſſimæ ſpem habet propoſitam: licet, qui membra ſunt illius, ſontibus annumerentur, & reiectamenta, publicæq; dicantur quisquiliæ. Amauit Chriſtus Eccleſiam, ſeq; pro ea tradidit: quo eam ſanctam*
Eph. 5. *redderet aquæ lotione purgatam per verbum: vt eam ſibi præſtaret glorioſam Eccleſiam, nulla macula, aut ruga, aut vlla tali re deformatam: ſed quæ ſancta, inculpataq; foret. Paulus.*

ἁπάν-

ἁπάντων κεφάλαιον ἐν ᾧ ἐμὴ τελείωσις, καὶ ἀνάπλασις, καὶ πρὸς τὸν πρῶτον ἀδὰμ ἐπάνοδος omnium horum caput, & ſumma eſt mea perfectio, recreatio, & ad primum Adamum reditus, Theologus. In terra verò dicit eſſe ſanctos: innuens, dum in hac miſera: fragiliq; vita peregrinantur, ſanctos ab integritate vitæ, & innocentia omnibus numeris abſoluta longè adhuc abeſſe: ideoq; imputatione, aßignatione q;, hoc eſt, non ſua, ſed Chriſti iuſticia Deo placere, & acceptos eſſe. Qui enim in terris vitam degunt, & indumento carnis onerati ſunt, prolapſionibus, & communibus infirmitatibus humanæ naturæ ſunt ſubiecti.

IIII.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt: non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Ἀντίθεσις. Sanctis quidem, & magnificis incredibiliter delector: at verò, qui, in prælium ruentis equi inſtar, in ſuum curſum verſi, maximo cum labore alios ſibi Deos adſciſcunt, & ad opinionum ſuarum truncos ſeſe ſubmittunt, ſemper diſcentes, & ad veri cognitionem nunquam peruenientes, in ſummas miſerias incident: at verò, qui non ſunt perſuaſi, Chriſti tormentis, & ſanguine ſibi peccata condonata eſſe, ideoq; varios colendi Deum ritus, quibus beneuolentiam illius demereantur, excogitant, doloribus incredibilibus opprimentur. Loquitur de repudiatione, reiectioneq; Iudæorum, & omnium, quicunq; extra Chriſtum operationibus ſacrorum, votis, precationibus, corporis macerationibus, peregrinationibusq; religionis ergò ſuſceptis, & ſuperſtitionibus deniq; alijs peccata

expiare, fauoremq́; Dei conſequi, & iuſticiam ſibi ſtudent
Iohan.5. *comparare. Qui filium non honorat, nec patrem honorat, qui eum miſit, Euangeliſta. Non poteſt ille ſummus, & ſingularis Deus, niſi per filium coli: qui ſolum Patrem ſe colere putat, ſicut Filium non colit, ita nec Patrem quidem. Lactant. de vera ſapientia.*

Non Congregabo. *Libamina eorum cruenta, ſanguineaq́; non libo: victimas, hoſtiasq́; cruore manantes deteſtor: non habeo grata illorum ſacrificia: ſed nec nomen eorum aſſumo per labia mea: meis labijs doctrinam eorum non vſurpo: non afficior eorum iuſticia: non cultus, quos ſe putant adhibere Deo, approbo: non oro pro eis: mentionem eorum, quòd non agnoſco illos, apud Patrem cœleſtem non facio.*
Ioha.17. *Ego pro diſcipulis rogo, non rogo pro mundo. Docet primùm, cùm vnicum tantùm ſit ſacrificium piaculare,* ἱλαστικὸν, *vnaq́; victima noxialis, quæ placatum nobis efficit Deum, litatio nimirum Ieſu Chriſti Domini noſtri: ad ſacrificia reliqua omnia offenſionem habere Deum & faſtidium: deinde eos, qui Chriſtum repudiant, ab illo viciſſim repudiatos æternæ felicitatis hæreditate planè excidere, iuxta illud:*
Pſal. 1. *Non conſiſtunt peccatores in cœtu iuſtorum, Et: Qui credit*
Ioh. 3. *in filium, vitam conſecuturus eſt ſempiternam: qui verò Filio non paret, is vitam non videbit: ſed ei imminet ira diuina.*

V.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

προκατάληψις *per auerſionem ſermonis ad ipſum Deum. Ergo repudiato, reiectoq́; populo diuino non habebo Eccleſiam? Imò vt deficiant ſanè à me Iudæi: vt recedant, qui adumbrata religione nituntur: vt transfugiant ſcholæ, ſectæq́; impie-*

Impietatis: nihilominus tamen hæreditatem habebo, non caducam, ſed firmam, immobilem, & æternam, ipſum te præpotentem nimirum rerum autorem, & conſeruatorem Deum: quo trahente per verbum, & ſacris integumentis myſteria inuoluta, non deerunt: qui, ſe ſuaq; omnia mihi conſecrent. Loquitur de vocatu gentium, vt Pſalmo ſecundo. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, reſpiciens ad illud: Leuitæ inter Iſraelitas partem nullam habeant: Dominus enim illis erit patrimonium. Deut. 17.
Calicem, τὸ ποτήριον, non tam pro ſupplicio poſuit, quàm, imagine hoc loco ſumta à conuiuijs, portione, ſeu rata parte: quæ in adeunda hæreditate regni ſempiterni Chriſto obtigit: & à præpotenti illi rerum omnium dominatore conſeruatur. Ad verbum Reſtitues, quod in translatione vulgata legitur, ſic annotat Caßiodorus: Reuera ipſi reſtituta eſt hæreditas, cui ante conditionem rerum fuerat in prædeſtinatione collocata.

V I.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Expolitio. ἐπεξεργασία. Patrimonij ſorte regio mihi amœnißima obtigit: hæreditatem elegantem, luculentam, & præclaram creui. Genus ſermonis traductum de hiſtoria Ioſuæ: qui more Ægyptio funiculis, σχοινίοις, agros metatus eſt, quos populo diuiſit. Ioſ. 13.
Præclaram vocat hæreditatem ſuam, quæ eſt Eccleſia, eadem ratione, qua ſupra credentes ſanctos appellat, & glorioſos, propter verbum nimirum, Sacramenta, qua conciliatur iuſticia, Fidem, & Spiritus ſancti munera, & beneficia.

V I I.

Benedicam Dominum, qui tribuit

buit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctem increpuerunt renes mei.

Gratiarum actio εὐχαριστία. Oſtendit preces ſuas nequaquam fuiſſe irritas: ſed Deum Patrem exaudiſſe eas, & ,ne in maximis ſuis doloribus animo deficeret, & ſuccumberet, con filio amantiſſimo, præſentiſſimoq́; auxilio præſtò ſibi fuiſſe. Habeo, agoq́; conſulenti mihi Deo gratias immortales, qui non modò vires mihi addidit, vt toleranter, animoq́; tranquillo grauiſſimos dolores paterer, & voluntati me Patris ſubijcerem, obediens ipſi vſq; ad mortem, & quidem mortem crucis: Sed auxilium quoq; mihi, opemq́; tulit: quo miſerijs ærumnisq́; omnibus euaderem ſuperior. Renes, νέφροι, [illegible] propter ea (in Chriſto quæ fuit integra) animi parte ponuntur: in qua impetus ſunt, commotionesq́;, quibus appetimus illa, quæ ſecundum naturam ſunt et declinamus contraria. NOX νύξ, calamitates ſignificat, & omnis generis ærumnas, quibus fit, vt, quaſi denſiſſima caligo offuſa ſit animis, lucem reſpicere, & quieta, ac tranquilla mente conſiſtere non queamus. Depingit obiter concertationem, quæ eſt inter carnem, hoc eſt hominem veterem, qui ratione duce diuina non ſapit, ſed humana, & Spiritum, quæ eſt fides ipſa, ſeu homo nouus, qui in ærumnis, & miſerijs affectiones animi Deo obœdientes præſtat, perſuaſum habens grauiter à Deo ſolere affligi ſanctos, vt caro extinguatur, Spiritus verò viuat. Atq; huc illud facit: Spiritus

Matth. 26. *quidem promptus eſt, ſed caro infirma, Et: Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

VIII.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.

Do-

Dominum mihi ſine intermiſſione habeo propoſitum: Dominus animo mihi iugiter obuerſatur: non deijcio oculos fidei à Domini fauore, & beneuolentia: de qua quid.m mihi tantùm polliceor, vt optima in ſpe ſim, illo mihi dextro fieri non poſſe, vt vnquam loco dimouear. Diuini numinis reuerentia tantam vim habet apud animum verè pium, Deiq; metuentem, vt nefas eſſe ducat vſquam detorquere oculos à voluntate Dei, ideoq; promto, & alacri animo, quod Numini æterno viſum fuerit, ſubire, excipereq; nullus dubitat. Neq; vero fallit animum talem ſpes ſua: adeſt enim Deus præſens, ac propicius, atq; magnitudinem ſubminiſtrat, & conſtantiam, ne vlli calamitatum oneri ſuccumbat.

IX.

Propter hoc lætatum eſt cor meum: & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Vaticinium de reditu ſuo, & in vitam reuerſione. Quòd ergo certus ſum Deum lateri meo adhærere propugnantem, & conſilio me iuuantem, & auxilio: hinc fit, vt animus meus incredibili lęticia completus gaudio exultet: neq; lingua gratijs agendis ſatiari poſſit. Lingua μεταληπτικῶς gloria eſt, quòd lingua Dei laudes celebrantur: & gloria ipſius inter homines propagatur.

X.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Amplificatio adiuncta ratione. Quid dicam, quòd corpus etiam meum in tuto eſt: quòd corpus morti iam propinquum

quum ſpe bona, certaq; alitur, & fouetur. Non enim deſtitutam vitam meam in orco relinques: nec pateris tam diu carere luce, futurum tibi pro genere vniuerſo mortalium hoſtiam, ſanctum tuum, quoad interitu corpus eius deleatur:

ſed nato immortalia membra,
Cùm lux Eois properabit tertia ab oris,
Illuſtrans penitus diuinum afflabis honorem:
Quodq; fuit mortale modo, & violabile corpus,
Immortale dabis. *Vide Acta Apoſt: 13.*

Infernus, ᾅδης, tria ſignificat, ſceleratorum ſedem regionemq;, ſepulchrum, & terrores, doloresq; luctantis animi cum ira diuina. Verè autem ſenſit magnitudinem peccati, iramq; Numinis generi humano propter vicioſitatem naturæ ſuccenſentis, & verè tumulatus eſt, illatusq; in ſepulchrum, & verè deniq; deſcendit ad inferos, quæ eſt terra obliuionis, in qua ordo nullus, totus Chriſtus, quantumuis nugatrix ratio reclamet. Maior eſt enim ſacræ ſcripturæ autoritas, quàm ingenij humani capacitas, inquit Auguſtinus.

In extremæ deſcendit humilima terræ,
Inferiora petens, ſed non excelſa relinquens, Sedulius.

dignatus vt ima
Tangeret inferni, non linquens ardua cœli, Arator.

Videre corruptionem, ἰδεῖν διαφθοράν, idem eſt, quod pati corruptionem, ſeu corrumpi: vt videre mortem, mori: & contra, videre bona, vitam, regnum Dei, pro eo, quod eſt, bonis, & vita regno cœleſti frui. Anima totum hominem ſignificat phraſi Hebraica: & caro Chriſti cœleſtis eſt iam, & diuina caro, animæ quidem iuſticiam, corpori verò immortalitatem concilians. Sanctus vt & iuſtus, appellatur Chriſtus κατ᾽ ἐξοχήν.

XI.

Notas mihi feciſti vias vitæ: adimple-

implebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.

Expolitio. *Viam vitæ me docebis: oſtendes mihi iter, quod ingreſſus mortem ſuperem, & poſt diem tertium, quo migrauerit è corpore animus, ad vitam adeam beatam, & nullis ſeculorum ætatibus terminandam. Quod vbi factum fuerit, in cuius dextera voluptates perennes ſunt, apud quem adeſt gaudiorum, quæ nulla ingenij vel præſtantiſsimi excellentia cogitatione poteſt complecti, plena copia, coràm intuebor, atq; in conſpectu, iucundiſsimaq; eius præſentia acquieſcam. Nec oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit, quæ præparauit Deus ſui amatoribus, Paulus ex Eſaia. Ea, quæ hoc tempore patienda ſunt, nequaquam ſunt paria gloriæ, qua ſumus afficiendi, Idem. Siniſtra Dei vita præſens eſt, dextera, beata. Bernhardus.* Eſa. 64. 1. Cor. 2. Rom. 8.

PSALMVS XVII.

LATRONES.

PRecatio, qua ſe, cauſamq; ſuam tradit, & commendat Deo Propheta Regius: & accuſat inuentores, propagatoreſq; peſtiferarum opinionum, falſorumq; dogmatum: qui primùm doctrina, & ſacrorum ritibus cum ratione, quæ à rerum diuinarum cognitione abeſt longiſsimè, congruentibus, à cæleſti doctrina abſtrahunt, & tetris erroribus homines inquinant: deinde opinione iuſticiæ propriæ inflati, inſolenteſq; veritatis doctores acerrimo odio proſequuntur, crucemq; Chriſti, hoc eſt, res aſperas, & calamitoſas, quas ad explorandos animos noſtros nobis immittit Deus, faſtidioſè auerſantur, nihil

nihil quicquam habentes antiquius, quàm vt per aliorum oppreſsionem in altiorem locum dignitatis adſcendant, ac rem eò tandem deducant, ne quid omnino moleſtiæ ſuſcipere neceſſe habeant: ſed opibus, honoribus, voluptatibusq́ comparatis in omnium rerum abundantia ocioſam, quietam, delicatamq́ vitam agant. Dum autem precatur, vt profitentem ſe doctrinam veram, & voce, ac factis eam propagantem Pater cœleſtis defendat: impios verò doctores ab Eccleſia exterminatos perdat: confirmat ſe vnà bonos, ac iubet, vt magno excelſoq́ animo ferant ærumnas, & calamitates: quibus propter verbum diuinum de voluntate Dei afficiuntur: nec proſperitate malorum, & felici rerum ſucceſſu de gradu conſtantis in Deum pietatis ſeſe patiantur deijci. Fore enim, vt commutata ſorte, impij, quorum nunc animus rebus fragilibus, & caducis affixus eſt, ac bonis fugacibus, adumbratisq́ ſaturantur, in futura vita ſummam rerum omnium inopiam perpetiantur: Ipſi verò, quòd ſolida, & perpetuo duratura bona conſectantur, in beata illa domo omnibus gaudijs cumulentur: & facie Dei ſuauiſsima in æternitatem infinitam fruantur.

I.

Exaudi Domine iuſticiam meam: intende deprecationem meam: Auribus percipe orationem meam: non in labijs doloſis.

Exordium δεκτικὸν, ἐπιμονῇ καὶ συνωνυμίαν: *intertexta propoſitione, dilatatum, ad exprimendum affectum.*

Audi

Audi me rerum moderator, & præpotens Rector omnium Deus: & in tuorum cauſa, bonitate eius, integritateq́; perſpecta, æquam ſententiam pronuncia. Verſor in munere à te mihi commiſſo, delegatoq́;, & nullus dubito, quin, quæ doceo, ſint ipſa, à diuina, æternaq́; mente profecta veritas: audi igitur quæ peto: attende clamorem meum: aures adhibe ad preces meas, quas non fallacibus profero labijs. Oratio eius, qui diuinum numen adire, & precibus aliquid impetrare cupit, humilis, non ſuperba, ſincera, non ſimulata eſſe debet, & quæ puris ex labijs, & corde non ficto proficiſcatur. *Iuſticiam*, δικαιοσύνην, intelligit non perſonæ, ſed muneris, & officij. *Labia doloſa, & fallacia*, χείλη δόλια, eorum ſunt, qui pietatem, virtutemq́; ementientes, vt authoritatem conſequantur, & à via veritatis ad ſua futilia commenta alios traducant, non dubitant, contra animi ſententiam ſuas opiniones αἰλυροκοσμήμασι, & ſophiſmatum obſcuritate obtegere, & fallacijs argumentorum obducere: adeoq́; ſi fallant, ſe diris agere, & ad iudicium diuinum prouocare.

II.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

Expolitio, ἐξεργασία, *Innocentem circumuenit impius: idcirco iuriſdictio eſt peruerſa. At iudicium detur in aduerſarios noſtros à te Domine: qui purioribus oculis es, quàm vt ſcelus videas, aut facinus adſpicere ſuſtineas: tu, qui & ſolus es iudex æquus, & faues innocentiæ bonorum, diſceptata cauſa mea, ſententiam fer de me, &, quod impij non poſſunt, verum iudicium pronuncia.*

III.

Probaſti cor meum & viſitaſti

noɛte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas: vt non loquatur os meum.

Ratio ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορᾷ, ſeu μεταλήψει, καὶ ὁμοιώσει illuſtrata. Tu enim, cui nullo non rerum aduerſarum genere me exploranti, intimi animi mei ſenſus in conſpectu ſunt, ſcis me habere optimam cauſam, & iuſtiſſimam: in eaq́; ſine circumſcriptione, deceptioneq́; aliorum verſatum eſſe. Excutias licet cor meum, & me nocte, ac rerum aſperarum tenebris circumfuſum, ad eum modum, quo artifices aurum ſolent, explores: non eſſe comperies me in praua viuendi via: non in me, cauſaq́; mea vllum ſcelus, & flagicium deprehendes.

IIII.

Opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias tuas.

Statutum quidem certè, & decretum eſt mihi, operam, diligentiamq́; omnem adhibere: ne transgrediatur os meum docendo, quod ſacris literis perſcriptum non extat: ne vanitatem orationis in ſermone erudiente alios de voluntate Dei adhibeam: ne aliter, ac ſentio, loquar: ne aliud pectore clauſum, aliud ore promtum habeam: quid? quòd propter amorem, & reuerentiam verbi tui, cùm doctrinam latronum ſcriptis cœleſtibus refragantem, tum facta, ad ſpeciem ſanctitatis adumbrata, euito. Vias duras, ὁδοὺς σκληρὰς, Latronum, ſeu graſſatorum vocat, qui ſunt hæretici, & Reip. ſacræ perturbatores: qui pace interrupta bellum gerunt cum Eccleſia, & graſſatorum inſtar non fortunis ſolùm, & vita, ſed ſalute quoq; æterna in-
Hier. 7. *cautos ſpoliant. Hi etiam lupi appellantur, & eorum Eccleſia*
Matth. 21. *ſpelunca latronum.*

V.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueantur veſtigia mea.

Concluſio. Cùm igitur tam iuſta ſit cauſa mea, ſumma autem, quæ exiguæ, aut potiùs nullæ ſunt, humanarum virium imbecillitas: maxima præterea hoſtium veritatis calliditas, & peruerſitas: da precor, cuius benignitate, & clementia leges diuinas cupidè ſequi, & viam mandatorum tuorum cœpi ingredi: vt ope tua, auxilioq; fide conſtans, & firmus loco me meo, nec periculorum, quæ proponuntur, formidine perterritus, nec maliciosis blandicijs officiorum delinitus ſinam dimoueri. Quà præceptionum tuarum trames ducit, greſſus meos ſeiſtine: ne mea labantur veſtigia, & pedibus deflectam: meos tu greſſus ſtabili: ac conſilia, ſtudia, & actiones dirige, & confirma: ne titubem callibus in tuis, & de recta ſententia depellar. Semitæ Dei, τρίβοι, verbum eſt diuinum, quod eſt lucerna pedibus noſtris. Veſtigia, τὰ τῶν θεόρ διαβήματα, ſunt in lege Domini ambulationes. Pſal. 119.

VI.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

ἐπανάληψις, exordij repetitio: quæ ἐκ τῆς πληροφορίας, conſtantia fidei, proficiſcitur, non dubitationis vacillatione. In magnis meis, & varijs miſerijs, & calamitatibus penitus perſpexi ſingularem tuam erga me benignitatem, & clementiam: quare nunc quoq; ſupplici tuo aurem præbe: & orationem meam exaudi.

VII.

Mirifica miſericordias tuas: qui ſaluos facis ſperantes in te: à reſiſtentibus dexteræ tuæ.

Propoſitionis iteratio αὐξήσει expoſita. Propugna pro me. Non ſolùm iudicium fit ab obtrectatoribus, latronibus, & qui virtutem ementiuntur, iniquum de me, & doctrina mea: ſed in ſummum quoq; periculum, & diſcrimen extremum pro gloria nominis tui vocor, nec, qui opem miſero, & præſidio humano deſtituto auxilium ferat, te excepto, quisquam eſt: vtere igitur in defendendo me mirifica tua clementia: qui tuo fretos auxilio, contra furores tyrannorum protegis. Qui ſeruator es omnium hominum, & maximè fidem verbo tuo adhibentium, qui licet omnis generis criminibus contaminati ſunt, in ignoſcentiam tamen, & clementiam tuam omni cogitatione ſunt defixi: ſignum quaſi tolle aliquod: quo excitentur omnes mortales, ad prædicandam inſignem miſericordiam, & bonitatem tuam: qua contra omnem opinionem eos, qui in præſidio tuo ſpes ſuas collocant, ſartos, & tectos ab ijs conſeruas, qui aduerſantur dexteræ tuæ. Dextera Dei. ἡ δεξιὰ κυρίου, Chriſtus eſt, &
Eſa. 52. *regnum illius. Brachium Domini cui reuelatum eſt? Eſaias.*
Rom. 1. *Euangelium virtus eſt diuina, ſalutaris omni credenti. Paulus.*

VIII.

Cuſtodi me: vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me.

ἐπεξεργασία per imagines: quibus ſummam Dei, & ſingularem curam, ac ſollicitudinem pro ſui amantibus depingit. Cuſtodi me tanquam aciem oculi, vt ſollicita gallina metuens pullis, congregat eos fouetq; ſub alis ſuis: ſic tu vmbra miſeri-

cordiæ tuæ abde ſalutem meam, contra impios, qui me infeſtant: contra homines feros, & immanes, qui inuſitata rabie in me crudeliter inuadunt. Moſes in Carmine de futuro excidio Hebræorum: Cuſtodiuit eum tanquam pupillam oculi. Et Zacharias: Qui vos tangit, eius oculi pupillam tangit. Imagine de Gallina vtitur etiam Chriſtus apud Mattheum. Zach. 2. Mat. 23.

IX. X.

A facie impiorum qui me afflixerunt: inimici mei animam meam circundederunt.

Adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Euidentia, καὶ πρὸ ὀμμάτων ποίησις, qua furentium doctorum, tyrannorumq; ſtudia, conatuſq; in perniciem bonorum, ac delendam, ac funditus extirpandam religionem pingit, & oculis quaſi ſubijcit. Hoſtes necis meæ cupidi comparatis inſidijs concluſum me tenent, & ore obeſitate farcto magnificè efferunt, & in modum ſeſe non ferendum contra te iactant. Adipe os concluſum, & facies operta, & obducta pinguedine, opum affluentiam ἀλληγορικῶς, & rerum omnium abundantiam ſignificant: quam quidem plerunq; comitatur arrogantia, & Dei, hominumq; contemtus, iuxta illud: εὐδαιμονία εἴωθεν ὑπερηφανείας ποιεῖν. Ex copia, atq; rerum omnium affluentia arrogantia nata eſt. Ideo ſubiungitur: Os eorum locutum eſt ſuperbiam. Alij: Pingues eorũ conſpirant, & coniurant. Intelligunt aũt ſacræ literæ pingues ipſos tyrannos, & quicunq; virtute, opibus, & honoribus præſtantes Dei verbum, & doctores pios ſermone ſuperbo, & edictis minacibus, decretiſq; fumo, & ſulphure ſcriptis, ac fortunarum deniq;, & vitæ diſcrimine oppugnare minimè dubitant.

XI. XII.

Proijcientes me nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam: & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

εἰκών. Concurſant, greſſusq; noſtros obſeruant oculis ita compoſitis, vt ad terram conquiniſcant: dies, noctesq; in vnam hanc rem animo cogitationeq; defixi ſunt, vt in datum præcipitem exempla edant crudeliſſima: ac de medio tollant: ſimiles leonibus, quos improba ventris egit rabies: aut in latibulis ſedentibus, tegentibusq; ſe leunculis: &, ſi qua ſe offerat fera, in quam inuadant, oculis omnia colluſtrantibus. Auerſio oculorum ſignum odij, & iracundiæ: qui enim inimico eſt in alium animo, eiq; damni quid, maliq; dare cogitat, rectà eum intueri non poteſt: vnde poeta. Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat. Defixio verò in terram, commentationis, & cogitationis interioris, vt idem: Mœſto defixus lumina vultu.

XIII.

Exurge Domine, præueni eum & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam.

Concluſio. Accingere ergo ira Domine, & præuerte, anticipaq; impios: ne ſcelera, quæ conceperunt animo, perficiant; obiecto pede ad caſum impulſos proſterne, ac vſus in eos gladio iræ tuæ, animam hanc à furoribus illorum ereptam libera. Inimicos, ἐχθροὺς, ſeu viros manus Dei, τῆς χειρὸς τοῦ κυ-

ρίου,

pios, vocat ipſos improbos, & conſceleratos homines: vel, quòd incidunt tandem in manus Domini, pœnas iuſtas, & debitas ipſorum facinoribus luentes, iuxta illud: Manus tuæ inuenerunt omnes inimicos tuos: vel, quòd illorum opera, tum aliorum, æquè ſceleratorum crimina, & flagitia plectere, tum fidem bonorum exercere ſolet Deus. Atq; hinc apud Eſaiam rex Aſſyrius virga furoris, & fuſtis iræ Domini appellatur. Et Hiobus dicit, ſeſe manu numinis diuini vapulaſſe: cum Satanas eum perdidiſſet: quo Deus, tanquam manu ad verberandum virum ſanctum, & innocentem vſus fuerat. Pſal. 21. Eſa. 10.

XIIII.

Ab inimicis manus tuæ: Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: & de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum: ſaturati ſunt filijs: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Expolitio, ἐξεργασία. Conſerua me ab hominibus mundanis: qui mente, & cogitatione defixi ſunt in res fallaces, & citò perituras: voluptatem in quotidianis ponentes delicijs: ideoq; partem ſuam accipiunt in hac vita. Affluunt enim opibus, & in rerum omnium abundantia viuunt: te eorum ventres de penu tuo replente. Deus ſecundas res largitur malis, & improbis, tùm vt ad ſanitatem eos inuitet, iuxta illud Pauli: An neſcis te benignitate diuina vocari ad pœnitentiam? tum vt omnes bonitatis ſuæ faciat participes: vt qui ſinat exoriri ſolem ſuum in bonos & malos, & compluat iuſtos & iniuſtos. Rom. 2. Luc. 6.

Saturati ſunt) *Qui liberis abundant, & innumera florent ſobole, opesq; ſuas, & quos congeſſerunt, theſauros re-*

linquunt poſteris ſuis. Nec liberos habere malum eſt: nec patrimonium illis relinquere, dedecoroſum: ſed liberorum copia placere ſibi: nec in timore eos Domini educare: tum in id tantum dies, noctesq; dare operam, non vt bonos, ſed vt opulentos tuos facias: id verò impium eſt, & Deo maximè contrarium. Vide Pſal. 144.

XV.

Ego autem in iuſticia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

Clauſula ἀνζιθετικὴ, quæ conuenit cum fine Pſalmi præcedentis: adimplebis me lęticia cum vultu tuo. Habeant ſanè opes maximas impij, & circumfluentes diuitijs in omnium rerum abundantia viuant: at ego, iuſticia fretus, quæ in venia conſiſtit, condonationeq; peccatorum, beatiſsimam faciem tuam omnibus gaudijs, & voluptatibus ſatiandus contemplabor: nimirum cùm experrecta fuerit imago tua Chriſtus Dominus: per cuius in vitam reditum plenam iuſticiam, & felicitatem æternam fidem habentes eius nomini conſequuntur.

PSALMVS XVIII.

EPINICION.

COmmemorat hoc Pſalmo rex ſanctus bonitatis;, & amoris erga ſe rerum omnium autoris, & moderatoris Dei beneficia: eiq; pro fauore in ſe, & benignitate paterna, quam verbis illuſtratam ſingularibus effert laudibus, gratias agit: tum quòd

ſartum, & tectum ab omni periculo, detrimento-que conſeruarit: tum quòd opem ſibi tulerit, & auxilio præſtò fuerit, vt hoſtes ſuos delere funditus, & regnum pace legibusq; conſtituere potuerit. Primùm autem generatim exponit, & vniuerſè difficilimis quidem ſeſe maximisq; rerum aſperitatibus affectum fuiſſe: in quibus ſæpenumero propius nihil fuerit, quàm vt vita pariter, & fortunis omnibus exueretur: verùm Dei tamen, cuius opem implorarit, ſemper fuiſſe præſenti conſeruatum auxilio: cuius ea ſit bonitas, vt ad ſe, in quo omnia ſtudia figant, & locent, confugientes nunquam patiatur eſſe deſertos. Deinde ſigillatim dicit de vnoquoq; ſuorum hoſtium: Saulo primùm, à quo vexatus erat acerbiſsimè, propter regnum ſibi à Deo promiſſum & deſtinatum: deinde Goliatho, Palæſtinis, Amalechitis, & reliquis vicinis gentibus, quæ maximè ei fuerant infeſtæ: ad hæc Abſolone filio, qui contra ſalutem patris coniurationem fecerat: deniq; Siba, & rebellibus Iſraelitis. Multorum enim, & odia occulta, & aduerſationes manifeſtas experiri coactus eſt Dauides, idq; in ſuo potiſsimùm populo: adeo vt magis illi ad nutum obœdirent, & obtemperarent promtiùs nationes exteræ, quàm, quorum rex erat, Hebræi ipſi. Iam quia typum geſsit, & perſonam Filij Dei Propheta, & in rebus multis ſuorum temporum hominibus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum repræſentatum expreſsit: non inſcitè Carmen hoc ad ipſum Chriſtum accommodabimus, idq; hoc modò: vt intelligamus, per Saulum, Iudæos, & quicunq; iuſticia legis inflati ſunt, & inſolentes: per Goliathum, & Palæſtinos, tyrannos pariter, & ſapientiæ profeſsione inſignes: per Abſolonem, hæreticos, &

perturbatores Eccleſiæ: per rebellem populi multitudinem, communi, vulgariq́ꝫ inſtituto falſò nomen Chriſti profitentes, ſed eundem actionibus negantes: à quorum omnium oppugnationibus, & iniurijs cum ſui colentibus Chriſtus, Deo patre pro ipſo propugnante, tandem liberatur: & oppreſsis, & ad cæcas inferorum tenebras ablegatis aduerſarijs regno, & beatitate nullo malorum incurſu interrumpenda
2. Reg. 22. in omnem æternitatem perfruitur. Extat hic Pſalmus etiam in hiſtoria Dauidis: ex quo apparet paulò ante mortem à Propheta eſſe compoſitum.

I. II.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Propoſitio coagmentatione, συνάψει, verborum, καὶ τῷ ὁρισμῷ κατ᾽ ἔπανοδον dilatata. Ex intimis te animi ſenſibus carum habeo rerum omnium effector, conſeruator & gubernator Deus, meæ vires, mea magna potentia ſolus: qui ad omnes temporum motus, viciſsitudinesq́ꝫ inuicti animi robur mihi ſubminiſtras: qui mihi perfugium in rebus aſperis, & calamitoſis præbes: qui ex omnibus periculorum caſibus ſeruatum vendicas in libertatem : cuius pro ſalute mea propugnationis vnius fide nitor: à quo ereptus ab exitio, & peſte, ſalutem accepi: Prophetæ oratio maximam partem ἐσχηματισμένη eſt, vocibus petræ, firmamenti, ſeu arcis, ſcuti, cornu ſalutis,

&

& præſidij: quibus omnibus defendentis ipſum cum bonitate coniunctam potentam Dei intelligit. Diligam te, Latinis eſt, Amabo te, τὸ ὑποκοριστικόν. Fortitudo, robur eſt ἰσχὺς: firmamentum, στερέωμα, ſeu petra, & rupes: refugium, καταφυγὴ, arx, vallum. Protector, ὑπερασπιστὴς, ſeu ſcutum, & clypeus. Suſceptor, ἀντιλήπτωρ, qui & præſidium, & propugnaculum. Quod ad cornu ſalutis, κέρας σωτηρίας attinet, natura, vt alijs beſtijs alia dedit arma quibus ſe defendant,

ποδωκίην λαγωοῖς,
λέουσι χάσμ᾽ ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτόν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι:

vt eſt apud Anacreontem: ſic tauris, ceruis, arietibus, & eiusdem generis animantibus in leui cornua fronte addidit: quibus cùm ſalutem ſuam tueantur: fit, vt in ſacris literis cornu pro robore ponatur, & defenſione.

III.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Dominum quidem certè laudibus ornatum prece ſupplice cùm imploro, defendor ab hoſtibus meis: & ex omnibus diſcriminibus, & periculis eripior. Omnis qui inuocabit nomen Domini, ſeruabitur, Paulus. Turris firmiſſima nomen Domini, ad ipſam fugit iuſtus, & protegitur. Solomon. Laudans inuoca, ſed Dominum: ſi enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris, Auguſt. de verbis Domini. Serm. 8. Rom. 10. Prou. 18.

IIII. V.

Circumdederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Do-

Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

Narratio, qua exponit maximas, & grauiſsimas, in quas vocatus ſit, ærumnas: quæ propius vt exprimat, formis verborum ea remotis à communi, & vulgari loquendi modo, & ratione illuſtrat: dolores, & anguſtias mortis ὠδῖνες θανάτου, appellans, torrentes, & flumina iniquitatis, χειμάρρους ἀνομίας, quaſi malorum dicas pelagus, dolores ſepulchri, & inferni, ὠδῖνες ᾅδου, lora & laqueos mortis, παγίδες θανάτου, quibus conſtricti ad necem abripiuntur à latrunculatoribus, et carnificibus, homines improbi, & nefarij. Intelligit aũt cùm cruciatus animi quos ſuſtinuit propter vim illatam Betſabæ, proditum hoſtibus, et occiſum Vriam, deſcriptum, & enumeratũ populum: tum corporis, vitæ, & fortunarum omnium pericula: vt in ſaltu Maonio, in rupe Ziphæa, in bello Palæſtino: cùm defeſſus ab ieſbibenoto interfectus penè fuiſſet, niſi Abiſæus illi ſuccurriſſet: deniq; in coniuratione Abſolonica, & tumultuantis populi rebellione. Suis me plagis mors conſtrinxerat, caſsibus circumuoluerat: malorum gurgites me obruerant: præpedierant me laquei mortis: leti vincula me circumplicarant. Torrentes iniquitatis in Hebræo Belialis ſunt impetus. Significat autem Belial ipſum machinatorem malorum omnium Dei, & hominum aduerſarium perpetuum Satanam, quem à calumnijs Græci Diabolum appellant. Circumdederunt me mala,
Pſal. 40. *quorum non eſt numerus, Autor. Circumdederunt me dolores*
116. *mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Idem.*

VI.

In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui

maui:& exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam : & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.

In his meis angoribus inuocaui Dominum : in tantis malis, & calamitatibus ad Dominum vociferatus ſum. Cùm dicit ſeſe in anguſtijs ſuis, cùm, quò ſe verteret, non haberet, Deum precatum eſſe, & petijſſe ab eo auxilium : oſtendit, qua ex ærumnis, & miſerijs euadamus, viam patère nullam, niſi per preces ſupplices, quas, fiducia Filij Dei adhibitas, non poteſt non exaudire Deus: & ſuam opem implorantes liberare: ideo addit : Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Neq; verò me ſpes mea fruſtrata eſt : nam vocem meam de ſuo exaudiuit templo : meæ querimoniæ aures ſuas patefecit. In anguſtia quæſiuerunt te. Eſaias. ἡ ἄνεσις, καὶ ἡ ἀμεριμνία, καὶ ἡ ἀνάπαυσις χαυνοῦσι, καὶ διαχέουσι τὴν ψυχήν: οἱ δὲ πειρασμοὶ συσφίγγουσιν αὐτὴν, καὶ ἑνοῦσι τῷ θεῷ. *Ociosa ceſſatio, ſecuritas, & laborum intermiſsio laxant, & quaſi diffundunt animum : at verò tentationum impreſsiones conſtringunt eum, & cum Deo copulant. Dorotheus. Templi appellatione reſpicit ad propiciatoriū, ad quod adſtrinxerat quaſi ſeſe, & obſecrantium preces ſe exauditurum Deus promiſerat. Noſtrum propiciatorium, extra quem vt reperiatur maieſtas æterna, fieri non poteſt, Chriſtus eſt Dominus noſter : cuius fiducia, quæ petimus, impetramus omnia, iuxta illud. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Eſa. 26.

Ioh. 14.

VII. VIII.

Commota eſt & contremuit terra : & fundamenta montium con-

conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.

Aſcendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

ἐναργείᾳ, & hypotypoſi, ſeu euidentia, ac ſubdelineatione vim iræ Numinis cœleſtis ad auxilium contra hoſtes ferendum Dauidi comparantis ſeſe, inſtruentisq́; exprimit: eamq́; turbulentiſsimæ componit tempeſtati: qualis in eluuione terrarum, Sodomæorum conflagratione, Ægyptiorum clade, legis promulgatione, Amorrhæorum internecione, ſiderum deniq; ex ſuis curriculis cum Siſara dimicatiome, extiterunt. Deus clamore vocantis excepto, nulla mora interpoſita, opem mihi laturus exiliuit: quo facto, commota tellus horribili quaſſatione contremiſcere, & diuulſa cacumina montes cœperunt cohorreſcere:

Ingentem tremuit tellus factura ruinam:
Diſsiluere iugis auulſa immania ſaxa.

Pſal. 50. *Ipſe naribus ingentem fumum caligine cæca euomebat: glomerabat ipſe fumiferam noctem commiſtis igne tenebris: flammam ardentem faucibus eiaculabatur, & carbonibus exardeſcebat. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, in circuitu eius tempeſtas valida Autor. Tribuit Deo habitum humanum κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν. Ira enim incitato inflammantur ſanguis, & ſpiritus, efferatur vultus, & geſtus vniuerſi corporis: totoq́; ardentis ab ore ſcintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis. Si ad tempeſtatem reſpicias, per fumum, καπνὸν, nubes, per ignem, πῦρ, & carbones, ἄνθρακας, intelligas oportet fulmina, & ardores conflictu nubium expreſſos.*

IX

Inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

Cœlo proclinato, depreſſoq́; delabebatur: eiusq́; ſubter pedes caligo tetra, horribilesq́; tenebræ diffundebantur. τὸ θεῖον ἀκίνητον *eſt, vt ait Damaſcenus. Et, Neq; adſcenſum nouimus, inquit Epiſcopus Cyri, naturæ diuinæ, neq; deſcenſum. Neq; enim circumſcriptus eſt vbiq; præſens omnia continens. Verum deſcendere tamen,* καταβαίνειν, *Deus dicitur, cùm improbitate hominum offenſus ad tuendum bonos, & in malos vindicandum aggreditur. Sic in libro Ortus Mundi, cùm ad vrbem, & turrim viſendam, quæ ab hominibus arrogantibus conſtruebatur, deſcendit, eorum ſermonem confudit, vt alij aliorum orationem non intelligant. Pedes Dei ſignificant* τὴν πρὸς ἐπικουρίαν τῶν δεομένων, ἢ ἐχθρῶν ἄμυναν ἢ ἄλλην τινὰ πρᾶξιν ἔλευσίν τε, καὶ παρουσίαν: *Aduentum diuinum, præſentiamq́;, qua aut indigentes ſubleuantur auxilio, aut improbi afficiuntur pœna. Damaſcenus. Vide Apud Auguſtinum librum de eſſentia diuinitatis, quem Eraſmus Hugonis putat eſſe Victorini.*

X.

Et aſcendit ſuper Cherubin & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

Cherubo inuectus aëra immenſum ſecabat, & alis ventorum ferebatur:

aëras equitans nubes, latæq́; ſonoris
Ventorum inuectus pennis cana nubila differebat.

Tribuit ventis pennas, vt alas poeta: madidis Notus euolat alis. Cherubim imagines, & ſimulachra pennigera, dicuntur apud Hebreos: quæ repræſentant corpore puerili, ſucci pleno, &

ſpecie

ſpecie oris florente, quos Græci ἀγγέλους, quòd ſunt mentes
Exod.25. internunciæ, & interpretes Dei, Latini genios ſanctos appellare ſolent: quales erant in ſanctuario, qui expanſis alis propiciatorium inumbrabant, alterius aſpectu in alterum conuerſo. Innuit autem Deum tum ventos, & tempeſtates excitare opera angelorum: tum miniſtris vti eiſdem veluti caterua quadam, & multitudine equitum in defendendis bonis, malis verò puniendis.

XI.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum: in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.

Circumfuderat ſibi tenebras, quaſi latebram, atriſq; aquis, & æthereis nubibus veluti vmbraculo ſe circumſepſerat. Quia inducit Deum propugnaturum pro ſe, & bello in hoſtes inuaſurum: idcirco etiam tabernaculum ei, ſeu prætorium aſſignat, denſiſſimos nimirum imbres, & nimbos nigerrimos. Sed
Exod.19. & Sina mons cooperitur nubibus deſcendente Domino. Neq; enim humani vis ingenij

Ignotum, piceaq; procul caligine ſeptum

Nubibus in medijs acie deprendere numen cœleſte poteſt: ſed vocatur Moſes intra nubem ab ipſo Deo. Quo fides ſignificatur: quæ habitantem Deum tùm in Eccleſiæ medio, tum in cordibus noſtris conſpicit: & cum eo ſermones habet: etiamſi omnia tenebris plena, & denſiſſima circumfuſa caligine videantur.

XII. XIII. XIIII. XV.

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dominus: & altiſsimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſsipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum: ab increpatione tua Domine: ab increpatione ſpiritus iræ tuæ.

Hactenus inſtruxit armis, & in aciem quaſi produxit Deum: nunc præliantem, & manus cum hoſtibus conſerentem deſcribit. Tum nubes ad præſentiæ eius fulgorem diſcuti: obſcuritates nebularum præ fulgore micantium ſulgurum diſſolui grando, & candentes carbones emicare: procellis, fulgoribusq́; omnia miſceri:

Ipſe agit vndantes nimborum in prælia turmas:
Concutitur cœlum tonitru, nubesq́; coactæ
Terribili ſplendore micant: ferit omnia fulgor:
Ignibus inſeritur prægrandi pondere grando. *Ipſe Deus de cœlo intonare, horribiliq́; tumultu increpando hoſtes cum fragore grandinem, & igneos carbones agere: ipſe tela ſua iaculando diſsipare hoſtes: & crebris fulminibus metu conturbatos exanimare: fontibus, & ſtagnis ſiccatis, aperti ſunt alueí fluminum, & fundamenta pateſacta terrarum:*

vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis: ad minas tuas Domine, & ſpirantem ex naribus ignem

M Pontum

Pontum vrit validus feruenti flamine ventus,
Ardet & afflatus percuſſo in gurgite fluctus.

XVI. XVII.

Miſit de ſummo & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortiſsimis: & ab ijs qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

Modus liberationis. Atq; ita demum miſſo auxilio ex altiſsimo ſuo domicilio recepit me: & ex aquis quaſi, ac profundiſsima calamitatum, periculorumq; voragine extractum, ab hoſte immani, & aduerſarijs me potentioribus liberauit. Aquarum, ὑδάτων, *appellatione calamitates, & res aduerſæ ſignificantur: vt. Intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Et verbo Trahendi, vel aſſumendi, ad hiſtoriam Moſis videtur reſpexiſſe. Inimicos ſuos,* τοὺς ἐχθροὺς, *Saulum inteligit, cum ſuis aſſeclis, & ſatellitibus: à quibus in exilium proiectus, & vexatus fuerat crudeliſsimè.*

Pſal. 69.
Exod. 2.

XVIII.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.

Expolitio, ἐξεργασία. *Illi quidem in me perículoſiſsimo meo tempore impetum dederant: non opinantem oppreſſerant rebus aſperrimis adeo: vt ex illorum ferro, & manibus elabendi ne minimam quidem ſpem haberem propoſitam: verùm mihi adminiculatus eſt Dominus: Dominus mihi præſtò fuit: præſidio me ſuo confirmauit Dominus: Dominus propugnauit pro me:*

me: & à vi, impetuq́; aduerſariorum ad caſum dari, & proſterni non eſt paſſus.

XIX.

Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.

εἰκασία, ſumta à re militari. Cùm res, copiæq́; meæ in anguſtum quaſi locum coactæ eſſent: eduxit me in apertum, ſingulari vſus in me fauore, & beneuolentia. Latitudine, πλατυσμῷ, ad naturam læticiæ reſpicit: qui affectus contractum metu, conſtrictumq́; cor diffundit quaſi, & dilatat.

XX.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

προκατάληψις, quæ ἀπολογίαν habet, ſed κεκριμμένην: qua, ſeditioſi crimen, quod intendebatur ipſi à Saulitis, depulſo, quomodo ad regnum peruenerit, exponit. Perſoluit Dominus æquam innocentiæ meæ mercedem: pulcerrima præmia tribuit integritati meæ: digno manuum mearum puritate munere me beauit. Gratia, iuſta eſt retributio, qua bonis ſuis meliora retribuens Deus glorificaturus eſt iuſtos. Fulgentius ad Monimum. Iuſticiam, δικαιοσύνην, & puritatem manuum, καθαριότητα τῶν χειρῶν, vocat integritatem vitæ, & innocentiam, quæ in oculos incurrit hominum, hoc eſt, teſtificationem conſcientiæ, de qua Paulus. Gloriatio noſtra coram Deo hæc eſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ noſtræ. 2. Cor. 1. *Nam coram Deo niſi propter Chriſtum, quem ſolum innocentem, à vicio ſe abſtinentem, diuina præcepta conſeruantem amat Pater, & habet chariſſimum, iuſtificatur nemo.*

perturbatores Eccleſiæ: per rebellem populi multitudinem, communi, vulgariq; inſtituto falſò nomen Chriſti profitentes, ſed eundem actionibus negantes: à quorum omnium oppugnationibus, & iniurijs cum ſui colentibus Chriſtus, Deo patre pro ipſo propugnante, tandem liberatur: & oppreſsis, & ad cæcas inferorum tenebras ablegatis aduerſarijs regno, & beatitate nullo malorum incurſu interrumpenda
2. Reg. 22. in omnem æternitatem perfruitur. Extat hic Pſalmus etiam in hiſtoria Dauidis: ex quo apparet paulò ante mortem à Propheta eſſe compoſitum.

I. II.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Propoſitio coagmentatione, συνάψει, verborum, καὶ τῷ ὁρισμῷ κατ᾽ ἔπαινον dilatata. Ex intimis te animi ſenſibus carum habeo rerum omnium effector, conſeruator & gubernator Deus, meæ vires, mea magna potentia ſolus: qui ad omnes temporum motus, viciſsitudinesq; inuicti animi robur mihi ſubminiſtras: qui mihi perfugium in rebus aſperis, & calamitoſis præbes: qui ex omnibus periculorum caſibus ſeruatum vendicas in libertatem: cuius pro ſalute mea propugnationis vnius fide nitor: à quo ereptus ab exitio, & peſte ſalutem accepi: Prophetæ oratio maximam partem ἐσχηματισμένη eſt, vocibus petræ, firmamenti, ſeu arcis, ſcuti, cornu ſalutis,

& præſidij: quibus omnibus defendentis ipſum cum bonitate coniunctam potentam Dei intelligit. Diligam te, Latinis eſt, Amabo te, τὸ ὑποκοριστικόν. Fortitudo, robur eſt ἰσχὺς: firmamentum, στερέωμα, ſeu petra, & rupes: refugium, καταφυγὴ, arx, vallum. Protector, ὑπερασπιστὴς, ſeu ſcutum, & clypeus. Suſceptor, ἀντιλήπτωρ, qui & præſidium, & propugnaculum. Quod ad cornu ſalutis, κέρας σωτηρίας attinet, natura, vt alijs beſtijs alia dedit arma quibus ſe defendant,

ποδωκίην λαγωοῖς,
λέουσι χάσμ᾽ ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι:

vt eſt apud Anacreontem: ſic tauris, ceruis, arietibus, & eiusdem generis animantibus in leui cornua fronte addidit: quibus cùm ſalutem ſuam tueantur: fit, vt in ſacris literis cornu pro robore ponatur, & defenſione.

III.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Dominum quidem certè laudibus ornatum prece ſupplice cùm imploro, defendor ab hoſtibus meis: & ex omnibus diſcriminibus, & periculis eripior. Omnis qui inuocabit nomen Domini, ſeruabitur, Paulus. Turris firmiſſima nomen Domini, ad ipſam fugit iuſtus, & protegitur. Solomon. Laudans inuoca, ſed Dominum: ſi enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris, Auguſt. de verbis Domini. Serm. 8. Rom.10. Prou.18.

IIII. V.

Circumdederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Do-

perturbatores Eccleſiæ: per rebellem populi multitudinem, communi, vulgariq́ inſtituto falsò nomen Chriſti profitentes, ſed eundem actionibus negantes: à quorum omnium oppugnationibus, & iniurijs cum ſui colentibus Chriſtus, Deo patre pro ipſo propugnante, tandem liberatur: & oppreſsis, & ad cæcas inferorum tenebras ablegatis aduerſarijs regno, & beatitate nullo malorum incurſu interrumpenda
2. Reg. 22. in omnem æternitatem perfruitur. Extat hic Pſalmus etiam in hiſtoria Dauidis: ex quo apparet paulò ante mortem à Propheta eſſe compoſitum.

I. II.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Propoſitio coagmentatione, συνάψει, verborum, καὶ τῷ ὁρισμῷ κατ᾽ ἔπαινον dilatata. Ex intimis te animi ſenſibus carum habeo rerum omnium effector, conſeruator & gubernator Deus, meæ vires, mea magna potentia ſolus: qui ad omnes temporum motus, viciſsitudinesq́; inuicti animi robur mihi ſubminiſtras: qui mihi perfugium in rebus aſperis, & calamitoſis præbes: qui ex omnibus periculorum caſibus ſeruatum vendicas in libertatem: cuius pro ſalute mea propugnationis vnius fide nitor: à quo ereptus ab exitio, & peſte ſalutem accepi: Prophetæ oratio maximam partem ἐσχηματισμένη eſt, vocibus petræ, firmamenti, ſeu arcis, ſcuti, cornu ſalutis,

&

& præſidij : quibus omnibus defendentis ipſum cum bonitate coniunctam potentam Dei intelligit. Diligam te, Latinis eſt, Amabo te, τὸ ὑποκοριστικόν. Fortitudo, robur eſt ἰσχύς : firmamentum, στερέωμα, ſeu petra, & rupes : refugium, καταφυγή, arx, vallum. Protector, ὑπερασπιστής, ſeu ſcutum, & clypeus. Suſceptor, ἀντιλήπτωρ, qui & præſidium, & propugnaculum. Quod ad cornu ſalutis, κέρας σωτηρίας attinet, natura, vt alijs beſtijs alia dedit arma quibus ſe defendant,

> ποδωκίην λαγωοῖς,
> λέουσι χάσμ' ὀδόντων,
> τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτόν,
> τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι:

vt eſt apud Anacreontem : ſic tauris, ceruis, arietibus, & eiusdem generis animantibus in leui cornua fronte addidit : quibus cùm ſalutem ſuam tueantur : fit, vt in ſacris literis cornu pro robore ponatur, & defenſione.

III.

Laudans inuocabo Dominum : & ab inimicis meis ſaluus ero.

Dominum quidem certè laudibus ornatum prece ſupplice cùm imploro, defendor ab hoſtibus meis: & ex omnibus diſcriminibus, & periculis eripior. Omnis qui inuocabit nomen Domini, ſeruabitur, Paulus. Turris firmiſſima nomen Domini, ad ipſam fugit iuſtus, & protegitur. Solomon. Laudans inuoca, ſed Dominum : ſi enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris, Auguſt. de verbis Domini. Serm. 8. Rom. 10. Prou. 18.

IIII. V.

Circumdederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Do-

perturbatores Eccleſiæ: per rebellem populi multitudinem, communi, vulgariq́ue inſtituto falſò nomen Chriſti profitentes, ſed eundem actionibus negantes: à quorum omnium oppugnationibus, & iniurijs cum ſui colentibus Chriſtus, Deo patre pro ipſo propugnante, tandem liberatur: & oppreſsis, & ad cæcas inferorum tenebras ablegatis aduerſarijs regno, & beatitate nullo malorum incurſu interrumpenda
2. Reg. 22. in omnem æternitatem perfruitur. Extat hic Pſalmus etiam in hiſtoria Dauidis: ex quo apparet paulò ante mortem à Propheta eſſe compoſitum.

I. II.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Propoſitio coagmentatione, συνάψει, *verborum,* καὶ τῷ ὁρισμῷ κατ᾽ ἔπαινον *dilatata. Ex intimis te animi ſenſibus carum habeo rerum omnium effector, conſeruator & gubernator Deus, meæ vires, mea magna potentia ſolus: qui ad omnes temporum motus, viciſsitudinesq́; inuicti animi robur mihi ſubminiſtras: qui mihi perfugium in rebus aſperis, & calamitoſis præbes: qui ex omnibus periculorum caſibus ſeruatum vendicas in libertatem: cuius pro ſalute mea propugnationis vnius fide nitor: à quo ereptus ab exitio, & peſte, ſalutem accepi: Prophetæ oratio maximam partem* ἐσχηματισμένη *eſt, vocibus petræ, firmamenti, ſeu arcis, ſcuti, cornu ſalutis,*

&

& præſidij: quibus omnibus defendentis ipſum cum bonitate coniunctam potentam Dei intelligit. Diligam te, Latinis eſt, Amabo te, τὸ ὑποκορισικόν. *Fortitudo, robur eſt* ἰσχὺς: *firmamentum,* στερέωμα, *ſeu petra, & rupes: refugium,* καταφυγὴ, *arx, vallum. Protector,* ὑπερασπιστὴς, *ſeu ſcutum, & clypeus. Suſceptor,* ἀντιλήπτωρ, *qui & præſidium, & propugnaculum. Quod ad cornu ſalutis,* κέρας σωτηρίας *attinet, natura, vt alijs beſtijs alia dedit arma quibus ſe defendant,*

ποδωκίην λαγωοῖς,
λέουσι χάσμ' ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτόν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι:

vt eſt apud Anacreontem: ſic tauris, ceruis, arietibus, & eiuſdem generis animantibus in leui cornua fronte addidit: quibus cùm ſalutem ſuam tueantur: fit, vt in ſacris literis cornu pro robore ponatur, & defenſione.

III.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Dominum quidem certè laudibus ornatum prece ſupplice cùm imploro, defendor ab hoſtibus meis: & ex omnibus diſcriminibus, & periculis eripior. Omnis qui inuocabit nomen Domini, ſeruabitur, Paulus. Rom. 10. *Turris firmiſſima nomen Domini, ad ipſam fugit iuſtus, & protegitur. Solomon.* Prou. 18. *Laudans inuoca, ſed Dominum: ſi enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris, Auguſt. de verbis Domini. Serm. 8.*

IIII. V.

Circumdederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Do-

perturbatores Eccleſiæ: per rebellem populi multitudinem, communi, vulgariq́ꝫ inſtituto falſò nomen Chriſti profitentes, ſed eundem actionibus negantes: à quorum omnium oppugnationibus, & iniurijs cum ſui colentibus Chriſtus, Deo patre pro ipſo propugnante, tandem liberatur: & oppreſsis, & ad cæcas inſerorum tenebras ablegatis aduerſarijs regno, & beatitate nullo malorum incurſu interrumpenda

2. Reg. 22. in omnem æternitatem perfruitur. Extat hic Pſalmus etiam in hiſtoria Dauidis: ex quo apparet paulò ante mortem à Propheta eſſe compoſitum.

I. II.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.

Propoſitio coagmentatione, συνάψει, *verborum,* καὶ τῷ ὁρισμῷ κατ᾽ ἔπαινον *dilatata. Ex intimis te animi ſenſibus carum habeo rerum omnium effector, conſeruator & gubernator Deus, meæ vires, mea magna potentia ſolus: qui ad omnes temporum motus, viciſsitudinesq́; inuicti animi robur mihi ſubminiſtras: qui mihi perfugium in rebus aſperis, & calamitoſis præbes: qui ex omnibus periculorum caſibus ſeruatum vendicas in libertatem: cuius pro ſalute mea propugnationis vnius fide nitor: à quo ereptus ab exitio, & peſte, ſalutem accepi: Prophetæ oratio maximam partem* ἐσχηματισμένη *eſt, vocibus petræ, firmamenti, ſeu arcis, ſcuti, cornu ſalutis,*

&

& præſidij: quibus omnibus deſcendentis ipſum cum bonitate coniunctam potentam Dei intelligit. Diligam te, Latinis eſt, Amabo te, τὸ ὑποκοριστικόν. Fortitudo, robur eſt ἰσχύς: firmamentum, στερέωμα, ſeu petra, & rupes: refugium, καταφυγή, arx, vallum. Protector, ὑπερασπιστής, ſeu ſcutum, & clypeus. Suſceptor, ἀντιλήπτωρ, qui & præſidium, & propugnaculum. Quod ad cornu ſalutis, κέρας σωτηρίας attinet, natura, vt alijs beſtijs alia dedit arma quibus ſe defendant,

πόδωκίην λαγωοῖς,
λέουσι χάσμ' ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι:

vt eſt apud Anacreontem: ſic tauris, ceruis, arietibus, & eiuſdem generis animantibus in leui cornua fronte addidit: quibus cùm ſalutem ſuam tueantur: fit, vt in ſacris literis cornu pro robore ponatur, & defenſione.

III.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Dominum quidem certè laudibus ornatum prece ſupplice cùm imploro, defendor ab hoſtibus meis: & ex omnibus diſcriminibus, & periculis eripior. Omnis qui inuocabit nomen Domini, ſeruabitur, Paulus. Turris firmiſſima nomen Domini, ad ipſam fugit iuſtus, & protegitur. Solomon. Laudans inuoca, ſed Dominum: ſi enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris, Auguſt. de verbis Domini. Serm. 8.

Rom. 10.
Prou. 18.

IIII. V.

Circumdederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Do-

Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

*Narratio, qua exponit maximas, & grauiſſimas, in
quas vocatus ſit, ærumnas: quæ propiùs vt exprimat, formis
verborum ea remotis à communi, & vulgari loquendi modo,
& ratione illuſtrat: dolores, & anguſtias mortis* ὠδῖνες θα-
νάτȣ, *appellans, torrentes, & flumina iniquitatis,* χειμάῤῥȣς
ἀνομίας, *quaſi malorum dicas pelagus, dolores ſepulchri, &
inferni,* ὠδῖνες ᾅδȣ, *lora & laqueos mortis,* παγῖδες θα-
νάτȣ, *quibus conſtricti ad necem abripiuntur à latrunculato-
ribus, et carnificibus, homines improbi, & nefarij. Intelligit aũt
cùm cruciatus animi quos ſuſtinuit propter vim illatam Betſabæ,
proditum hoſtibus, et occiſum Vriam, deſcriptum, & enumeratũ
populum: tum corporis, vitæ, & fortunarum omnium pericula:
vt in ſaltu Maonio, in rupe Ziphæa, in bello Palæſtino: cùm de-
feſſus ab ieſbibenoto interfectus penè fuiſſet, niſi Abiſæus illi
ſuccurriſſet: deniq; in coniuratione Abſolonica, & tumultuan-
tis populi rebellione. Suis me plagis mors conſtrinxerat, caſſi-
bus circumuoluerat: malorum gurgites me obruerant: præpe-
dierant me laquei mortis: leti vincula me circumplicarant.
Torrentes iniquitatis in Hebræo Belialis ſunt impetus. Signi-
ficat autem Belial ipſum machinatorem malorum omnium Dei,
& hominum aduerſarium perpetuum Satanam, quem à calu-
mnijs Græci Diabolum appellant. Circumdederunt me mala,
Pſal. 40. quorum non eſt numerus, Autor. Circumdederunt me dolores
116. mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Idem.*

VI.

In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui

maui:& exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam : & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.

In his meis angoribus inuocaui Dominum : in tantis malis, & calamitatibus ad Dominum vociferatus ſum. Cùm dicit ſeſe in anguſtijs ſuis, cùm, quò ſe verteret, non haberet, Deum precatum eſſe, & petijſſe ab eo auxilium : oſtendit, quæ ex ærumnis, & miſerijs euadamus, viam patêre nullam, niſi per preces ſupplices, quas, fiducia Filij Dei adhibitas, non poteſt non exaudire Deus: & ſuam opem implorantes liberare: ideo addit : Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Neq; verò me ſpes mea fruſtrata eſt : nam vocem meam de ſuo exaudiuit templo : meæ querimoniæ aures ſuas patefecit. In anguſtia quæſiuerunt te. Eſaias. Esa. 25. ἡ ἄνεσις, καὶ ἡ ἀμεριμνία, καὶ ἡ ἀνάπαυσις χαυνοῦσι, καὶ διαχέουσι τὴν ψυχήν: οἱ δὲ πειρασμοὶ συσφίγγουσιν αὐτὴν, καὶ ἑνοῦσι τῷ θεῷ. *Ociosa ceſſatio, ſecuritas, & laborum intermiſsio laxant, & quaſi diffundunt animum: at verò tentationum impreſsiones conſtringunt eum, & cum Deo copulant. Dorotheus. Templi appellatione reſpicit ad propiciatoriũ, ad quod adſtrinxerat quaſi ſeſe, & obſecrantium preces ſe exauditurum Deus promiſerat. Noſtrum propiciatorium, extra quem vt reperiatur maieſtas æterna, fieri non poteſt, Chriſtus eſt Dominus noſter: cuius fiducia, quæ petimus, impetramus omnia, iuxta illud. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioh. 14.

VII. VIII.

Commota eſt & contremuit terra : & fundamenta montium con-

conturbata ſunt & commota ſunt,
quoniam iratus eſt eis.

Aſcendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

ἐναργεία, & hypotypoſi, ſeu euidentia, ac ſubdelineatione vim iræ Numinis cœleſtis ad auxilium contra hoſtes ferendum Dauidi comparantis ſeſe, inſtruentisq́; exprimit: eamq́; turbulentiſſimæ componit tempeſtati: qualis in eluuione terrarum, Sodomæorum conflagratione, Ægyptiorum clade, legis promulgatione, Amorrhæorum internecione, ſiderum deniq; ex ſuis curriculis cum Siſara dimicatiome, extiterunt. Deus clamore vocantis excepto, nulla mora interpoſita, opem mihi laturus exiliuit: quo facto, commota tellus horribili quaſſatione contremiſcere, & diuulſa cacumina montes cœperunt cohorreſcere:

Ingentem tremuit tellus factura ruinam:
Diſſiluere iugis auulſa immania ſaxa.

Ipſe naribus ingentem fumum caligine cæca euomebat: glomerabat ipſe fumiferam noctem commiſtis igne tenebris: flammam ardentem faucibus eiaculabatur, & carbonibus exardeſcebat. Pſal. 50. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, in circuitu eius tempeſtas valida Autor. Tribuit Deo habitum humanum κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Ira enim incitato inflammantur ſanguis, & ſpiritus, efferatur vultus, & geſtus vniuerſi corporis: totoq́; ardentis ab ore ſcintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis. Si ad tempeſtatem reſpicias, per fumum, καπνὸν, nubes, per ignem, πῦρ, & carbones, ἄνθρακας, intelligas oportet fulmina, & ardores conflictu nubium expreſſos.*

IX

Incli-

Inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

Cœlo proclinato, depreſſoq́; delabebatur: eiusq́; ſubter pedes caligo tetra, horribilesq́; tenebræ diffundebantur. τὸ θεῖον ἀκίνητον *eſt, vt ait Damaſcenus. Et, Neq; adſcenſum nouimus, inquit Epiſcopus Cyri, naturæ diuinæ, neq; deſcenſum. Neq; enim circumſcriptus eſt vbiq; præſens omnia continens. Verùm deſcendere tamen,* καταβαίνειν, *Deus dicitur, cùm improbitate hominum offenſus ad tuendum bonos, & in malos vindicandum aggreditur. Sic in libro Ortus Mundi, cùm ad vrbem, & turrim viſendam, quæ ab hominibus arrogantibus conſtruebatur, deſcendit, eorum ſermonem confudit, vt alij aliorum orationem non intelligant. Pedes Dei ſignificant* τὴν πρὸς ἐπικουρίαν τῶν δεομένων, ἢ ἐχθρῶν ἄμυναν ἢ ἄλλην τινὰ πρᾶξιν ἔλευσίν τε, καὶ παρουσίαν: *Aduentum diuinum, præſentiamq́;, qua aut indigentes ſubleuantur auxilio, aut improbi afficiuntur pœna. Damaſcenus. Vide Apud Auguſtinum librum de eſſentia diuinitatis, quem Eraſmus Hugonis putat eſſe Victorini.*

X.

Et aſcendit ſuper Cherubin & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

Cherubo inuectus aëra immenſum ſecabat, & alis ventorum ferebatur:

aëras equitans nubes, latæq́; ſonoris
Ventorum inuectus pennis cana nubila differebat.

Tribuit ventis pennas, vt alas poeta: madidis Notus euolat alis. Cherubim imagines, & ſimulachra pennigera, dicuntur apud Hebræos: quæ repræſentant corpore puerili, ſuccipleno, &

ſpecie

ſpecie oris florente, quos Græci ἀγγέλους, *quòd ſunt mentes*
Exod. 25. *internunciæ, & interpretes Dei, Latini genios ſanctos appellare ſolent: quales erant in ſanctuario, qui expanſis alis propiciatorium inumbrabant, alterius aſpectu in alterum conuerſo. Innuit autem Deum tum ventos, & tempeſtates excitare opera angelorum: tum miniſtris vti eisdem veluti caterua quadam, & multitudine equitum in defendendis bonis, malis verò puniendis.*

XI.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum: in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.

Circumfuderat ſibi tenebras, quaſi latebram, atriſq; aquis, & æthereis nubibus veluti vmbraculo ſe circumſepſerat. Quia inducit Deum propugnaturum pro ſe, & bello in hoſtes inuaſurum: idcirco etiam tabernaculum ei, ſeu prætorium aßignat, denſißimos nimirum imbres, & nimbos nigerrimos. Sed
Exod. 19. *& Sina mons cooperitur nubibus deſcendente Domino. Neq; enim humani vis ingenij*

Ignotum, piceaq; procul caligine ſeptum
Nubibus in medijs acie deprendere numen cœleſte poteſt: ſed vocatur Moſes intra nubem ab ipſo Deo. Quo fides ſignificatur: quæ habitantem Deum tùm in Eccleſiæ medio, tum in cordibus noſtris conſpicit: & cum eo ſermones habet: etiamſi omnia tenebris plena, & denſißima circumfuſa caligine videantur.

XII. XIII. XIIII. XV.

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.

Et

Et intonuit de cœlo Dominus: & altiſsimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſsipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum: ab increpatione tua Domine: ab increpatione ſpiritus iræ tuæ.

Hactenus inſtruxit armis, & in aciem quaſi produxit Deum: nunc prœliantem, & manus cum hoſtibus conſerentem deſcribit. Tum nubes ad præſentiæ eius fulgorem diſcuti: obſcuritates nebularum præ fulgore micantium fulgurum diſſolui grando, & candentes carbones emicare: procellis, fulgoribuſq́; omnia miſceri:

Ipſe agit vndantes nimborum in prælia turmas:
Concutitur cœlum tonitru, nubeſq́; coactæ
Terribili ſplendore micant: ferit omnia fulgor:
Ignibus inſeritur prægrandi pondere grando. *Ipſe Deus de cœlo intonare, horribiliq́; tumultu increpando hoſtes cum fragore grandinem, & igneos carbones agere: ipſe tela ſua iaculando diſsipare hoſtes: & crebris fulminibus metu conturbatos exanimare: fontibus, & ſtagnis ſiccatis, aperti ſunt aluei fluminum, & fundamenta patefacta terrarum:*

vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis: *ad minas tuas Domine, & ſpirantem ex naribus ignem*

Pontum vrit validus feruenti flamine ventus,
Ardet & afflatus percuſſo in gurgite fluctus.

XVI. XVII.

Miſit de ſummo & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortiſsimis: & ab ijs qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

Modus liberationis. Atq; ita demum miſſo auxilio ex altiſsimo ſuo domicilio recepit me: & ex aquis quaſi, ac profundiſsima calamitatum, periculorumq; voragine extractum, ab hoſte immani, & aduerſarijs me potentioribus liberauit. Aquarum, ὑδάτων, appellatione calamitates, & res aduerſæ ſignificantur: vt. Intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Et verbo Trahendi, vel aſſumendi, ad hiſtoriam Moſis videtur reſpexiſſe. Inimicos ſuos, τοὺς ἐχθροὺς, Saulum intelligit, cum ſuis aſſeclis, & ſatellitibus: à quibus in exilium proiectus, & vexatus fuerat crudeliſsimè.

Pſal. 69.
Exod. 2.

XVIII.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.

Expolitio, ἐξεργασία. Illi quidem in me periculoſiſsimo meo tempore impetum dederant: non opinantem oppreſſerant rebus aſperrimis adeo: vt ex illorum ferro, & manibus elabendi ne minimam quidem ſpem haberem propoſitam: verùm mihi adminiculatus eſt Dominus: Dominus mihi præſtò fuit: præſidio me ſuo confirmauit Dominus: Dominus propugnauit pro me:

me: & à vi, impetuq́; aduerſariorum ad caſum dari, & proſterni non eſt paſſus.

XIX.

Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.

εἰκασία, *ſumta à re militari. Cùm res, copiæq́; meæ in anguſtum quaſi locum coactæ eſſent: eduxit me in apertum, ſingulari vſus in me fauore, & beneuolentia. Latitudine,* πλατυσμῷ, *ad naturam læticiæ reſpicit: qui affectus contractum metu, conſtrictumq́; cor diffundit quaſi, & dilatat.*

XX.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

προκατάληψις, *quæ* ἀπολογίαν *habet, ſed* κεκριμμένην: *qua, ſeditioſi crimen, quod intendebatur ipſi à Saulitis, depulſo, quomodo ad regnum peruenerit, exponit. Perſoluit Dominus æquam innocentiæ meæ mercedem: pulcerrima præmia tribuit integritati meæ: digno manuum mearum puritate munere me beauit. Gratia, iuſta eſt retributio, qua bonis ſuis meliora retribuens Deus glorificaturus eſt iuſtos. Fulgentius ad Monimum. Iuſticiam,* δικαιοσύνην, *& puritatem manuum,* καθαριότητα τῶν χειρῶν, *vocat integritatem vitæ, & innocentiam, quæ in oculos incurrit hominum, hoc eſt, teſtificationem conſcientiæ, de qua Paulus. Gloriatio noſtra coram Deo hæc eſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ noſtræ. Nam coram Deo* 2. Cor. 1. *niſi propter Chriſtum, quem ſolum innocentem, à vicio ſe abſtinentem, diuina præcepta conſeruantem amat Pater, & habet chariſſimum, iuſtificatur nemo.*

XXI.

Quia cuſtodiui vias Domini : nec impiè geſsi à Deo meo.

ἐξήγησις. Domini præcepta conſeruaram : vitam de Dei voluntate confirmaueram : mandata Domini ſummo ſtudio, diligentiaq́; obſeruaram : nec deficiendo, trepidanterue à Deo ſugiendo impius erga numen cœleſte ſueram. Quod iuſticiam dixerat, & puritatem manuum, interpretatione nunc cuſtodire vocat vias Domini, φυλάττειν τὰς ὁδοὺς τοῦ κυρίου: hoc eſt, ſtudium ponere in doctrina cœleſti, & diligentem operam dare verbo Dei : non impiè ſeſe gerere, οὐκ ἀσεβεῖν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, quod eſt, non diſcedere à Deo, & mandata illius aſpernari : quod tum ſolet accidere, cùm contra mentis animi ſententiam, quæ eſt conſcientia, aliqua in re delinquitur. Ad Chriſtum Dominum relata hæc, interpretatione opus non habent : neq; enim
Eſa. 51. *ſcelus fecit ille, neq; fraudem habuit in ore.*

XXII. XXIII.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo : & iuſticias eius non repuli à me.

Et ero immaculatus cum eo : & obſeruabo me ab iniquitate mea.

ἐξεργασία, qua expolit verborum idem ſignificantium congerie ſuperiora. Eius omnia mihi edicta ante oculos propoſueram : omnes curas, & cogitationes defixeram in obſeruationem legum diuinarum : adeo inſtituta præceptorum cœleſtium à me non reieceram : vt nihil agerem, nihil loquerer, nihil cum animo deniq; cogitarem : quod ad præſcriptionem legis non dirigerem, diligentiſsimè perpendens momenta officiorum

omnium. Erga Deum ſanctus vicio me abſtinueram: non ſolùm membra corporis, ſed etiam mentem ipſam, agitationemq́; animi caſtam, inuiolatamq́; conſeruans: ab omni, ad quod, propter inſidens malum, prona eſt, & procliuis natura, maleficio ſtudioſiſsimè mihi temperaueram. Iudicia diuina, κρίματα, leges ſunt, & ſanctiones ſempiternæ: ad quarum veritatem vult Deus, vt actiones noſtras dirigamus. Iuſticiæ verò, δικαιώματα, doctrina de reductione peccatoris cum Patre æterno in gratiam propter Filium. Hæc in conſpectu ſunt, & propoſita illis: qui in delicijs habent ea, & amoribus: & nihil nec carius ijs ducunt, nec antiquius.

XXIIII.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſticiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.

Concluſio. Talis ergo cum fuiſſem: ſingulari, eximiaq́; munificentia innocentiam meam proſecutus eſt Dominus: ac dignum mihi notata, perſpectaq́; vitæ, & morum integritate præmium repoſuit.

XXV. XXVI.

Cum ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.

πάροδος ἐκβολικὴ κατ' ἀποστροφήν, qua Dei morem eſſe hunc docet: vt talis ſit aduerſus quenque, qualem quiſq; ſe geſſerit erga illum. Sanctis, & iuſticiam, pietatemq́; colen-

tibus te ſanctum, integris, & innocentibus integrum, & innocentem, puris purum, peruerſis autem aſperum te, & durum præbes. Qui Deo, ſontibus, & impijs ad meliora ſe conuertentibus iuſticiam aßignanti, placabilitatis laudem tribuunt, & clementiæ: ſibi verò dedecus adſcribunt, & infamiam: illi, quale ſibi numen cœleſte, Sancti ſpiritus beneficio, apud animam informant, tale re vera experiuntur: neq; id ſolùm, verùm liberantur etiam ab eo: &, ex calamitatibus erepti, maximis, & immortalibus afficiuntur præmijs. At verò, qui in falſam de cœleſti numine opinionem diſceſſerunt, in illos exiſtit Deus talis, qualem ſibi errore rationis cum confinxerunt. Non autem alium ſibi adumbrare poteſt mens humana: quàm iuſtum, & in ſcelera vindicantem. Eſt igitur in eos talis, hoc eſt, ſæuus, & acerbus: qui, niſi doceri ſeſe cœleſti doctrina aliter patiantur, & errorem pœnitendo corrigentes, ac ſuperioris vitæ errata deteſtantes, ad miſericordiam Dei ſeſe recipiant: omni iudicio veri nudatos, cæcos, & furoribus agitatos in poteſtatem turpißimarum libidinum, & cupiditatum venire, & præcipites tandem in exitium ruere ſempiternum ſinit. Vide Moſen libro, qui inſcribitur Leuit. cap. 26. τὰ ἀνθρωποπάθως λεγόμενα περὶ θεοῦ, ἄνθρωποι ἐργάζονται, τοιοῦτον ἑαυτοῖς ποιοῦντες τὸν θεόν, οἷον αὐτὸς ἑαυτὸν ἕκαστος προευτρεπίζει, *Baſilius. Nihil in Deo quicquam niſi bonum, & æternum eſt: ſed quia ſecundum vniuscuiusq; mores, ac ſtudium vnicuiq; Deus adiacet, idcirco peruerſis auerſus, & ſanctus in ſanctis eſt. Hilarius.*

XXVII.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.

Expolitio, ἐξεργασία. *Inopes, humilesq; tueris & defendis:*

ſendis: ſuperborum verò, & qui contumacia efferuntur, faſtum deijcis. Dauides ſanctus erat, innocens, & purus, hoc eſt, vt hic verſus loquitur, abiectus, afflictus, & qui humiliter de ſe, & demiſſè ſentiret: Saulus verò peruerſus faſtidio, arrogantiaq; non ferenda efferebatur: quare non poterat non excitare illum Deus, & erigere, hunc verò proterere quaſi, & conculcare. Deus ſuperbis aduerſatur, humilibus autem dat gratiam. Iacobus. Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datam humiles non inuenit, ſed dando humiles facit. Fulgentius ad Mon. Iacob. 4.

XXVIII.

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Tu malorum è caligine res meas in lucem vocas: Dominus Deus noſter tenebris meis lumen clariſſimum infert. Explicat, quid ſit, ſe, qui humilis fuerat, depreſſo aduerſario potente, & ſuperbo, ſeruatum à Deo: nimirum cùm ignobilis eſſet, nullo ſplendore vitæ, nulla commendatione fortunæ, ſibi lumen quaſi à cœleſti numine prælatum eſſe: quo è tenebris, & rebus miſeris, & calamitoſis in lucem clariſſimam, & regnum ampliſſimum vocaretur. Lucerna, λύχνορ, promiſſionem ſignificat de ſucceſſione, & poſteritate: quam ſe daturum Dauidi, eiuſq; liberis ſempiternam Deus fuerat pollicitus. Sic enim habet hiſtoria regum. Vt remaneat lucerna Dauidi ſeruo Domini cunctis diebus. 3. Reg. 11. *Et Paralipomenon liber. Quia promiſerat, vt daret ei lucernam, & filijs eius in omni tempore.* 2. Paral. 21. *Et Pſalmus. Paraui, & compoſui lucernam Chriſto meo.* Pſal. 132. *Sicut lucerna corporis oculus, ita lucerna animæ mens eſt: in quam niſi oleum gratiæ ſuæ Chriſtus infuderit, lumen habere non poterit. Arnobius.*

XXIX.

Quoniam in te eripiar à tentatione:& in Deo meo transgrediar murum.

Abſoluta commemoratione exilij ſui, & periculorum, quæ à Saulo ſibi fuerant intentata: ad expoſitionem nunc aggreditur diſcriminum: in quæ venerat, quo tempore vicinis cum populis bellum gerere coactus eſſet: à quibus tamen omnibus diuino beneficio victoriam reportarit. Per te cuneos perrupi hoſtium, eorumq́; copias innumerabiles proſtraui, fudi, deleui: Dei beneficio tranſilij muros, caſtella cepi, oppida, & vrbes munitiſſimas diſturbandi.

XXX.

Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.

προσφώνημα ἐπιμβολικὸν, amplificationis gratia interpoſitum, de Dei, & in promiſſis ſeruandis fide, conſtantiaq́;: &, in propugnando pro ſibi confidentibus, robore, & virtute. Dei via, ratioq́; ſimplex eſt, & aperta: promiſſa diuina proba ſunt: præſtat Dominus quod pollicetur: tanquam ſcuto firmiſſimo protegens, & ab omnibus incommodis, detrimentisq́; ſartos, & tectos conſeruans, qui ſpes vniuerſas in miſericordia illius reponunt. Exornationes ſumptæ ſunt partim à metallis: quæ excoquuntur, & purgantur igne: partim à re militari. Clypeus enim defenſionem notat. Verba Domini ſincera ſunt, & nulla ſimulatione tecta: ſunt à fraude, labe, & omni falſitatis admixtione pura. Deus curam ſuorum ſuſcipit.

ſuſcipit: laborantibus ſuis fert opem Deus, & auxilium, pro ſalute eorum defenſionis ſuæ clypeo obiecto. Omnis Dei ſermo purgatus, & exploratus clypeus eſt eo fretis. Solomon Prou. 30. Protegit illos Deus, qui ſancto ipſum timore timent. Hieronym9.

XXXI.

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Ratio per interrogationem, quò oratio ſit ardentior. τὶς ἡμετέροιο θεοῦ θεὸς ἐκτὸς ἐτύχθη: *quis eſt enim Deus præter Dominum: excepto Deo noſtro quis defenſor, & propugnator inuictus? Deus ſi non vnus eſt, non eſt. Tertullianus.*

XXXII.

Deus qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.

ὑποστροφὴ, *qua redit ad ſuperiora per expolitionem. Deus me viribus auxit, & robore: exercitu firmo defendens Deus, planam mihi viam aperuit: Dominus fortitudine me quaſi baltheo accinxit: vt res difficiles, graues, & laborioſas tolerarem: & ſuſcepta cum aduerſarijs bella, confectis, deletisq; illorum copijs, ſine offenſione ad exitum felicem perducerem.*

XXXIII.

Qui perfecit pedes meos tanq; ceruorum: & ſuper excelſa ſtatuens me.

Imago, qua illuſtrat quod dixerat: Tranſiliui muros.

Deus pedes meos ceruinos reddidit, & in loca edita collocauit:

Montis vt aëri decurrens vertice ceruus,
Tramite decliui ſaltus præteruolat altos:
Iamq́; fugam per plana tenens ingentia campi
Tranſmittit ſpacia, & volucri volat ocyor aura:

non abſimili agilitate, pernicitateq́; auctus à Deo altiſsima, & maximè prærupta loca aſcenſu ſuperaui: ex quibus deturbatis, & deiectis hoſtibus munitiſsima illis caſtella extorſi.

XXXIIII.

Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.

Manus meas ad belli certamen ſic edocuit, ſcientia rei militaris ſic me auxit: vt & baliſtas contendere, & ferreos arcus frangere, ac maximè furentium hoſtium conatus & audaciam poſſem comprimere.

XXXV.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me: & diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.

Scutum defenſionis tuæ, quo propugnare pro pijs, & tegere tui colentes Domine conſueuiſti, ſubminiſtraſti mihi: dextera tua ſuſtentato mihi, confirmatoq́; robur, & vires tribuiſti: quid multis? ope tua ab exitio vindicati ſalus defenſa eſt ſemper & conſeruata. Oſtendit hoc verſu, & præcedentibus

aliquot, quibusnam rebus bonum, & præſtantem imperatorem inſtructum eſſe oporteat: nimirum virtute, robore, ac viribus corporis, ſcientia rei militaris coniuncta cum autoritate, præterea armis, & machinis bellicis: quæ ſibi omnia diuinitus ſuppeditata fuiſſe confirmat: adhæc felicitate, hoc eſt, diuini numinis, auxiliјq; cœleſtis præſentia: ſine qua nec geri, nec optato exitu concludi bella poſſunt.

Et diſciplina) *Hæc de coniuratione Abſolonis intelligenda. Diſciplinam, παιδείαν, vocat κάθαρσιν, hoc eſt malum domeſticum: quod ſe conflaturum ei per Nathanem vatem minatus fuerat Dominus.* 2. Reg. 12. *Cùm in diſcrimen vitæ, & fortunarum vocatus eſſem, cùm exturbatus ex regno in ſordibus iacerem, & luctu: excitaſti me: & non modò ad priſtinam dignitatem reuocaſti, ſed opibus etiam, & gloria, boniſq; amplioribus ornaſti.* βέλτιον νῦν παιδευθῆναι, ἢ τῇ ἐκεῖθεν βασάνῳ παραπεμφθῆναι, ἡνίκα κρίσεως καιρὸς, οὐ καθάρσεως. *Præſtat in hoc ſeculo caſtigari purgariq;, quàm illic ad tormenta amandari: tum enim iudicij tempus, non purgationis. Theologus.*

XXXVI.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea.

Expolitio, ἐξεργασία, Equidem, deficiente à me non plebe ſolùm, ſed & optimatibus, in eas anguſtias, rerumq; aſperitates adductus eram: vt, quo in loco veſtigium imprimerem, non haberem: verùm tu laboranti ſuccurrens Domine, greſſus meos ſub me explicaſti: &, in tuto, ac tranquillo collocatum, tanto robore animi, tanta neruorum firmitate auxiſti: vt conſiſtentem non modò nulla vis aduerſariorum euertere, ſed ne veſtigio quidem poſſet educere.

Per-

XXXVII. XXXVIII.

Perſequar inimicos meos & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.

ὑποτύπωσις, quæ intuendam quaſi ante oculos proponit victoriam de coniuratis. Ergo meos perſequens hoſtes aſſecutus ſum: ope Dei nixus in fugam dedi præcipites aduerſarios: nec niſi ſubmotis, diſsipatis, conciſis, & deletis illis funditus, ſum reuerſus: abiecti, proſtrati, fractiq; iacuerunt, quicunq; neſariam coniurationem inire, & bello ſcelerato vita, & fortunis me ſuſtinuerunt oppugnare.

XXXIX. XL.

Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes me: ſubtus me.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.

Ἀποστροφὴ, auerſio, qua victoriam ſuam de coniuratis bonitati, & clementiæ diuinæ adſcribit. Tu me Domine virtute ad bellum accinxiſti: tu ſub imperium meum aduerſarios meos ſubiunxiſti: per te factum eſt, vt in fugam conijcerentur hoſtes: tuo beneficio infeſtos mihi deleui. Fugientium proprium eſt dare terga: quare inimicos meos dediſti dorſum, τοὺς

ἐχθροὺς

ἐχθροὺς μοῦ ἔδωκάς μοι νῶτον, idem eſt, ac ſi dixiſſet: per te factum eſt, vt hoſtes facerent fugam.

XLI.

Clamauerunt nec erat qui ſaluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Illi quidem clamabant, ac vociferabantur: ſed qui opem auxiliumq; ferret nullus erat: voce miſerabili obteſtabantur Dominum, ſed non exaudiebat eos, ſed oculos, & aures auerſas habebat. Oſtendit hoſtes ſuos religione falſa, & impia imbutos fuiſſe: & opinionis errore votis, precibusq; plurimis ſuperos ſollicitaſſe: verùm nihil quicquam profeciſſe. Repudiat enim preces impiorum Deus. ἴδμεν ὅτι ξύμπαντα πατὴρ θεὸς ἡνιοχεύων.

ἀνδρὸς ἀλιτρονέοιο βοὴν οὐκ οἶδεν ἀκούειν.

Scimus, quòd rerum genitor, qui cuncta gubernat,
Nequaquam, fundit quæ verba vir impius, audit.
Nonnus ex Euangeliſta.

XLII.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

εἰκών. *Quid multis? vt puluerem diſijcit ventus, vt cœnum in plateis conterit populus: ſic ipſe hoſtes arrogantes, & ſuperbos, eorumq; copias fregi, abieci, profligaui;: ſic ad vnum omnes aduerſarios contudi, comminui, conculcaui. Vt aduerſarij Dauidis, ſic vniuerſi hoſtes Chriſti, vt lutum vicorum, contundentur. Quare vt Iudæi nunc lutum, qui bellum ſuſceperunt cum Eccleſia, Philoſophi lutum, impium ſodalitium*

um Arrij, Manis, Pelagij lutum: ſic etiam Exleges, Retinctores, Dipnoſophiſtæ, ſic Labanidæ, adeoq; Locuſtarum rex ipſe ad extremum calcabitur, ceu cœnum deforme lutoſis conteritur pedibus.

XLIII.

Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium.

2. Reg. 20. *Loquitur de Siba Bochris filio Ieminienſi, ad quem Iſraëlitæ à Dauide defecerant. Tu, cùm ſeditione facta, arma ſumpſiſſent contra regem homines improbi, me vindicas: & concitatione plebis ſedata in regnum reponis, iuſticiaq; facis populos frenare ſuperbos. Gentes vocat, Palæſtinos, Moabitas, & alias finitimas nationes: quas deuictas Dei fauore ſub imperium, & ditionem ſuam ſubiunxit. Poſſunt autem, vt ſuprà dictum eſt, hæc ad Chriſtum transferri: qui ab iniurijs, & oppugnationibus contumacium, rebellium, & Deo contrauenientium Iudæorum liberatus eſt: cùm reuocato in vitam Pater omnipotens nato immortalia membra*

Illuſtrans, penitus diuinum afflauit honorem: Et, conſtituto gentium regi imperium dedit rerum omnium.

XLIIII.

Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi: In auditu oris obediuit mihi: Filij alieni mentiti ſunt mihi.

Ignoti mihi homines deditione facta ſeruiunt: & ad nutum ſeſe meum, arbitriumq; accommodant. Ad Chriſtum traductus hic verſus congruit cũ illa vaticinatione Eſaiæ de vocatu

gentia

gentium, Ecce gentem ignotam tibi vocabis, & gentes ignaræ Eſa. 55.
tui ad te current. Dicam non populo meo, populus meus es tu: &
erit in loco, vbi dictum eſt eis: non populus meus: dicentur filij Oſe. 2.
Dei viuentis, Oſeas. Paulus. Ad ſuos veniens, ab eis occiſus eſt Rom. 9.
Chriſtus: quare aliorum factus eſt: quos non vidit in carne. Ii autem ſunt populus gentium: quem non cognouit præſentia corporali. Auguſt. de ciuitate Dei cap. 16. lib. 17.

XLV.

Filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Qui alienos à me habebant animos voti ſui compotes facti non ſunt: nec ad eum finem, quem ſibi propoſuerant, deducere rem potuerunt: ſed à me debilitati, fracti & domiti ſunt: nimirum quibus adeò ſit animus ſine animo: vt clauſtris etiam, & munitionibus ſepti, & circumdati, opum, & potentiæ meæ vim cogantur formidare. Filios alienos, ἀλλοτρίους υἱοὺς vocat Iudæos, quaſi extraneos, & alienigenas, iuxta illud: Filios enutriui, & exaltaui, & ipſi ſpreue- Eſa. 1.
runt me. Hos mentitos dicit ea forma, qua alibi autor inquit. Pſal. 16.
In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui: id eſt, fruſtratur ſpe ſua hoſtes; qui propter magnitudinem potentiæ tuæ tibi ſubijciuntur.

XLVI.

Viuit Dominus & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Epilogus, qua, toto quæ carmine fuſius expoſuit ἀνακεφαλαιώσει colligit Propheta: & cum gratiarum actione concludit. Grates omnium rerum moderatori Domino, autori, & conſeruatori ſalutis meæ: cui ab omnibus gentibus

Immen-

Immenſum Pelagus totum qua circuit orbem,
Auguſtè ſanctoq; culto debitus honos deferatur.

XLVII. XLVIII.

Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me.

Liberator meus de inimicis meis iracundis: & ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

Qui mihi das ſumere ſupplicia de inimicis meis: qui vlciſcendi me facultatem mihi largiris: qui populis domitis imperium meum multarum regionum, quæ in ditionem meam venerunt, acceßione auges: qui me, vitamq; meam ex hoſtibus, & immanium barbarorum crudelitate liberas.

IXL. L.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.

Magnificans ſalutes regis eius: & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.

Promißio grati, & memoris animi, & voluntatis. Ornabo te laudibus Domine apud gentes exteras: nomen tuum, cuius beneficio tantas ab hoſtibus reportaui victorias, prædicatione extollam: te qui vnctum tuum, eiusq; ſtirpem muneribus afficis immortalibus, hymnis & carminibus in omnem ſeculorum perennitatem celebrabo. Hunc verſum Apoſtolus ad

Rom.

ad Romanos ad vocatum gentium accommodat: ex quo conſequitur canticum hoc maximam partem de Chriſto Domino intelligendum. Rom.15.

PSALMVS XIX.

EVANGELIVM.

VAticinatur Propheta de Euangelio, qui eſt ſermo reconciliationis, tam latè diuulgando, quàm terras complexu ſuo cœlum continet: & tam diu celebrando, quàm dierum, & noctium viciſsitudines non intermittentur: idq; non ſolùm Hebrææ gentis: ſed omnium populorum ſermonibus, atq; linguis. Exornat verò hanc vaticinationem ſimilitudine pulcherrima, aptiſsimaq; à ſole ſumta. Vt enim fons lucis ſol auricomus, ſol igneus ambit cœlum, & terrarum flammis opera omnia luſtrat, vt qui viuificam vim, caloremq; vitalem cunctas naturas augentem, nutricantemq; rebus largitur: ad eundem modum Chriſtus Dominus doctrina Euangelij illuſtrat mentes fidem ſibi, & Deo adhibentium: atq; exhilaratis, recreatiſq; vitam impendit, & indit: ac ſeculorum ætatibus infinitis fouet, & conſeruat. Atq; hæc quidem ſingula dum explicat, & exponit: innuit ſimul doctrinam legis abolitum iri: vt quæ puritate, ſplendore, ſuauitate, perpetuitate cum Euangelio ne minima quidem ex parte ſit conferenda.

I.

Cœli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Narratio προῤῥητικὴ, cuius propoſitio hæc eſt. Euangelij doctrina omnibus terrarum finibus longè, lateq́; propagabitur. Laudes Dei prædicant cœli. cœli gloriam Dei commemorant: & opus manuum eius oſtendit æther, & mundi pars ſuperior. Ad Dei cognitionem nos inſtruunt aſtra, & ſiderum admirabilis in varia, & multiplici conuerſione, conſtantia. Sunt multi, vt etiam Theodoretus oratione de prouidentia quarta, in ea ſententia: vt cœlos, οὐρανοὺς, hoc loco orbes æthereos diſtinctos aſtris, tum infixis locis certis, tum errantibus intelligant: & de naturæ ſenſu loqui Prophetam exiſtiment: quo ſenſu ad ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis diuinæ noticiam ex opificio mundi, & cœli contemplatione peruenitur: Vnde & Cicero, Deum, inquit, non vides: tamen vt Deum agnoſcis ex operibus
Hiob. 12. eius: Et Hiobus interrogare nos belluas iubet, & volucres, quæ nos erudiant: iubet colloqui cum terra, quæ nos auctura ſit ſcientia: iubet piſces interrogare, qui rem enarraturi ſint, & iſta omnia Dei manu facta eſſe confirmaturi. Et Paulus ad Roma-
Rom. 1. nos: Quod de Deo, inquit, cognoſci poteſt, id apud eos manifeſtum eſt. Deus enim illis patefecit: etenim quæ ſunt inuiſibilia eius, nempe ſapientia, potentia, atq; diuinitas, ea ex mundi creatione, dum conſiderantur, per opera perſpiciuntur. Intelligentur igitur de illorum interpretatione cœlorum appellatione admirabiles aſtrorum ordines, ipſorumq́; diſpares conuerſiones, & multiplices curſus: qui cogunt nos confiteri, eſſe præſtantem aliquam, æternamq́; naturam, & eam ſuſpiciendam hominum generi. Atq; huc etiam, vt eſt apud Caßiodorum, quæ apparuit Magis, ſtella, referri poteſt: & Damaſcenus inquit: οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ, οὐ φωνὴν ὠσὶν αἰσθητοῖς ἀκουομένην ἀφιέντες: ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ οἰκείου μεγέθους τὴν τοῦ δημιουργοῦ δύναμιν ἡμῖν παριστάνοντες: ὧν τὸ κάλλος κατανοοῦντες, τὸν ποιητὴν ὡς ἀριστοτέχνην δοξάσομεν. Cœli enarrant gloriam Dei, non vocem, quæ ſenſilibus auribus hauriatur, emittentes: ſed ex propria magnitudine opi-

ficis

ficis virtutem nobis inſinuantes: quorum pulchritudinem concipientes factorem, vt optimum artificem, admiramur, glorificamusq;. Stapulenſis. Verùm enimuero quia perfectam, & numeris abſolutam omnibus tam naturæ, quàm voluntatis Dei noticiam, per quam ſolam ſalus datur credentibus, humana ratio non aſſequitur: Et Paulus quartum huius Pſalmi verſum de Apoſtolis interpretatur: quorum voce in omnes gentes ſpargendum ſit Euangelium: ſequitur de excellentiori re, ac diuiniore, quàm mundi tantùm conſtitutione, & naturæ lege Dauidem loqui: & orationem eſſe modificatam, & figuratam: ac cœlos, & firmamentum, ſeu æthera accipienda pro cœlitibus ipſis, hoc eſt Eccleſia, quæ & in cœlo eſt, & in terra: vt alibi etiam Autor. Annunciant cœli iuſticiam eius: & vident omnes nationes gloriam eius. Sic nato Chriſto angelus enarrat gloriam Dei, cùm ad paſtores inquit: En ego vobis læticiam nuncio ingentem. Natus enim eſt vobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus Dominus: & reliqua copiarum cœleſtium multitudo canit: Gloria in excelſis Deo. Sic Chriſtus ad Apoſtolos: Vos eſtis lux mundi: Et Paulus ad Philippenſes: ſitis quaſi micantia luminaria in mundo, vitalem doctrinam ſuſtinentes: Sed & Daniel de doctoribus hanc partem intelligit: opera manuum eius annunciat firmamentum: cùm ait: ſulgebunt iuſti, vt ſplendor firmamenti, & doctores erunt ſtellarum ſimiles in omnem æternitatem. Vide Auguſtinum de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 30. Gloria, δόξα, ſignificat, tum exiſtimationem, admirationemq; hominum, tribuentium Deo laudem ſapientiæ, potentiæ, & iuſticiæ, eumq; colentium, & cum fiducia implorantium: tum vel maximè approbationem, teſtificationemq; Dei de gloria noſtra: quæ in condonatione ſita eſt, & remiſſione peccatorum: & ſola coram Deo locum habet, iuxta illud: Omnes egent gloria Dei: iuſtificantur autem gratis per fidem in Chriſtum. Opera manuum Dei ſunt, ποίησις χειρῶν τοῦ θεοῦ, quos diuus Paulus nouas appellat naturas.

Margin: Rom. 10. — Pſal. 97. — Lucæ 2. — Matth. 5. — Phil. 2. — Dan. 12. — Rom. 3. — Gal. 6.

καινὴν κτίσιν, hoc eſt, denuò quaſi conditos, & non rationis ipſorum vi aliqua & facultate ſingulari, ſed voluntate Dei genitos verbo veritatis: vt ſint primitiæ quædam ipſius operum, ἀπαρχὴν τινα τῶν αὐτῶν κτισμάτων, vt inquit Iacobus. Iacob. 1.

II.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Dierum, noctiumq; viciſſitudines, & temporum aptæ ad moderandam vitam varietates, quaſi orationem fundentes cognitionem diuinæ naturæ dant mortalibus. Apoſtoli, vt homines pij omnes, Deo lux ſunt: vos enim eſtis lux mundi, inquit Chriſtus: ſibi verò, & mundo tenebræ: nam & in ignoratione ſibi interdum rerum diuinarum omnium, & caligine mortis, & inferni videntur iacere: & quòd aliàs obſcuri ſunt, & nullo loco, deſpectui ab omnibus ducuntur. At impij & ſibi, & alijs dies, Deo verò nox ſunt: quamuis cum ipſi præ ſuæ claritatis fulgore alios nullos putent: tum in multorum ſapientium, magnorumq; virorum ſint oculis. Dies igitur diem de doctrina ſalutis, & nox noctem de cognitione Dei docet, & inſtruit: hoc eſt, Apoſtoli, qui vtrumq; ſunt, & dies, & nox, ſed reſpectu diuerſo, homines, qui, cum nox ſint, dies tamen ſibi videntur, ſcientia rerum æternarum augent: eosq; ad vitam erudiunt beatam, & immortalem. Matth. 5.

Eructare, ἐρεύγεσθαι, quaſi ebullire eſt, & effundere, translatione à prorumpentibus aquis ſontium.

III.

Non ſunt loquelæ neq; ſermones: quorum non audiantur voces eorum.

Ampli-

Amplificatio. Nullus ſermo, nulla loquela eſt, quo non peruenerit vox eorum: audiuit Apoſtolorum, Prophetarumq; voces, quæ eſt doctrina ſalutis,

Et ſi quem tellus extrema refuſo
Submouet Oceano, & ſi quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui.

Loquelas, λαλιὰς, *ſermones*, λόγους, *figuratè intelligit gentes ipſas, & omnes omnium terrarum, nationumq; populos: quorum nulli tam barbari fuerant, & ab omni humano cultu remoti: qui non aliquid de ſalutari doctrina Euangelij aut acceperint auditione, aut adhuc ſint accepturi. Atq; huc pertinet illud in geſtis Apoſtolicis: repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & diuerſis linguis loqui cœperunt: &. Nos ſua quisq; lingua, in qua nati ſumus, audiuimus.* Act. 2.

IIII.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: in Sole poſuit tabernaculum ſuum.

ἐξεργασία. *Ad omnes terras regula eorum pertingit: verba eorum ad vltimum orbem penetrant. Terra* μετωνυμικῶς, *continentis vſurpatione, pro contento, ponitur pro populis, & gentibus vniuerſis. Aug. An. in Hiobum. Quod Græci interpretes, quos ſequitur D. Paulus,* φθόγγον, *ſonum tranſtulerunt, Hebræis regula eſt, ſeu amuſsis: quæ voces pro toto aliquo ædificio ſolent accipi: Et quia ædificare ſacris in literis docere ſignificat: regula pro ædificio, & ſtructura ad regulam facta, & ad lineam reſpondente, hoc eſt, doctrina, & inſtitutione ſumenda eſt. Omnes gentes, & populos docuerunt Apoſtoli: Apoſtolorum doctrina vniuerſam terram eſt peruagata: vſq; ad extremos orbis fines peruenit. Eritis mihi teſtes,*

inquit Chriſtus emigraturus in cœlum, & Hieroſolymæ, &
Act. 1. in tota Iudæa, ac Samaria, deniq; ad terras vltimas. Quod affirmat exiſſe Euangelij doctrinam in omnes terras: ſimul innuit, eam ad cunctas orbis partes nondum perueniſſe. Neq; enim Apoſtoli peregrinando omnes mundi angulos perluſtrauerunt, & hoc quoq; ſeculo repertæ ſunt ignotæ veteribus inſulæ, in quas portenta quidem religionis inuadunt, ſed doctrina, & diſciplina Chriſti nondum immigrauit.

In ſole poſuit) Soli in illis ſedem conſtituit: collocauit in illis Soli tabernaculum: tentorium in illis poſuit Soli. Solem, τὸν ἥλιον, vocat ipſum Dominum, Deumq; noſtrum Ieſum Chriſtum: cui dicit patrem cœleſtem poſuiſſe habitaculum in cœlis, hoc eſt, Apoſtolis, & credentibus. Loquitur autem de coniugio Chriſti, & Eccleſiæ: & reſpicit appellatione tabernaculi ad morem, conſuetudinemq; Hebræam: quæ ſub vmbraculo, ſeu tentorio ſponſa in manum ſponſo conueniebat.
Ioha. 1. Pertinent huc illa. Habitauit in nobis, Et: Habitat Chriſtus
Ephe. 3. per fidem in veſtris animis. Et: Ecce tabernaculum Dei cum
Apoc. 21. hominibus: & ipſe habitabit cum eis. Vt autem Sol Princeps, & gubernator ſiderum

Dum radios ſpargit, dum magnum luſtrat Olympum,
Et terras ſimul, & magnas liquidi ætheris oras
Exhilarat,

& candore ſuo ſplendidiſſimo tenebras diſpellit, fugatq;, & vim viuificam,

calidumq; affert rebus vitale creatis:

Mala. 4. Sic verbo ſuo Sol iuſticiæ, vt loquitur, Malachias, Chriſtus animos credentium colluſtrat, reficit, iucundat, & incredibili leticia voluptateq; perfuſos complet. Tabernaculum interpretatur Caſsiodorus, inhabitaculum, hoc enim vtitur verbo, corporis. Ex quo colligerent fortaſſe, qui vaſtitatem inferunt myſterijs ſacris, Verbum, quæ eſt perſona numinis diuini ſecunda, depoſuiſſe corpus ſuum in ſole, ideoq; in cœna ſacro-

ſancta præſens non eſſe. Verum ille hoc non dicit: ſed intelligit ſplendorem potiùs, in quem lippientes errore oculi intueri non poſſunt. Auguſtinus, qui & ipſe tabernaculum tum carnem Chriſti, tum Eccleſiam intelligit, Solem pro manifeſtatione, hoc eſt, monſtratione explicat, quòd carnem ſuam in manifeſtatione huius lucis, & in die non in nocte, Chriſtus oſtenderit. Exp. in Epiſt. Ioh. Tract. 1. & 2. de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 20.

V.

Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt Gigas ad currendam viam.

ἐκπορευόμενος, quaſi ſponſus emicat è thalamo geniali: exultat, vt Gigas, ad decurrendum præceptorum cœleſtium curriculum. CHRISTVM *cum verbo ſuo ſponſo, νυμφίῳ, comparat, propter ornatum, qui eſt veritatis, & miſericordiæ, & amorem erga Eccleſiam: quo motus, ſua bona cum illa vniuerſa communicauit: propter vim, & impetum verò, quibus contra Satanam, peccata, & mortem vſus eſt, athletæ,* Matth. 9. *ſeu giganti. Similitudinem ſponſi* CHRISTVS *ipſe agno-* Mar. 2. *ſcit, cum inquit: nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quàm* Lucæ 5. *diu cum illis eſt ſponſus? Et in Canticis ſponſa eſt Eccleſia: quin etiam D. Paulus ſcribit ſeſe Corinthios deſpondiſſe virginem caſtam, tradendam Chriſto. Et in libro arcano Angelus Io-* 2. Cor. 11. *hanni ſponſam monſtrat, quam Agni vxorem eſſe dicit. Tha-* Apoc. 21. *lamus, παςὸς, cum vterus eſt ſanctiſſimus virginis matris: ex quo naturam noſtram poſtquam ſibi, vt ſponſus ſponſam, coniunxiſſet, non humano, ſed diuino ſatu prodijt Eccleſiæ ſponſus* CHRISTVS: *tum cor vniuſcuiuſque: ex quo, ſolo Spiritus ſancti beneficio, fides, modo, qui nec ſenſu, nec cogitatione vlla comprehendi poteſt, ad Deum ſeſe conferens,*

emicat. Curſus, perfectorum eſt. Vnde etiam Apoſtolus ad Ga-
Gala. 5. *latas: Currebatis bene.*

VI.

A ſummo cœlo egreſsio eius: & occurſus eius vſq; ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Ab vltimis cœli cardinibus, flammis terrarum opera omnia luſtrans, ad extremum pergit occidentem: nec eſt locus vllus, quo calor eius non penetret. Ad hunc locum exactius intelligendum facit illud Euangeliſtæ, vbi Zacharias Chriſtum
Luc. 1. *lucem, & Solem ex alto orientem appellat: qui apparuerit ijs,*
Joha. 3. *qui in tenebris, & atra morte degebant. Et Iohannis: Nemo*
Ephe. 3. *adſcendit in cœlum, niſi, qui deſcendit de cœlo. Et Pauli: Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit, ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. Huc alludit Ambroſius Mediolanenſis, cum canit.*

Egreſſus eius à Deo,
Regreſſus eius ad Deum,
Excurſus vſq; ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.

Occurſus, κατάντημα, ſecundum hominem dicitur, inquit Caßiodorus, quia poſt aſſumtionem carnis in vtraq; natura Chriſtus ad ſedem maieſtatis paternæ occurrit. Cum venit à ſummo, in nullo minor fuit: cum redijt ad ſummum, Deus homo æqualis Patri in Deitatis ſubſtantia, ſicut venerat, perſeuerat: cui nihil humana detraxit humilitas. Calor, θέρμη, CHRISTI eſt, cum Spiritus ipſe, coniun-
Iohan. 16. *ctus cum cœleſti ſermone, Sanctus, quo arguit mundum, & con-*

& conuincit de peccato: tum os, ſapientiaq́; Apoſtolorum :Luc. 21.
cui contradicere, & reſiſtere nequeunt omnes aduerſarij. Au- Act. 6.
guſtinum vide contra literas Petiliani lib. 2. cap. 32.

VII.

Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Domini Lex maculæ omnis expers, integra, & incontaminata, animos reficit, & recreat: teſtimonium Domini verum, conſtans, ſolidum, purum ex infantibus ſapientes facit. Quod figuratè vſq; huc dixit Propheta: nunc proprijs verbis explicat, & exponit: Eſtq́; tota hæc narratio verbi diuini continuum Encomium, vim, efficacitatemq́; doctrinæ cœleſtis illuſtrans. Huc illud: declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis. Pſal. 119. *Legem, νόμον, vocat doctrinam traditam diuinitus, tum per Moſen, quæ oſtendit, quales nos eſſe, & quæ facere, quæq; vitare conueniat: tum per Chriſtum, quæ viam munit, qua ad beatam, & immortalem vitam perueniamus: quæ ideo lex Spiritus vitæ à Paulo, & Lex perfectæ libertatis à Iacobo, & à Chryſoſtomo τῆς χάριτος appellatur.* Rom. 8. Iac. 1. *Hanc integram appellat, ἄμωμον, & carentem labe: quòd illa quidem requirit integram naturam, & perfectam, & numeris omnibus abſolutam obædientiam: quam ſanè, niſi propter corpus ægra eſſet, & infirma, etiam procuraret: hæc verò præſtat quoq;, non opus habens inſtitutis priſcis, & traditis ab hominibus conſuetudinibus, præeunte Spiritu ſancto ad omnem veritatem. Deinde ait eandem conuertere animos, ἐπιστρέφειν τὰς ψυχάς, quod eſt, hominibus palantibus, & erroribus irretitis, implicatisq; turbulentis, vt animo promto ad re-*

ſtum vitæ contendant curſum, viam veritatis monſtrare: nec id ſolùm, ſed gratia quoq; diuina, & fauore eos confirmare, dando legem ipſam in corda credentium, & imprimendo, inſcribendoq; animis Spiritu ſancto: qui ſolus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum, membra deniq; ad parendum legi ſuppeditat. Teſtimonium, μαρτύριον, intelligit promißionem de Filio Dei: cuius ergò, metu iudicij diuini perculſos, & in miſericordia cœleſti ſpem ſalutis collocantes recipit in gratiam pater æternus vniuerſos. Atq; hæc quidem fidelis, πίςη, eſt, & certa: quòd hæſitationem, dubitationemq; de voluntate in nos Dei omnem tollit & ſapientiam præſtat paruulis, σοφίζεται τὰ νήπια, quod conuenit cum il-

Mat. 11. Lucæ 10. lo Chriſti: Ago tibi gratias Pater cœli, terræq; Domine: qui hæc ſapientes, peritosq; celaueris, & infantibus patefececeris. Infantes autem, ſeu pauuli ſunt, propter agnitionem, & ſenſum acrem peccati humiles, fracti, & afflicti quidem: ſed fide tamen erecti, qui, vt liberi parenti Deo credunt, & in miſericordiam illius interminatam ſeſe tota mente, & omnibus animi viribus reijciunt: qui vere ſapientes ſunt cenſendi.

VIII.

Iuſticiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Iuſticiæ Domini rectæ animos lęticia perfundunt: diſciplina Domini pura, & luce fulgens æterna colluſtrat oculos: & menti lumen clarißimum præferens, à profundæ caliginis teterrimis tenebris prohibet. Iuſticiæ, τὰ δικαιώματα, ſunt non conſilia Euangelica, communem iuſticiam excedentia, vt Lyra interpretatur: ſed ipſæ promißiones de Filio: quæ ſunt rectæ, quod eſt, rectos nos & iuſtos faciunt, & exhilarant, lętificantq; corda. Iuſtificati enim pacem habemus cum Deo, inquit

quit Apoſtolus. Praecepta, ἐντολαὶ, ſunt lucida, & aciem mentis colluſtrant: & offuſas animis caligines, tenebraſq; ignorantiae diſpellunt. Euangelium enim explicat, & explanat legem, & detegit vultum Moſis velatum: vt ſplendorem Domini ſpeculantes, in eandem transformemur imaginem. Hic reſutandi erant veſpertiliones: qui, niſi in caligine traditionum humanarum, non vident: & verbum diuinum obſcurum eſſe calumniantur: verùm non ſunt digni, quibus cum verba veritatis amantes mortales commutent. Rom. 5. 2. Cor. 3.

IX.

Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi: iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa.

Metus Domini purus, caſtus, & integer eſt, permanens in ſeculorum aetates infinitas: decreta Domini vera ſunt, & iuſticiae, aequitatiſq; plena. Timorem, ſeu metum, φόβον, vocat, quam legem dixerat antea: effectus vocabuli pro cauſae vſurpatione. Facit enim lex, vt, viam deuiam ſecuti, diuini numinis metu territi, corrigamus errores poenitendo: & animos ad rectius viuendum confirmemus: quo compotes tandem reddamur eorum bonorum: quae manent perpetuò, & quorum vmbram tantum habuit lex, non ipſam rerum repraeſentationem. Iudicia verò, τὰ κρίματα, teſtimonium appellat: hoc eſt, oracula, & decreta, ſeu promiſſiones de Domino noſtro Ieſu Chriſto: quae veritatis, & iuſticiae numeris omnibus perfecta appellat, propter certitudinem, vt ita loquamur, & conſtantiam. Certus enim eſt ſermo, & omni approbatione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venerit in hunc mundum, ſeruatum peccatores. Paulus. Heb. 10. 1. Timo. 1.

X.

Deſi-

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum:& dulciora ſuper mel & fauum.

Παράθεσις, à Spiritu diuino in cordibus credentium excitati, amoris diuini, auri, quo nihil carius habent huius ſeculi homines, & mellis, quo nihil magis guſtatum commouet, comparatione. Neq; verò vllæ ſunt opes, & copiæ, vllæ voluptates, iucunditatesq;, quæ cum diuinis oraculis conferri, & componi poßint: auro quidem certè, obryzoq; multò iucundius eſt verbum Dei, & fauorum nectare ſuauius. Huc illa: Antiquior mihi lex oris tui, quàm millia auri, & argenti.
Pſal. 119. *Et: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.*
Matth. 13. *Et: Simile eſt homini quærenti bonas Margaritas. Melior eſt ſapientia gemmis: cum hac, quæcunq; expetuntur, non*
Prouer. 8. *ſunt conferenda, Solomon. Aurum obryzum, quaſi Ophyriſum: quod ex inſula Ophyre primæ notæ afferebatur Solomoni, purum, putumq; eſt aurum, χρυσὸς εἰλικρινὴς, γνήσιος, ἀκριβὴς, ἀκραιφνὴς καὶ ἄπεφθος, vſq; eo coctum, dum argentum ab eo ſit omne ſeparatum.*

XI.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.

Confirmatio à ſuo exemplo. Equidem tuus ego ſcientia illius ductus ſpe amplißimorum præmiorum propoſita, in pietatis ſtudium omni mente conuertor: vitamq; de tua guberno voluntate. Opes, honores, & reliquæ fortunæ, quæ vocantur bona, irritamenta ſunt malorum: & anſam præbent ſæpius, occaſionemq; plurimis peccatis, & ſceleribus: verùm Dei verbum, ne quid culpæ contrahatur, diligenter præcipit: ad cuius quidem

dem admonitiones amore diuino incitati qui animos attentos tenent: atq; in ijs colendis omnem curam, & diligentiam conſumunt: licet ſpem mercedis propoſitam non habent: præmia tamen conſequuntur, qualia nec verbis explicari, nec oculis vſurpari, nec cogitatione comprehendi poſſunt: non enim oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit, quæ præparauit Deus ſuis amatoribus Paulus ex Eſaia. Retributio, ἀνταπόδοσις, non meriti eſt, ſed miſericordiæ, munificentiæq; cœleſtis. Cuſtodia verò, quæ eſt legis obſeruatio in fide, & bona conſcientia, de inchoata obœdientia, non perſunctione perfecta eſt intelligenda: eam enim niſi Chriſtus, nemo præſtat. 1. Cor. 2. Eſa. 64.

XII.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

προσπόδησις, ab Encomio verbi diuini, ad precationem: qua petit, ignoſci ſibi culpas in quas contra edicta cœleſtia incurrit. Eſtq; pictura quaſi quædam expreſſa hoc in loco, & propoſita: quæ docet nos, quomodo ſimus iuſti. Confitetur hærere in ſe multa vicia, & ſcelerum ſe labe, maculisq; infectum eſſe: quorum nec ipſe noticiam habeat: malicioſum enim cor hominis, & obſtinatione præfracta perditum, inquit Hieremias: & tamen impunitatem ſe dicit conſecutum eſſe, & reputari iuſtum, integrum, & à peccatis immunem beneuolentia, & miſericordia diuina. Hier. 17.

Eſt autem oratio acrior interrogatione expoſita. In omni vita error hæret: neq; quiſquam eſt, qui attendat infirmitatem humanam, & in quas iniquitates prolabamur inſcientes: nemo errata cuncta animaduertit: nemo in tanta caligine, tantisq; tenebris nihil offendit: nemo non grauiſsima interdum ſcelera, & flagitia, ſuperbia cæcus, pro virtutibus habet, & honeſtis actionibus: quare expia me ab occultis meis, & à ſcelere, Quod

καινὴν κτίσιν, hoc eſt, denuò quaſi conditos, & , non rationis ipſorum vi aliqua & facultate ſingulari, ſed voluntate Dei genitos verbo veritatis: vt ſint primitiæ quædam ipſius operum, ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων, vt inquit Iaco-
Iacob. 1. *bus.*

II.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Dierum, noctiumq́; viciſſitudines, & temporum aptæ ad moderandam vitam varietates, quaſi orationem fundentes cognitionem diuinæ naturæ dant mortalibus. Apoſtoli, vt homines pij omnes, Deo lux ſunt: vos enim eſtis lux mundi, in-
Matth. 5. *quit Chriſtus: ſibi verò, & mundo tenebræ: nam & in ignoratione ſibi interdum rerum diuinarum omnium, & caligine mortis, & inferni videntur iacere: & quòd aliàs obſcuri ſunt, & nullo loco, deſpectui ab omnibus ducuntur. At impij & ſibi, & alijs dies, Deo verò nox ſunt: quamuis cum ipſi præ ſuæ claritatis fulgore alios nullos putent: tum in multorum ſapientium, magnorumq́; virorum ſint oculis. Dies igitur diem de doctrina ſalutis, & nox noctem de cognitione Dei docet, & inſtruit: hoc eſt, Apoſtoli, qui vtrumq; ſunt, & dies, & nox, ſed reſpectu diuerſo, homines, qui, cum nox ſint, dies tamen ſibi videntur, ſcientia rerum æternarum augent, eosq́; ad vitam erudiunt beatam, & immortalem.*

Eructare, ἐρεύγεσθαι, quaſi ebullire eſt, & effundere, translatione à prorumpentibus aquis fontium.

III.

Non ſunt loquelæ neq; ſermones: quorum non audiantur voces eorum.

Amplificatio. Nullus ſermo, nulla loquela eſt, quo non peruenerit vox eorum: audiuit Apoſtolorum, Prophetarumq; voces, quæ eſt doctrina ſalutis,

Et ſi quem tellus extrema refuſo
Submouet Oceano, & ſi quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui.

Loquelas, λαλιὰς, *ſermones*, λόγους, *figuratè intelligit gentes ipſas, & omnes omnium terrarum, nationumq; populos: quorum nulli tam barbari fuerant, & ab omni humano cultu remoti: qui non aliquid de ſalutari doctrina Euangelij aut acceperint auditione, aut adhuc ſint accepturi. Atq; huc pertinet illud in geſtis Apoſtolicis: repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & diuerſis linguis loqui cœperant: &. Eos ſua quiſq; lingua, in qua nati ſumus, audiuimus.* Act. 2.

IIII.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: in Sole poſuit tabernaculum ſuum.

ἐξεργασία. *Ad omnes terras regula eorum pertingit: verba eorum ad vltimum orbem penetrant. Terra* μετωνυμικῶς, *continentis vſurpatione, pro contento, ponitur pro populis, & gentibus vniuerſis. Aug. An. in Hiobum. Quod Græci interpretes, quos ſequitur D. Paulus,* φθόγγον, *ſonum tranſtulerunt, Hebræis regula eſt, ſeu amuſsis: quæ voces pro toto aliquo ædificio ſolent accipi: Et quia ædificare ſacris in literis docere ſignificat: regula pro ædificio, & ſtructura ad regulam facta, & ad lineam reſpondente, hoc eſt, doctrina, & inſtitutione ſumenda eſt. Omnes gentes, & populos docuerunt Apoſtoli: Apoſtolorum doctrina vniuerſam terram eſt peruagata: vſq; ad extremos orbis fines peruenit. Eritis mihi teſtes,*

inquit Chriſtus emigraturus in cœlum, & Hieroſolymæ, &
Act. 1. in tota Iudæa, ac Samaria, deniq; ad terras vltimas. Quod affirmat exiſſe Euangelij doctrinam in omnes terras: ſimul innuit, eam ad cunctas orbis partes nondum perueniſſe. Neq; enim Apoſtoli peregrinando omnes mundi angulos perluſtrauerunt, & hoc quoq; ſeculo repertæ ſunt ignotæ veteribus inſulæ, in quas portenta quidem religionis inuadunt, ſed doctrina, & diſciplina Chriſti nondum immigrauit.

In ſole poſuit) Soli in illis ſedem conſtituit: collocauit in illis Soli tabernaculum: tentorium in illis poſuit Soli. Solem, τὸν ἥλιον, vocat ipſum Dominum, Deumq; noſtrum Ieſum Chriſtum: cui dicit patrem cœleſtem poſuiſſe habitaculum in cœlis, hoc eſt, Apoſtolis, & credentibus. Loquitur autem de coniugio Chriſti, & Eccleſiæ: & reſpicit appellatione tabernaculi ad morem, conſuetudinemq; Hebræam: qua ſub vmbraculo, ſeu tentorio ſponſa in manum ſponſo conueniebat.
Ioha. 1. Pertinent huc illa. Habitauit in nobis, Et: Habitat Chriſtus
Ephe. 3. per fidem in veſtris animis. Et: Ecce tabernaculum Dei cum
Apoc. 21. hominibus: & ipſe habitabit cum eis. Vt autem Sol Princeps, & gubernator ſiderum

Dum radios ſpargit, dum magnum luſtrat Olympum,
Et terras ſimul, & magnas liquidi ætheris oras
Exhilarat,

& candore ſuo ſplendidiſſimo tenebras diſpellit, fugatq;, & vim viuificam,

calidumq; affert rebus vitale creatis:

Mala. 4. Sic verbo ſuo Sol iuſticiæ, vt loquitur, Malachias, Chriſtus animos credentium colluſtrat, reficit, iucundat, & incredibili leticia voluptateq; perfuſos complet. Tabernaculum interpretatur Caßiodorus, inhabitaculum, hoc enim vtitur verbo, corporis. Ex quo colligerent fortaſſe, qui vaſtitatem inferunt myſterijs ſacris, Verbum, quæ eſt perſona numinis diuini ſecunda, depoſuiſſe corpus ſuum in ſole, ideoq; in cœna ſacroſancta

ſancta præſens non eſſe. Verum ille hoc non dicit: ſed intelligit ſplendorem potius, in quem lippientes errore oculi intueri non poſſunt. Auguſtinus, qui & ipſe tabernaculum tum carnem Chriſti, tum Eccleſiam intelligit, Solem pro manifeſtatione, hoc eſt, monſtratione explicat, quòd carnem ſuam in manifeſtatione huius lucis, & in die non in nocte, Chriſtus oſtenderit. Exp. in Epiſt. Ioh. Tract. 1. & 2. de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 20.

V.

Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt Gigas ad currendam viam.

ἐικὼρ, quaſi ſponſus emicat è thalamo geniali: exultat, vt Gigas, ad decurrendum præceptorum cœleſtium curriculum. CHRISTVM cum verbo ſuo ſponſo, νυμφίῳ, comparat, propter ornatum, qui eſt veritatis, & miſericordiæ, & amorem erga Eccleſiam: quo motus, ſua bona cum illa vniuerſa communicauit: propter vim, & impetum verò, quibus contra Satanam, peccata, & mortem vſus eſt, athletæ, seu giganti. Similitudinem ſponſi CHRISTVS ipſe agnoſcit, cum inquit: nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quàm diu cum illis eſt ſponſus? Et in Canticis ſponſa eſt Eccleſia: quin etiam D. Paulus ſcribit ſeſe Corinthios deſpondiſſe virginem caſtam, tradendam Chriſto. Et in libro arcano Angelus Iohanni ſponſam monſtrat, quam Agni vxorem eſſe dicit. Thalamus, παςὸς, cum vterus eſt ſanctiſsimus virginis matris: ex quo naturam noſtram poſtquam ſibi, vt ſponſus ſponſam, coniunxiſſet, non humano, ſed diuino ſatu prodijt Eccleſiæ ſponſus CHRISTVS: tum cor vniuſcuiuſque: ex quo, ſolo Spiritus ſancti beneficio, fides, modo, qui nec ſenſu, nec cogitatione vlla comprehendi poteſt, ad Deum ſeſe conferens,

Matth. 9. Mar. 2. Lucæ 5.

2. Cor. 11. Apoc. 21.

emicat. Curſus, perfectorum eſt. Vnde etiam Apoſtolus ad Ga-
Gala. 5. *latas: Currebatis bene.*

VI.

A ſummo cœlo egreſsio eius: & occurſus eius vſq; ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Ab vltimis cœli cardinibus, flammis terrarum opera omnia luſtrans, ad extremum pergit occidentem: nec eſt locus vllus, quo calor eius non penetret. Ad hunc locum exactius intelligendum facit illud Euangeliſtæ, vbi Zacharias Chriſtum
Luc. 1. *lucem, & Solem ex alto orientem appellat: qui apparuerit ijs,*
Joha. 3. *qui in tenebris, & atra morte degebant. Et Iohannis: Nemo*
Ephe. 3. *adſcendit in cœlum, niſi, qui deſcendit de cœlo. Et Pauli: Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit, ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. Huc alludit Ambroſius Mediolanenſis, cum canit.*

Egreſſus eius à Deo,
Regreſſus eius ad Deum,
Excurſus vſq; ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.

Occurſus, κατάντημα, ſecundum hominem dicitur, inquit Caßiodorus, quia poſt aſſumtionem carnis in vtraq; natura Chriſtus ad ſedem maieſtatis paternæ occurrit. Cum venit à ſummo, in nullo minor fuit: cum redijt ad ſummum, Deus homo æqualis Patri in Deitatis ſubſtantia, ſicut venerat, perſeuerat: cui nihil humana detraxit humilitas. Calor, θέρμη, CHRISTI eſt, cum Spiritus ipſe, coniun-
Iohan. 16. *ctus cum cœleſti ſermone, Sanctus, quo arguit mundum, & con-*

& conuincit de peccato: tum os, ſapientiaq; Apoſtolorum cui contradicere, & reſiſtere nequeunt omnes aduerſarij. Auguſtinum vide contra literas Petiliani lib. 2. cap. 32. Luc. 21. Act. 6.

VII.

Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Domini Lex maculæ omnis expers, integra, & incontaminata, animos reficit, & recreat: teſtimonium Domini verum, conſtans, ſolidum, purum ex infantibus ſapientes facit. Quod figuratè vſq; huc dixit Propheta: nunc proprijs verbis explicat, & exponit: Eſtq; tota hæc narratio verbi diuini continuum Encomium, vimq;, efficacitatemq; doctrinæ cœleſtis illuſtrans. Huc illud: declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis. Legem, νόμον, vocat doctrinam traditam diuinitus, tum per Moſen, quæ oſtendit, quales nos eſſe, & quæ facere, quæq; vitare conueniat: tum per Chriſtum, quæ viam munit, qua ad beatam, & immortalem vitam perueniamus: quæ ideo lex Spiritus vitæ à Paulo, & Lex perfectæ libertatis à Iacobo, & à Chryſoſtomo τῆς χάριτος appellatur. Hanc integram appellat, ἄμωμον, & carentem labe: quòd illa quidem requirit integram naturam, & perfectam, & numeris omnibus abſolutam obedientiam: quam ſanè, niſi propter corpus ægra eſſet, & infirma, etiam procuraret: hæc verò præſtat quoq;, non opus habens inſtitutis priſcis, & traditis ab hominibus conſuetudinibus, præeunte Spiritu ſancto ad omnem veritatem. Deinde ait eandem conuertere animos, ἐπιστρέφειν τὰς ψυχὰς, quod eſt, hominibus palantibus, & erroribus irretitis, implicatisq; turbulentis, vt animo promto ad re- Pſal. 119. Rom. 8. Iac. 1.

ctum vitæ contendant curſum, viam veritatis monſtrare: nec id ſolum, ſed gratia quoq; diuina, & fauore eos confirmare, dando legem ipſam in corda credentium, & imprimendo, inſcribendoq; animis Spiritu ſancto: qui ſolus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum, membra deniq; ad parendum legi ſuppeditat. Teſtimonium, μαρτύριον, *intelligit promiſsionem de Filio Dei: cuius ergò, metu iudicij diuini perculſos, & in miſericordia cœleſti ſpem ſalutis collocantes recipit in gratiam pater æternus vniuerſos. Atq; hæc quidem fidelis,* πιστή, *eſt, & certa: quòd hæſitationem, dubitationemq; de voluntate in nos Dei omnem tollit & ſapientiam præſtat paruulis,* σοφίζεται τὰ νήπια, *quod conuenit cum illo Chriſti: Ago tibi gratias Pater cœli, terræq; Domine: qui hæc ſapientes, peritosq; celaueris, & infantibus patefececeris. Infantes autem, ſeu pauuli ſunt, propter agnitionem, & ſenſum acrem peccati humiles, fracti, & afflicti quidem: ſed fide tamen erecti, qui, vt liberi parenti Deo credunt, & in miſericordiam illius interminatam ſeſe tota mente, & omnibus animi viribus reijciunt: qui vere ſapientes ſunt cenſendi.*

Mat. 11. Lucæ 10.

VIII.

Iuſticiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Iuſticiæ Domini rectæ animos leticia perfundunt: diſciplina Domini pura, & luce fulgens æterna colluſtrat oculos: & menti lumen clariſsimum præferens, à profundæ caliginis teterrimis tenebris prohibet. Iuſticiæ, τὰ δικαιώματα, *ſunt non conſilia Euangelica, communem iuſticiam excedentia, vt Lyra interpretatur: ſed ipſæ promiſsiones de Filio: quæ ſunt rectæ, quod eſt, rectos nos & iuſtos faciunt, & exhilarant, letificantq; corda. Iuſtificati enim pacem habemus cum Deo, inquit*

quit Apoſtolus. Præcepta, ἐντολαὶ, ſunt lucida, & aciem mentis colluſtrant: & offuſas animis caligines, tenebraſq; ignorantiæ diſpellunt. Euangelium enim explicat, & explanat legem, & detegit vultum Moſis velatum: vt ſplendorem Domini ſpeculantes, in eandem transformemur imaginem. Hic reſutandi erant veſpertiliones: qui, niſi in caligine traditionum humanarum, non vident: & verbum diuinum obſcurum eſſe calumniantur: verùm non ſunt digni, quibus cum verba veritatis amantes mortales commutent. Rom. 5. 2. Cor. 3.

IX.

Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi: iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa.

Metus Domini purus, caſtus, & integer eſt, permanens in ſeculorum ætates infinitas: decreta Domini vera ſunt, & iuſticiæ, æquitatiſq; plena. Timorem, ſeu metum, φόβον, vocat, quam legem dixerat antea: effectus vocabuli pro cauſæ vſurpatione. Facit enim lex, vt, viam deuiam ſecuti, diuini numinis metu territi, corrigamus errores pœnitendo: & animos ad rectius viuendum confirmemus: quo compotes tandem reddamur eorum bonorum: quæ manent perpetuò, & quorum vmbram tantum habuit lex, non ipſam rerum repræſentationem. Iudicia verò, τὰ κρίματα, teſtimonium appellat: hoc eſt, oracula, & decreta, ſeu promiſsiones de Domino noſtro Ieſu Chriſto: quæ veritatis, & iuſticiæ numeris omnibus perfecta appellat, propter certitudinem, vt ita loquamur, & conſtantiam. Certus enim eſt ſermo, & omni approbatione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venerit in hunc mundum, ſeruatum peccatores. Paulus. Heb. 10. 1. Timo. 1.

X.

Deſi-

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum:& dulciora ſuper mel & fauum.

Παράθεσις, à Spiritu diuino in cordibus credentium excitati, amoris diuini, auri, quo nihil carius habent huius ſeculi homines, & mellis, quo nihil magis guſtatum commouet, comparatione. Neq; verò vllæ ſunt opes, & copiæ, vllæ voluptates, iucunditatesq;, quæ cum diuinis oraculis conferri, & componi poßint: auro quidem certè, obryzoq́; multò iucundius eſt verbum Dei, & fauorum nectare ſuauius. Huc illa: Antiquior mihi lex oris tui, quàm millia auri, & argenti.

Pſal.119. *Et: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.*

Matth.13. *Et: Simile eſt homini quærenti bonas Margaritas. Melior eſt ſapientia gemmis: cum hac, quæcunq; expetuntur, non ſunt conferenda, Solomon.*

Prouer.8. *Aurum obryzum, quaſi Ophyriſum: quod ex inſula Ophyre primæ notæ afferebatur Solomoni, purum, putumq́; eſt aurum, χρυσὸς εἰλικρινής, γνήσιος, ἀκριβής, ἀκραιφνὴς καὶ ἄπεφθος, vſq; eo coctum, dum argentum ab eo ſit omne ſeparatum.*

XI.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.

Confirmatio à ſuo exemplo. Equidem tuus ego ſcientia illius auctus ſpe ampliſsimorum præmiorum propoſita, in pietatis ſtudium omni mente conuertor: vitamq́; de tua guberno voluntate. Opes, honores, & reliquæ fortunæ, quæ vocantur bona, irritamenta ſunt malorum: & anſam præbent ſæpius, occaſionemq́; plurimis peccatis, & ſceleribus: verùm Dei verbum, ne quid culpæ contrahatur, diligenter præcipit: ad cuius quidem

dem admonitiones amore diuino incitati qui animos attentos tenent: atq; in ijs colendis omnem curam, & diligentiam conſumunt: licet ſpem mercedis propoſitam non habent: præmia tamen conſequuntur, qualia nec verbis explicari, nec oculis vſurpari, nec cogitatione comprehendi poſſunt: non enim oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit, quæ præparauit Deus ſuis amatoribus Paulus ex Eſaia. Retributio, ἀνταπόδοσις, non meriti eſt, ſed miſericordiæ, munificentiæq; cœleſtis. Cuſtodia verò, quæ eſt legis obſeruatio in fide, & bona conſcientia, de inchoata obœdientia, non perfunctione perfecta eſt intelligenda: eam enim niſi Christus, nemo præſtat. 1. Cor. 2. Eſa. 64.

XII.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

προπόδκσις, ab Encomio verbi diuini, ad precationem: qua petit, ignoſci ſibi culpas in quas contra edicta cœleſtia incurrit. Eſtq; pictura quaſi quadam expreſſa hoc in loco, & propoſita: quæ docet nos, quomodo ſimus iuſti. Confitetur hærere in ſe multa vicia, & ſcelerum ſe labe, maculisq; infectum eſſe: quorum nec ipſe noticiam habeat: malicioſum enim cor hominis, & obſtinatione præfracta perditum, inquit Hieremias: & tamen impunitatem ſe dicit conſecutum eſſe, Hier. 27.
& reputari iuſtum, integrum, & à peccatis immunem beneuolentia, & miſericordia diuina. Eſt autem oratio acrior interrogatione expoſita. In omni vita error hæret: neq; quiſquam eſt, qui attendat infirmitatem humanam, & in quas iniquitates prolabamur inſcientes: nemo errata cuncta animaduertit: nemo in tanta caligine, tantisq; tenebris nihil offendit: nemo non grauiſſima interdum ſcelera, & flagitia, ſuperbia cæcus, pro virtutibus habet, & honeſtis actionibus: quare expia me ab occultis meis, & à ſcelere, Quod

Quod latet arcana non enarrabile fibra, purga.

Delicta nemo intelligit niſi ſcrutator cordium Deus, qui & poteſt ea dimittere. Hieronymus. Occulta, τὰ κρύφια, *ſunt tum malum, quod à primigeni hominis ſeminario generatim in cunctos profluxit, quod Apoſtolo eſt corpus mortis: tum maculæ occultæ, & latentes, quas appellat alibi ignorantias. Methodius apud Epiphanium,* τὰ κρύφια, τὰ ἐννοήματα, καὶ τοὺς λογισμοὺς *intelligit: de quibus* οὐ θέλω, *inquit,* ἐννοεῖσθαι, καὶ ἐννοοῦμαι ὅσα μὴ θέλω. οὐ γὰρ ἐφ᾽ ἡμῖν ὅλως τὸ ἐνθυμεῖσθαι, καὶ μὴ ἐνθυμεῖσθαι κεῖται τὰ ἄτοπα. *Non eſt in nobis omnino ſitum, vt aut cogitemus, aut non cogitemus abſurda. Eſt autem hic verſus Hypocritis occinendus: qui ad aurem ſacerdotis diſtinctæ, & integræ omnium erratorum hiſtoriæ explicationem defendunt.*

XIII.

Et ab alienis parce ſeruo tuo: ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Defende etiam, & cuſtodi me ab ijs, qui faſtidio efferuntur & contumacia: à petulantibus prohibe ſeruum tuum: ab arrogantibus vindica me, ne ſub poteſtatem, ditionemq; ſuam me redigant. Quod ſanè beneficij ſi dederis mihi: purus ero à culpa, & remotus à ſummis ſceleribus. Non dominetur mei omnis iniuſticia. Pſal. 119. *Loquitur & de peccatis, quæ in actum erumpunt, atq; ex conſtituto fiunt, vt conueniat cum illo Pauli:* Rom. 6. *Ne regnet peccatum in mortali veſtro corpore ita, vt peccato in corporis cupiditatibus parcatis: Et de aduerſantibus doctrinæ cœleſti, quiq; opinionibus impijs inflati, ſicq; præſidentes alios corrumpunt. Obſecro vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula contra doctrinam, quam didiciſtis, excitant*

ritant: Nam eiuſmodi homines non Chriſto Domino, ſed ſuo ventri ſeruiunt, & per dulces ſermones, & colloquia blanda ſeducunt corda innocentium. Apoſtolus. Maximum delictum, ἁμαρτία μεγάλη, eſt doctrinæ cæleſtis contemtus: & in faciem filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti conſputatio: & colaphorum inflixio: ſuiq́; maius quo fieri nullum poteſt peccatum, admiratio. Rom. 16.

XIIII.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper: Domine adiutor meus: & redemptor meus.

Concluſio à voto. O vtinam hæc oris mei oratio, & mentis cogitatio placeat tibi Deus: ô vtinam Pater ſanctiſſime, qui me ex omnibus periculis, & calamitatibus eripis, & ab omni fœditate criminum, impuritateq́;, aſſignata mihi, motus intima miſericordia tua, filij tui iuſticia liberas: carmina mea, & quicquid mente agito, animoq́;, & cogitatione vſurpo gratum tibi ſit, & acceptum.

PSALMVS XX.

BELLICVM.

PRecatio, qua populus regi ſuo, armorum fluctibus obiecto, & in hoſtem iam proficiſcenti, Deum precatur propitium: & optat, vt, deuictis aduerſarijs, exitu felici bellum concludatur. Hoc Pſalmo nos quoq; vti poſſumus pro regibus, & principibus, ac omnibus ijs, qui ad rerum publicarum guber-

bernacula ſedent: vt, quia πάντων ἔργων μέγιστον ἡ ἀρχή, vt loquitur Plato, καὶ τέχνη πασῶν ἀνωτέρα, vti Chryſoſtomus, ſuo fauore, gratiaq; illis adſit Deus: quo officij, functionisq; aſsignatæ ſibi ab illo munus tueantur: & in rebus gerendis domi, belliq; felices
Pſal. 127 ſint, & fortunati. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, canit alio loco Propheta noſter, fruſtra vigilat cuſtos. Ex quo ſequitur: inter inſidias Diaboli, humanarumq; rerum procellas, nec conſtitui poſſe prudentium virorum ingenijs reſpub. nec conſeruari: ideoq; inſigni ſtulticia præditos eſſe eos: qui, opinionis errore ducti, ſcientiam ſibi adminiſtrandæ Reip.
Prou. 8. arrogant: cùm Sapientia dicat apud Solomonem: per me reges regnant, & gubernatores iuſta decernunt: per me principes imperant, illuſtresq; ſunt omnes orbis præſides. Quod cùm ita ſit, meritò pro regum, & principum ſalute, & imperio vota facimus: &, vt ſalutaris ſit illorum gubernatio, preca-
1. Tim. 2. mur: id quod etiam nos Apoſtolus iubet facere: cùm, fiant, inquit, ſupplicationes, preces, interpellationes gratiarum actiones pro cunctis hominibus, pro regibus, & omnibus, qui poteſtate pollentes in eximio ſtatu ſunt: vt tranquillam agamus, quietamq; vitam, cum omni pietate, & grauitate.

I.

Exaudiat te Dominus, in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Exordium à voto κατ᾽ ἀποστροφήν, quæ eſt ipſa Pſalmi propoſitio. Fortunet Deus feliciterq; regem noſtrum. In quo vno, non in Impiorum, quibus cum fœdere ſis coniunctus, regum,

gum auxilijs, non clientelis nationum, non armis, & machinis bellicis, non vi, multitudineq́; militum ſpem omnem repoſitam habes, temporibus aduerſis, & rebus anguſtis patefaciat precibus tuis aures ſuas Dominus: teq́; prohibitum calamitatibus nomen, potentia, & maieſtas Dei Iacobæorum tueatur, & defendat. Addit propoſitionis, precationisq́; cauſam, tempus tribulationis, ἡμέραν θλίψεως *: quo intelligit omnis generis res aduerſas, curas, & ærumnas, quæ in adminiſtranda republica regibus, & principibus à nequam dæmone, & improbis, ac ſeditioſis Catilinis, & Clodijs obijciuntur. Deum ipſum vocat, quaſi ſupplantans, & euertens hoſtes, Iacobæorum numen, reſpiciens ad hiſtoriam patriarchæ, & ad promiſsionem eidem factam: qua ſe felicitaturum pollicetur Deus Iacobum, & ſtirpem illius defenſurum, ac bonis omnibus aucturum, & amplificaturum.* Gen. 28.

II.

Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Zion tueatur te.

Ad periculum tuum reſpectum habeat: & è domicilio ſanctuarij ſui, robore, & fortitudine animi confirmato, mittat auxilium: teq́; ſartum, & tectum ab omni calamitate, ſibi ſoli nota, ratione prohibeat. Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me, inquit alibi Propheta: Et. Nihil refert, precatur Aſa, vtrum auxilium feras vel multis, vel his, quibus non eſt robur. De Sione, ἐκ σιὼν*, dicit propter ſanctuarium, quod Deus domicilium terrenum numinis ſui ſtatuerat in monte Sionio: & ad illud alligarat quaſi nomen ſuum: ſeq́; eo in loco populi ſui preces exauditurum promiſerat: quare etiam Iudæi facie ad templum, & montem Sionium conuerſa orare ſolebant.*

Pſal. 44.
2. Paral. 14.
Deut. 12.
3. Reg. 8.
2. Paral. 6.

III.

Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingueſiat.

Odoretur ſuauitatem odoris exhalantis ex crematione ſa-
crificiorum tuorum, & hoſtiam tuam in cinerem conuertat:
reſpiciat victimas tuas, & gratas habeat, acceptasq́; hoſtias,
quas caſtè, pieq́; mactas, easq́; delapſus de cœlo ignis abſumat.
Sumta eſt forma orationis de hiſtorijs patrum veterum: quo-
Iud. 13. *rum, quod ſacrum facerent fide, hoſtias cœleſtis ignis conficie-*
3. Reg. 18. *bat. Sacrificia magiſtratus pij, ac Chriſtiani exponuntur apud*
Pſal. 101. *authorem alibi. Et Eſaias, Iudicate, ait, pupillo. Et, Eripe af-*
Eſa. 1. *flictum de manu peccatoris, inquit Propheta noſter. Quidam*
Pſal. 82. *ex Græcis,* ἀρχὴν, *inquit* ἔχων τοῦ ὀρθοῦ φύλαξ, καὶ δικαιο-
σύνης ὑπηρέτης τε, καὶ ἐξηγητής. *Qui imperium habet, Cu-*
ſtos eſt honeſti, & miniſter iuſticiæ, atq; interpres. Vnde et-
iam Irenæus: πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τά-
ξιν. *Rex, qui iuſticiæ ſtudet, ſacerdos eſt. Pinguitudo, co-*
piam ignis, & μεταληπτικῶς *litationem, pacemq́; diuinam*
ſignificat.

IIII.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Approbet Deus ea, quæ habes in animo, & omne conſilium tuum perficiat: rata eſſe velit Deus, quæ optas: contingant tibi, quæ cupis omnia: habeant proſperum ſucceſſum, quæ aggrederis: Deus faciat, vt, quæ moliris, felici exitu concludas. Cor μεταληπτικῶς *deſiderationem ſignificat, & animi cupiditatem, quæ in pijs diuino beneficio ad Deum, Deiq́; gloriam reſpectum habet.*

V.

Læta-

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur: impleat Dominus omnes petitiones tuas.

πρόῤῥησις, qua à voto ad vaticinationem tranſit: &, quòd preces populi exaudiuerit Deus, regem parta victoria ſaluum, & incolumem reuerſurum pronunciat. Plaudemus tuæ victoriæ: &, cùm profligatis hoſtibus cum lætitia publica, & gratulatione fueris reuerſus: magnificum agemus triumphum.

VI.

Nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum: exaudiat illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

Vel eſt παρένθεσις, repetitione voti conſtans: Dominus omnes poſtulationes tuas perficiat: vel ſimpliciter, priorum ratio. Triumphabimus: Dominus enim regis preces ſanctas, ſupplicationesq́; de cœlo ſuo reſpicit: & optata illius ad felicem exitum perducet. Rerum, quæ acciderunt diuinitus euentu doctus, intelligo Dominum defendere vnctum ſuum: perſuaſiſſimum eſt mihi, fore, vt propugnet Deus pro ſalute regis ſui: & ſalutaris dexteræ ſuæ viribus eum tueatur. Niſi Deus erigat iacentium animos: niſi ferat opem Dominus, vanum eſt conſilium, vana tutela hominum.

VII.

Hi in curribus & hi in equis: nos

autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

ἀντίθεσις. *Hoſtes currus, & equos iactant: at nos Dei noſtri nomen inuocamus: hoſtes armis confidunt, & bellatorum multitudine: nos verò ſalutem noſtram æterni numinis imploratione obuallabimus. Turris fortiſſima nomen Do-*
Prou. 18. *mini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur, inquit Rex ſapiens. Non militum robur, armorum multitudo, machinarum apparatus, commeatuum explicatio, & quæ generis ſunt eiuſdem, ſine quibus bella geri, & adminiſtrari non poſſunt: ſed, poſthabita diuini numinis imploratione, confiſio in ea belli tempore, à Spiritu hic ſancto reprehenduntur:* ἐν χειρὶ θεοῦ ἔσω τὸ κράτος ὑμῶν, ἀλλὰ μὴ τῷ χρυσῷ, καὶ ταῖς φάλαγξιν. *Robur & vis veſtra in Dei ſit manu, non auro, & exercitu in-*
2. Paral. 13. 14. 32. *quit ad reges, & Principes Theologus. Huc pertinent exempla Abiæ, Aſæ, & Ezechiæ regum Iuda.*

VIII.

Ipſi obligati ſunt & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

τὸ ἐκβησόμενον. *Illi victi, & profligati occident: nos verò alacres, erectiq; conſiſtemus:*

Illi animæ viles, inhumata, infletaq; turba,

de curribus, & equis deiecti, ſternentur campis: nos Deus noſter afflictos, & iacentes excitabit: vt à conciſis hoſtibus victoriam pulcherrimam reportemus.

IX.

Domine ſaluum me fac Regem: & ex-

& exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Concluſio. Maxime rerum omnium moderator, & Domine, qui facilem te precibus populi tui præbuiſti: in poſterum quoq; aures benignas ad vota noſtra adhibe: & regem noſtrum, ac Remp. vniuerſam numinis tui præſidio contra hoſtium furores ab omni detrimento, & incommodo clementer tuere, & defende.

Protegat omnipotens pietatis munere regem,
Et Dominum ſeruet, quem dedit eſſe Patrem:
Ciues te cupiant, tu gaudia ciuibus addas:
Plebs placeat famulans: Rex pietate regat.
Fortunatus.

PSALMVS XXI.

VICTORIA.

VAticinatur Propheta primùm de regno Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, inchoando Spiritu in his terris: & in ſeculorum fine, nouatione rerum, & in potiorem ſtatum commutatione facta, in omnem ſeculorum perennitatem duraturo. Prædicit deinde vaſtationem, euerſionemq; Reip. Iudæorum: quòd, voluntati diuinæ contrauenientes, non ſolùm datum ſibi cœlitus regem ingratè ſint aſpernati: ſed atrociter quoq; ſuffixum cruci necauerint: quo quidem ſcelere adeò offenderunt Deum: vt viciſsim ab illo meritiſsimò repudiati, ignominia, infamia, & exilio perpetuo viui: mortui verò, in lethi tenebras, & orci fauces detruſi, ſupplicijs æternis mactentur.

I.

Domine in virtute tua lætabitur Rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.

Propoſitio. Ouat Rex, & leticia exultat. Rerum omnium conſtitutor, & moderator Domine, quàm in potentia maieſtatis tuæ lætatur rex: inq; propugnationis pro ſe tuæ auxilio etiam, atq; etiam gaudio exultat? Ope tua, qua fractis viribus aduerſariorum victoria potitus eſt pulcherrima, gaudio triumphat Filius tuus regum Rex, & dominorum Dominus Ieſus Chriſtus. Huc illud. Etſi cruci affixus eſt per infirmitatem, tamen viuit Dei potentia. Et. In ſpoliatos principatus, ac poteſtates palam exemplum edidit, eosq; triumphauit. Continet verò verſus hic, ὅρον, *definitionem regni interpretis ſapientiæ diuinæ Ieſu Chriſti, quod eſt, iuſticia,* δικαιοσύνη, *& pax,* εἰρήνη, *& gaudium per Spiritum ſanctum,* χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

2. Cor. 13. Col. 2. Rom. 14.

Nam Chriſtus noſtra virtus, & caput Chriſti Deus,
Qui dextera, & virtus Dei eſt:
Virtute cuius mille ſerpentem dolis
Nos appetentem vincimus. Paulinus.

II.

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Ratio ἀπαριθμήσει *conſtans, qua enumerat beneficia, quæ Deus Pater in Filium ſuum contulit. Expectationem deſiderij illius, concedens ei mentis optata, exples: orationis eius poſtulata nequaquam repudias: votorum eum, quæ ſuſceperat, compotem facis: quid enim contendit abs te, quod non ei tribue-*

tribueris? Clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia. Autor Epiſtolæ ad Hebræos. Heb. 5. *Omnia mihi tradita ſunt à patre: neq; quiſquam nouit, quis ſit filius* Luc. 10. *niſi Pater: aut quis ſit Pater niſi Filius: & cui voluerit Filius pateſacere. Chriſtus ipſe.*

III.

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.

Qui, diris, execrationibusq́; conſciſſus, hominum erat opprobrium, & populi contemtus, eum auges beneficijs pulcherrimis, & ampliſsimis: capiti, ex dedecore, morte, & orco erepti, coronam auream imponens. Benedictiones dulcedinis, ſeu bonitatis, εὐλογίαι χρηστότητος, *ſunt, tum Spiritus ſancti munera, & beneficia, quibus Filium ſuum Pater cœleſtis præ conſortibus ſuis cumulauit: & excitatum ex mortuis regem fecit totius vniuerſitatis rerum, iuxta illud: Mihi data eſt omnis* Matth. 28. *poteſtas in cœlo, & in terra: tum gratia diuina: qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis Deus. In qua ſi nos non præuenit Deus: non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur aliquid ex nobis, inquit Auguſtinus, lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. Ornatus capitis, ab ijs ſumtus eſt: quibus virtutis cauſa in certaminibus publicis coronæ imponebantur. Requieſcet in eo Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & metus Domini. Eſaias.* Eſa. 11.

IIII.

Vitam petijt à te, & tribuiſti ei:

longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

Expolitio, ἐξεργασία. Vitam petenti abs te annorum
Rom. 6. *das perennitatem interminatam. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, iam morti non eſt obnoxius. Huc pertinet o-*
Ioh. 17. *ratio Chriſti, quæ expoſita eſt apud Euangeliſtam.*

V.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Pſal. 8. *Conuenit cum illo. Gloria, & honore coronaſti eum. Inſignis eſt eius, & ſingularis tua ope, & præſidio gloria: tu decus à mortuis excitato, authoritatemq; tribuis: tu, ne qua dies nominis illius famam delere poßit, gloria illum ſempiterna donas: quæcunq; faciunt ad laudem, ea ad vitam reuerſo omnia benigniſsimè largiris: quin etiam ad latus dextrum collocatum conſortem facis imperij nullis ſeculorum ætatibus terminandi: nomine donans eum omnium nominum ſummo: vt*
Phil. 2. *ad IESV nomen omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum: omnisq; lingua confiteatur Dominum eſſe IESVM CHRISTVM ad Dei Patris gloriam. Magna eſt gloria hominem aſſumtum eſſe ad dexteram Dei Patris. Hieronymus.*

VI. VII.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniā Rex ſperat in Domino: & in

& in miſericordia altiſsimi non commouebitur.

Concilias ei fauſtitatem perpetuam, facisq́;, vt ſpem in eo collocantes fortunentur omni vbertate diuina: bonisq́; cunctis, & quidem æternis redundent. Tui ſerenitate vultus eum exhilaras: & quia in te, præſidioq́; tuo ſpem omnem fixit, & locauit: eius imperium ita abs te munitum, & confirmatum eſt: vt nulla eum vis, nullæ aduerſariorum oppugnationes de florenti rerum ſtatu deturbare poßint. Reſpicit ad promißiones factas patriarchis: Abrahamo, In te benedicentur omnes orbis nationes: Iſaaco, In tuo ſemine omnes orbis terrarum gentes beatas ſeſe ferent: Iacobo, In te, tuoq́; ſemine omnes orbis terrarum gentes fortunabuntur. Hinc Hieremias, & benedicentur in eo gentes, & in ipſo gloriabuntur. Gen. 12. 26. 28. Hier. 4.

VIII.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Πρόῤῥησις, *de pœnis Iudæorum, (quæ eſt Pſalmi pars altera) & omnium, qui Chriſtum regem aſpernantur. Omnes hoſtes ſuos aſſequetur manus tua, eosq́; vlciſcetur: dextera tua oſores, aduerſariosq́; ſuos capiet, & comprehendet: non inultam auferent impietatem, contumaciamq́; ſuam, quicunq; Chriſtum contemnunt, & ſanguinem eius proculcant. Impij ad vnum omnes in manus Dei incident: ac viui, mortuiq; digna ipſorum factis animaduerſione plectentur. Huc referenda ſunt, quæ de euerſione Hieroſolymorum, & diſperſione Iudæorum perſcripta ſunt ab hiſtoriographis.*

IX.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos,& deuorabit eos ignis.

Expolitio per εἰκασίαν. Hoſtes tuos Domine, cùm præſenti exarſeris iracundia, quaſi in ardentem redactos fornacem tuo furore conficies. Vt capaci vis furit ignea fornace clauſa, ad eundem modum aduerſarios tuos, ignibus conſcientiæ animis illorum adhibitis, exagitabis: & veluti ſtipulas furoris tui flamma concremabis æterno exitio pœnas dantes Domino, eiuſq; glorioſæ potentiæ, in igne Diabolo, eiuſq; genijs parato. Subdit perpetratis ſceleribus impiorum conſcientijs faces quaſi furiarum Deus: quæ illos ſecuro eſſe, & quieto animo minimè patiantur. Id videre eſt in Iudæis, quos occiſo Chriſto,ita fodiunt ſtimuli facinoris admiſſi: vt niſi impetrata cuſtodia à Prætore, qua muniatur ſepulchrum, conquieſcere non poſſint. Vultus Domini, πρόσωπον τοῦ κυρίου, pro ira, & furore diuino ponitur pœnas ſumente de impijs. Opprimantur carbonibus, in ignem deturbentur, in ſpecus, vnde non
Pſal. 140. *emergant. Autor.*

X.

Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filijs hominum.

Amplificatio. Neq; verò eos ſolùm, ſed omnes eorum poſteros vnà cum doctrina, & doctrinæ fructibus ex orbe terrarum, & hominum memoria tolles. Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Autor. Huc reſpicit Chriſtus
Pſal. 9. *ipſe cùm inquit. Ne me deplorate Hieroſolymitanæ fæminæ,ſed*
Luc. 23. *vos ipſas, & veſtros liberos.*

Quo-

XI.

Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire.

Ratio ἐπεμβολικὴ, interpoſita enumerationi, & cauſam continens, cur tam grauiter in hoſtes ſuos Deus vindicauerit. Suſtinuerunt enim contrauenire voluntati cœleſti: & ſalutem regis, dignitatemq́; armis ſceleratis oppugnare. Conſilio nefario inito ſummo ſtudio ad exitium Chriſti regis, ſed fruſtra incubuere. Conuenit cum principio Pſalmi de coniuratione, conſpirationeq́; impiorum contra regem Sionium. Pſal. 2.

XII.

Quoniam pones eos dorſum: in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

ὑποςροφὴ, quæ & ipſa imagine illuſtratur. Pro ſcopo collocabis eos: & neruo tuo in vultus eorum collineabis. Manus in ceruicibus eorum habens, coges terga vertere: quo facto fugientibus te ad diuortia nota obijcies, & in ora illorum tela peſtifera intorquebis. Omnibus & animi, & corporis damnis, calamitatibusq́; multabis eos: &, vt ſanè aſſequantur effugium, retrahes tamen eos, & ad pœnam repoſces. Dorſum poni, τίθεσθαι νῶτον, conijci eſt in fugam: vel etiam pro ſcopo in tumulo, aut colliculo locari, & conſtitui. Reliquiæ, περίλοιποι, nonnullis funes ſunt, ſeu nerui.

XIII.

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

ἐπιε

ἐπιφώνημα εὐκτικόν. Excitare, & exurge Domine, ac vim tuæ potentiæ declara: vt regnum imperiumq; Filij tui proferatur in omnes orbis terrarum nationes: quo, multorum populorum, gentiumq; ad ipſius cognitionem acceßione facta, magnitudinem nominis diuini grata animi beneuolentia, memoriq; mente celebremus in æternas ſeculorum perennitates.

PSALMVS XXII.

CERVA MATVTINA.

COnſtat hic Pſalmus vaticinatione: ſuntq; partes eius geminæ: prior, de abdicantis quaſi ſe, ab omni æternitate Patri æqualis qua præditus, & ab ipſo in materno vtero Spiritus ſancti quaſi ſatu ornatus fuit, maieſtate diuina, & habitu ſerui aſſumto, in imas partes terræ deſcendentis Chriſti Domini autoris vitæ, & ſalutis noſtræ: quibus expiauit, & in diuinam gratiam reſtituit humanum genus vniuerſum, ærumnis, tormentis, ac morte acerbiſsima: altera, de eiusdem in vitam reuocatione, atq; cùm legis onere antiquato, tum Idolis, ſuperſtitionibusq; omnibus exploſis, gentium cunctarum ſalute, doctrina de condonatione peccatorum gratuita, procuranda. Inducit autem Propheta ipſum Chriſtum facientem verba: &, quod nuſquam in omnibus libris à Spiritu ſancto conſignatis inuenias, ferreis clauis manuum, peduinq; eius confixionem, lacerationemq; membrorum, vt oſſa dinumerari à ſpectatoribus potuiſſent, ὑποτυπώσει ſubdelineatam ita proponit ob oculos: vt non vaticinari, ſed rem geſtam exponere videatur. Aurora, quæ prima lucis progreſsio, tempus vt intermedium eſt inter diem, & noctem: ſic

ſic Euangelium doctrina eſt interiecta inter tenebras, vmbramq́ mortis, quæ eſt ira diuina, (cuius efficiens lex) & lucem, ac diem ſempiternam : qua lethi poſtliminio in genus, & nomen ſummi Dei adoptati in omnium gaudiorum affluentia, flagrantiſsimo ſole, qui reſplendentia eſt gloriæ paternæ, Chriſto fruemur : quem ideo ceruam nominat : quòd ceruæ inſtar ab hoſtibus ſuis veluti canibus exagitatus fuit: qui venatum ad ſupplicium traxerunt, & ſuffixum cruci crudeliter occiderunt.

I.

Deus Deus meus reſpice in me : quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorum.

Querela continuata, συνεχὴς ὀδυρμός: qua ærumnas ſuas deplorat, & ſe abiectum eſſe à Deo lamentatur: quem ſuum appellat : vt intelligamus naturam fidei : quæ in maxima omnium rerum deſperatione nihilominus ad eum confugit, qui videtur eſſe inimicus. Propoſitio hæc eſt. Opem fer miſero, & calamitoſo auxilium. Facit autem ingeminatio, δίπλωσις ἀναφορική, verborum, & interrogatio, ἐρώτησις, & ellipſis, ad πάθος, & animi interiorem motum exprimendum. O qui charitas es mi Deus, & pater miſericordiæ, & vniuerſæ conſolationis, mi optatiſsime Deus, quid cauſæ eſt, quod chariſsimum acceptiſsimumq́; tibi deſeris me : nec querelis meis, & gemitibus ineffabilibus moueris, nec ſubſidio mihi venis, & auxilio? Calore æſtuq́; confecti cerui inſtar clamo : præ animi ægritudine in morem Leonis rugio Verùm queſtus quiſnam lachrymasq́; meas animaduertit : quis ærumnoſo, et à naturis omnibus relicto Matth. 27.
fert ſuppetias? Derelinquitur, καταλείπεται, à Deo vir pius, Marc. 15.
qui

qui non quidem re vera deſtituitur ope, auxilioq; diuino: ſed in mœſticia, qua ex ſceleris admiſsi recordatione conflictatur, ab irato Deo, explodi ſibi, & ad Orci tenebras amandari videtur. Iam Deus non is eſt, cui placeat peccatum: quare verè offenſionem habet] ad ſcelera, & flagitia omnia, & atrociter iraſcitur vniuerſis peccatoribus: qualis cùm Chriſtus, licet innocentiſsimus, eſſet: factus pro nobis peccatum, vt, quæ nos ſupplicia commerueramus, morte maximè probroſa perſolueret: contaminatum eum, pollutumq; noſtris culpis, & vicijs adeo auerſatus eſt pater æternus: vt ſol etiam ipſe, qui contra naturam defecit, non dignatus ſit deformitatem illius cœli de vertice ſummo adſpicere: & ſub pedibus mugierit tellus: ſola vaſta mota ſint, & ſaxa fiſſa ad immenſum peccatorum pondus. Non immeritò igitur in vehementia, & in exhauſto anguſtiarũ, & vulnerum, quæ infligebantur illi à peccatis noſtris acerbitate, trabem infandam ſcandens, pendensq; per auras

Horruit, atq; Deum veluti ſe oblitus

cruciatibus ingentium pœnarum preſſus, & laqueis mortis circumplicatus, & in labyrinthum malorum concluſus, in gemitus, & clamores validos, cum lachrymis, vt loquitur Apoſtolus, erupit, Deus Deus meus, quare me deſeruiſti: (Heb. 5.)

Heu quiánam extremis Genitor me ſumme periclis
Deſeris: an tanto ſolum in diſcrimine linquis?

Quid verò, num admiſiſſe quid in ſe delicti Chriſtum dicemus: aut in auerſatione poculi in horto, & deprecatione ſupplicij: aut affectibus, & quiritationibus, rugitibusq; eiusmodi in cruce? Minimè. Sed hoc ſtatuendum eſt: cùm humana natura, quam filius Dei ex virgine intemerata aſſumtam, extra omnem culpam, & peccatum poſuit, in primo generis noſtri parente ad interitum condita non eſſet: non potuiſſe non eam in Chriſto ad lacerationem neruorum, & ingruentem mortem cohorreſcere: & dolore angi, vt, quemadmodum loquitur Hilarius, non ſimulatus homo, ſed verus poſſet intelligi. Quis

autem

autem neſcit, vt eſt apud Auguſtinum, maximam habere vim carnis, & animæ dulce conſortium: quis porrò ignorat ſecundum Apoſtolum, mundis, & puris, pura, & munda eſſe omnia? Mors contra naturam inuaſit: & ideo natura mortem fugit. Theophylactus. Tit. 1.

II.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Amplificatio à circumſtantijs. Vocò mi Deus interdiu, nec preces meas audis: clamo noctu, & quidem ſine vlla intermiſsione: nec ad me, quo ex omni ſeculorum memoria nemo ærumnis, & miſerijs tantis oppreſſus fuit, conſolandum, & dolores alleuandos meos vel minimam partem aggrederis. Nocte clamat Chriſtus in horto: Mi Pater, ſi vllo modo fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: Die: Mi Deus, mi Deus, cur me deſertum pateris? Audiat hæc, cum Caſsiodoro vt loquamur, querulum humanum genus, quod petitiones ſuas ſine dilatione compleri deſiderat: cùm ne Chriſto quidem, qui merebatur audiri, preces magno clamore effuſæ ſalutem attulerint.

III. IIII. V.

Tu autem in ſancto habitas: laus Iſrael.

In te ſperauerunt Patres noſtri: ſperauerunt & liberaſti eos.

Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt & non ſunt confuſi.

Exagge-

Exaggeratio per ἀντίθεσιν, ſed παραμυθίᾳ latente temperatam. Alij cum prece, & obſecratione humili vtentes, exauditi ſunt abs te, idq; propter me: nunc ad ſupplices meos, & queribundos clamores aures non adhibes tu: qui, nunquam non tui ſimilis, ille auguſtus, & quos omnibus antepoſuiſti nationibus laus Iſraëlitarum, & gloria, te in medio populi tui, collocato domicilio, commoraturum, & clamantium ad te preces ex ſanctuario tuo exauditurum promiſiſti. Tibi, omni ſalute in clementia tua conſtituta, confiſi ſunt maiores noſtri: & confidentes liberaſti: ad te preces adhibuerunt: & ex periculis eos eripuiſti. Nemo de pijs ſuperiorum temporum ad tuam miſericordiam fidenter ſe recepit: quin, minimè fruſtratus tuo auxilio, præſidioq; ſaluus, & incolumis ex periculis, & malis omnibus euaſerit.

VI.

Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.

Et illi quidem homines fuerunt, & quamuis opprimerentur malis plurimis, calamitatibusq;, præterea ab inimicis etiam vexarentur, exagitarenturq;: tamen & ipſum per ærumnas lucebat decus: & autoritatem, ac quod nomen eis, quantum eorum eſt, qui in terra ſunt maximi, conciliaras, inter ſuos retinebant, & quantiuis precij habebantur: at ego vermis ſum, non homo: mortalium, qui diuina non capiunt, opprobrium, & populi contemtus. Dixerit quis à religione Chriſtiana remotus, in crimine hæc inuidentiæ erga alios, contumeliæ verò in Deum proferri: quaſi accuſet Patrem cœleſtem Seruator noſter: & de honore diuini numinis in obiectatione iniquitatis detrahat: quòd ſe præ alijs multis ad ipſum nulla parte conferendis poſteriora ferre ſinat: Sed meminerimus Chriſtum,

*vt noſtris infirmitatibus affici poßit, in omnibus ſimiliter peri-
clitatum eſſe, verùm citra peccatum, vt habet autor epiſtolæ
quæ Hebræis eſt inſcripta. Vt autem nomen Chriſti in mundo* Heb. 4.
vermis eſt, Hominum opprobrium, Contemtus populi, σκώληξ,
ὄνειδ☉ ἀνθρώπων, ἐξουθένημα *(nullificamen, vt eſt apud Ter-
tullianum)* λαοῦ: *ideoq́; mirum videri non debet, ſi ſectam il-
lius ſequentes mundi recreamenta, & quisquiliæ publicæ,* πε-
ρικαθάρματα τοῦ κόσμου, καὶ πάντων περίψημα *appelli-
tantur: Sic verbum quoq;, & doctrina cœleſtis pro verme pu-
tatur: & nullo neq; numero, neq; loco habetur in mundo:
vt iam de dilaceratione, verberatione, cruci quaſi ſuffixione,
occiſione, in ſepulchrum illatione, & è terris ad poſtremum
amandatione illius nihil dicatur: omnibus minimis, maximis,
ſummis, infimis è poculo ſcorti Babylonici fecibus ſeſe iræ di-
uinæ ingurgitantibus. Hagnon. Reſpicit autem appellatione
vermis,* σκώληκ☉, *ad ſerpentem Moſis, cui ſeſe comparat
Chriſtus ipſe apud Euangeliſtam. In Chriſtum enim omne vi-* Iohan. 3.
*rus ſcelerum, omne criminum, peccatorumq́; venenum incubuit
adeo: vt deſpicatißimo ei hominum, & minùs, quàm homini
neq; ſpecies eſſet, neq; decor, vt eſt apud Eſaiam. Hæc autem* Eſa. 53.
*ignobilitatis argumenta, inquit Tertullianus, primo aduentui
competunt, ſicut ſublimitatis ſecundo, cum fiet. Auguſtinus an-
notat, à quibusdam intelligi Chriſtum dici vermem: quod ſicut
vermis de carne ſine concubitu: ſic ipſe natus ſit ex virgine. Ep.
110. de Temp. ſerm. 181.*

VII. VIII.

Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs & mouerunt caput.

Sperauit in Domino eripiat eum: ſaluum faciat eum quoniam vult eum.

P *Alia*

Alia exaggeratio à perſona Iudæorum. Quid de meis dicam, quibus propriè, peculiariterq́; vt ſalutem darem, hominis munus ſubij? Illi verò non modò nullum ex miſerijs meis dolorem capiunt: ſed capitis etiam quaſſatione, ſic in cruciatus, & ærumnas meas inſultant: Matth. 27. *In Deo illi omnis ſpes conſtituta fuit: liberet ergo illum, & eripiat: ſiquidem eius tam cupidus eſt, eumq́; tam carum habet, & acceptum. Refert voces hoſtium in ſe contumelioſas: quibus abiudicant à miſero Dei fauorem omnem, & beneuolentiam: vt, qui nec viſum illam velit, nec auditum in omnem ſeculorum æternitatem. In verbis Chriſti μίμησις eſt, in aduerſariorum εἰρωνεία, ſeu σαρκασμὸς potiùs à nequam dæmone profectus: cui volupe eſt cum igneis telis de exploſione æterna corda ferire Chriſto initiatorum: tum concitare in pios odia, conuicia, diras, execrationesq́; omnium mortalium: quibus tamen, licet manibus, pedibusq́; obnixè faciat omnia, nihil agit: nam gratia diuina facit, vt ſemper in Chriſti negocio triumphemus.* 2. Cor. 2. *Nulla illi à Deo ſalus ſperanda: non fauet illi ampliùs numen cœleſte: proiecit illum, quem iactauit, parens diuinus in perpetuum.*

En qui ſe cœlo miſſum, ſuperiq́; parentis
Progeniem iactat.
Falſus abeſt illi longè, nec talia curat
Nunc genitor.
Talia iactabant, mediaq́; in morte dolore
Semianimem hoc etiam cumulabant.

IX. X.

Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.

In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

ἐπιμβολῇ, qua ab ortus ſui ſingulari, & inaudito prius modo, & ratione, conſolatione interiecta contra voces aduerſariorum confirmat ſeſe, & à dolore auocat. Hoſtibus quidem videtur, quaſi Deus omnem de me Patris animum eiecerit: verùm perſuaſiſſimum mihi eſt, me ab illo diligi: ideóq; fieri non poſſe, quin in medio ſupplicio, medijsq́; cruciatibus illi curæ ſim. Tu tamen is es, qui me ex aluo materna non virili ſatu, ſed vi ſancti Spiritus grauidata, extraxiſti: de tua voluntate ſuſceptus in lucem, & cœleſti Spiritu auctus ſum: ſub vberibus matris, tuo beneficio omnem meam ſpem in te vno poſitam habui: tibi ab vtero materno concreditus ſum: cùm primùm editus in lucem inter homines agere cœpi, tu mihi Deus. ἐπιμονῇ eandem ſententiam alijs, atq; alijs verbis ſubinde repetit: & oſtendit contra naturæ corruptæ, & deprauatæ morem, & ordinem abſq; peccato ſeſe & conceptum primùm Spiritus ſancti opera, & in lucem deinde à matre caſtiſſima editum, nuſquam niſi in amore, beneuolentiáq; Patris cœleſtis conquieuiſſe: ex quo conficiatur: fieri nullo modo poſſe, quin, quod peccati ſit expers, gratum, acceptumq́; ſibi ex ærumnis & miſerijs ſit erepturus. Hos verſus explicat Tertullianus libro de carne Chriſti. Pſal. 71.

XI.

Ne diſceſſeris à me: quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.

Miſcet querelis preces. Hæc ita cùm ſeſe habeant, ne verò longius à me in tam præſenti periculo diſceſſeris: neq; enim qui ſubueniat mihi, opemq́; ferat, te excepto quisquam eſt: ſi tu Pater me deſeris, perij. Ad dexteram intuens video nullum eſſe, qui me agnoſcat: perijt mihi perfugium: non eſt, qui meam vitam curet. Pſal. 142.

XII. XIII.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.
Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo rapiens & rugiens.

Redit ad commemorationem calamitatum, & permutatione, quæ eſt allegoria, hoſtes ſuos Phariſæos, legis conſultos, optimates, prætorem, Herodem, & præſenti tempore Curionem maximum, cauſiatos, linteatos, hypocritas, & ſuperſtitionibus obligatum, qui Filij Dei meritis, gloriæq; manus affert, vniuerſum Sophiſtarum manipulum, belluis conferens, petulantiam illorum, crudelitatemq; taurorum efferatorum, & leonum violentorum immanitati componit. Tauri me cingunt: boues Baſanici me circumſedent: circumuallant me leones rugientes: & faucibus apertis in me inuadunt. Baſana fertilitate, & copia paſcuorum nobilis fuit. Hinc tauri Baſanici, pro bene habitis, ideoq; pinguibus, & opimis, ac tandem, μεταληπτικῶς, ferocientibus.

XIIII.

Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens: in medio ventris mei.

εἰκὼν, qua animi ærumnis, corporis verò doloribus oppreſſi effectus depingit, & amplificat. Nihil virium in miſerrimè vexato animo, & plagis crudeliſſimè contuſo corpore reliquum eſt: omni robore deſtitutus ſum: vt aqua diffluo: ſanguis

vt fracta fontis liquor effluit vrna:

oſſa luxata, diſſoluta, & ſedibus ſuis mota ſunt: cor, vt ſole remolleſcit, intabeſcitq; cera, liqueſactum eſt, & dilapſum in medijs vi

dijs vi

dijs viſceribus. Cor populi liqueſactum eſt, factumq́; quaſi aqua. Ioſua. Bene poſuit aquam: quia nihil nouit corpus Christi, niſi peccata lauare. Arnobius. Ioſ. 7.

XV.

Aruit tanquam teſta virtus mea: & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.

Vis membrorum omni ſucco, ſanguine, & calore vitali amiſſo confecta eſt, ſtupetq́;: artus omnes inſtar teſtæ exaruerunt, lingua mihi faucibus adhæret ſiti, neq; quicquam eſt propius, quàm vt profuſa vita in cinerem redigar. Vt perficeretur, inquit, Euangeliſta, quod ſcriptum erat, dicit Chriſtus, Sitio. Ioh. 19.
Solent autem, qui eo ſupplicij genere, quo Chriſtus, intereunt, vehementi diſcruciari ſiti, ſanguine nimirum vulneribus, & tormentorum acerbitate exhauſto.

XVI. XVII.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me: foderunt manus meas & pedes meos.

Dinumerauerunt omnia oſſa mea: ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me.

Quos tauris antea comparauit hoſtes ſuos, & leonibus, nunc canibus confert propter latratus calumniarum, & morſus conuiciorum, rabiem, & ſæuiciem. Circumſiſtunt me, vrgentq́; canes rabidi: me cateruæ ſceleratorum circumuallant: homi-

nes ſeri, & immanes me circumſedent. Theodoretus canes milites prætorianos intelligit, & gentes, iuxta illud: Non eſt bo-
Marc. 7. *num ſumere panem filiorum, & dare canibus.*

Foderunt manus, *Genus ſupplicij. Tendunt transuerſo brachia ligno.*

Diuerſaq; quibus affigunt cuſpide palmas:
Hinc atq; hinc mucrone pedes terebrantur eodem
Confixi:

tam immaniter diſtrahunt membra miſero, vt omnia oſſa enumeres: at ipſi me intuentes aſpiciunt: & ex tormentis meis, cruciatibusq; iucunditatem hauriunt. Qui leonem apponunt huius
Eſa. 38. *verſus principio, ἐλλειπτικῶς neceſſe eſt eum intelligant, & verbum addant, quo vtitur Ezechias, Contriuerunt. Sunt qui in voce Hebræa, neſcio quid occultè latentis numeri affirment contineri. De quo conſulendi, qui à Cabala nomen inuenerunt.*
Zach. 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum. Zacharias.*

XVIII.

Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea: & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Mea inter ſe veſtimenta partiuntur: veſtes meas ſorte, vt ſuam quiſq; partem ferat, diuidunt. Hoc ita eueniſſe ſacri nar-
Mat. 26. *rant hiſtorici Matthæus, & Iohannes, vt comprobaretur di-*
Ioh. 19. *ctum Prophetæ. Diuiſio, partitioq; διαμερισμὸς τῶν ἱματίων ad iactationem, oſtentationemq; victoriæ pertinet: ἀλληγορικῶς verò ſignificat, tum dilaniationem verborum, & ſententiarum diuinorum voluminum, quæ fit ab ijs, qui factiones in Eccleſia conſtituunt: tum direptionem opum ſacrarum, quæ ab ijs,*

Qui, pede glutineo quod tetigere trahunt. Vt canit Rutilius.

XIX. XX. XXI.

Tu

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.

Saluũ me fac ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

ἐπανάληψις, qua expoſitis, enumeratisq́; calamitatibus, & miſerijs ſuis, iam ad precationem redit: & obteſtatur, vt ſibi opem ferat, patrem cœleſtem, & è tantis malis, & ærumnis pro ſua bonitate, clementiaq́; eripiat. Cùm igitur tot, tantæq́; me premant miſeriæ, & ærumnæ, vt ad eas acceſsio fieri nulla poſsit: noli à tua me excludere miſericordia: fer ô Domine, in quo mea & ſpes, & ſalus ſita eſt vniuerſa, ſupplici tuo opem, & auxilium: ſubueni proiecto, & derelicto ab omnibus: pugna pro me, ab iniuria violentorum hominum hanc animam vindicans: hanc vnicam ex leoninis vnguibus eripe: defende me à faucibus belluarum, & à cornibus monocerotum tuere. Atrociſsimum eſt monſtrum monoceros, mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda ſuilla, capite ceruino. Cornu è media eius fronte protenditur ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor, ita acutum, vt, quicquid impetat, facilè ictu eius perforetur. Viuus non venit in hominum poteſtatem: & interimi quidem poteſt, capi non poteſt. Autor. Solinus. Vide Plinium lib. 8. cap. 21. Monoceros Diabolus eſt: qui imperium habet mortis, qua nihil formidabilius: cornu in fronte, peccatum, & lex damnans. Pſal. 35. 40.

 Nar-

XXII.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

Pſalmi pars altera de reditione Chriſti in vitam, & cruciatuum illius vtilitate, & fructu. Si preces meas admiſeris Pater, meq́; ad vitam rurſus excitaueris beatam, & ſempiternam: prædicatione extollam nomen tuum inter meos fratres : in cœtu ſanctorum frequente, & publico te celebrabo : non de inſtitutis priſcis, non conſuetudinibus per manus traditis, non more maiorum: ſed, quod eſt veritatis, & miſericordiæ, regno tuo diſſerendo. In magna hominum frequentia laudabo te. Autor.

Pſal. 65. *Verbo narrabo reſpicit ad illud. Non vos eritis, qui loquemini,*

Matth. 10. *ſed Patris veſtri Spiritus in vobis loquens. Fratres, ἀδελφοὺς, vocat omnes aqua, & Spiritu ſancto renatos : qui vera fide ad Deum conuerſi ſpes, rationesq́; ſuas in illo ſolo collocant. Vnde*

Heb. 2. *illud ad Hebræos; Non confunditur, (eum non pudet) eos appellare fratres. Et Chriſtus ipſe ad Magdalenam. Abi, inquit,*

Ioha 20. *renunciatum meis fratribus: me aſcendere ad Patrem meum, & Patrem ipſorum. Qua quidem voce conſolatione plenior fieri nulla poteſt: ſi enim fratres Chriſti ſumus : neceſſe eſt, nos Dei, adoptatos ab illo, liberos eſſe: quòd ſi liberos, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, Chriſti autem maioris fratris noſtri cohæredes: ſi modò ſimul patimur : vt ad eandem cum illo*

Rom. 8. *gloriam prouehamur, vt eſt apud Apoſtolum.*

XXIII. XXIIII.

Qui timetis Dominum laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum: timeat eum omne ſemen Iſraël.

Quo-

Quoniam non ſpreuit neq; deſpexit deprecationem pauperis: Nec auertit faciem ſuam à me: & cum clamarem ad éum exaudiuit me.

Μίμησις, qua exprimit cohortationem, qua excitaturus ſit timentes Dei, & Iacobi ſemen vniuerſum ad gratias agendas pro ſui liberatione patri æterno. Quorum mentes ex recordatione contaminatæ naturæ perculſas quidem, & abiectas, ſed diuino tamen beneficio excitatas rurſus fide, diuini Numinis obſeruantia imbuit: ornate præconijs Dominum: omnes, quorum eſt adoptio, fœdera, legislatio, cultus, & promiſſiones, Iacobi poſteri, honore afficite Dominum, neq; ſpe effrenati, neq; timore deſperantes. Nam non aſpernatus eſt deſpicati, contemti, & minùs quàm hominis ærumnas: confiſione ex animi certa profectum clamorem ſupplicis ſui non deſpexit: ad inopis, & oppreſſi quiritationes attentas aures propitius adhibuit: quibus omnibus in quam non de diuina vos opitulatione minoribus oppreſſos malis, & miſerijs ſpem induci par eſt? Quid autem clamauit, inquit hoc loco Caſſiodorus, quid ſe dicit auditum? Vtiq; mors vti noſtra eius exitio finiretur: & peccatum veteris hominis redimeretur precio ſanctiſſimæ paſſionis. Chriſtus in ſumma paupertate natus, pauper vixit, non habens vbi caput reclinaret: idem nudus cruci ſuffixus, & mortuus in alienum ſepulchrum pauper eſt illatus. Rom. 9.

XXV.

Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Hæc ad vocatum gentium pertinent, & vocis gratiæ, charitatisq́; diuinæ in omnes orbis terræ partes ſpargendæ diuulgationem. A te mea laudatio, gratiarumq́; actio in conuentu celebri: in tui nominis commemoratione omne ſtudium meum, tempusq́; conſumam: idq́; præſentibus ſaciam omnibus, qui vim, maieſtatemq́; nominis tui reuerentur. Sacrificia memoris animi, quæ voui, in celebri cœtu, & conuentu piorum red-
Rom.5. *dens, nomen tuum grato perducam lætus ad ætera cantu. Gentes ſuper miſericordia laudate Deum, ſicut ſcriptum: propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Paulus Apoſtolus. Eccleſiam magnam, ἐκκλησίαν μεγάλην, intelligit non multitudinem incurrentem in oculos, quæ inſtar mundani regni principatum quendam obtinet, ac pro vera ſeſe Eccleſia venditat: ſed cœtum conflatum ex Iudæis, & omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, gentibus: qui nullis neq; locorum, neq; temporum ſpacijs, aut limitibus incluſus, per totum orbem terrarum ſuſus, ideoq́; Catholicus, vnum caput habet, qui eſt Ieſus Chriſtus, vnamq́; doctrinam, quæ eſt gratuitæ peccatorum remiſsionis, profitetur: & ritus diuinitus traditos, & inſtitutos retinet, nec ad dexteram, nec ſiniſtram declinando, credens in reſurrectionem, non derelicti, vt eſt apud Auguſtinum. Vota, εὐχαὶ, non obligationes ſponſionum, quibus externis corporum geſtibus religionem adumbrantes obſtringunt ſeſe, non quidem Deo, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed iudicio, exiſtimationeq́; propria conſtituto Numini, quod eſt Idolum cordis, ſeu nequam potiùs dæmon ipſe: verùm laudes ſunt, celebrationes, & gratiarum actiones: quibus pij gloriam iuſticiæ Deo, ſibi verò dedecus tribuunt, & ignominiam.*

XXVI.

Edent pauperes & ſaturabuntur: & laudabunt Dominum qui requi-

quirunt eum, viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.

ἐξεργασία ab Euangelij effectu: quem imagine epularis accubationis depingit, reſpiciens ad couiuia quæ ſolebant celebrare Hebræi, cùm gratias Deo agerent periculo aliquo maiore liberati. Eſt enim doctrina reconciliationis, quaſi conuiuium quoddam, omni genere epularum inſtructum: quibus animæ nutriantur ad vitam cœleſtem, & immortalem. Tenues, inopesq; epulabuntur ad ſacietatem: Dominum laudabunt eius cupidi, ac ſtudioſi: animisq; viuent in omnem ſeculorum perennitatem. Inopes, πένητες, ſunt, quos pauperes Spiritu, πτωχοὺς τῷ πνεύματι, vocat Chriſtus Dominus, & eſurientes iuſticiam: ſaturandi pabulo animorum, quæ eſt doctrina cœleſtis, ac panis ille viuus, qui è cœlo deſcendens æternat edentes in omne ſeculum. Ad Euangelizandum pauperibus miſit me. Et: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Pauperes, inquit Auguſtinus, humiles ſunt, qui non alta ſapiunt: ſed timent timore illo caſto: non quo pœna formidatur: ſed quo gratia commendatur, intelligentes non meritorum ſuorum, ſed illius eſſe gratiæ, quòd ſaturati ſunt. Epiſt. 120.

Eſa. 61. Ioha. 6.

XXVII. XXVIII.

Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum: vniuerſi fines terræ: Et adorabunt in conſpectu eius: vniuerſæ familiæ gentium.

Quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur.

Gen-

Gentes, quæ falſis opinionibus imbutæ, ſuperſtitionumq́; fœditatibus irretitæ, noticiam Dei ex animis deleuerant, auerſæ ab Idolis ſuis, & doctrina cœleſti excultæ miſericordiæ diuinæ ſcientia augebuntur: & ad ſanitatem, meo beneficio, reuerſæ omnium rerum moderatorem, & principem, aduoluti eius genibus venerabuntur: neq; enim Iudæorum Deus ſolùm eſt, verùm etiam gentium, & extraneorum: non ſolùm Hebræorum res moderatur, & adminiſtrat: ſed vniuerſa terrarum ſola regit, gubernat, temperat.

XXIX.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram: & anima mea illi viuet.

Amplificatio, συνεκδοχῆ, quemadmodum etiam, quæ præceſsit gentium appellatio, intelligenda. Quid? quòd & pingues, qui ſunt reges, & principes, opibusq́;, ac pecunijs, circumfluentes, & deſcendentes in terram, qui pauperes, & in ſordibus iacentes, magno labore victum quæritant, ſine diſcrimine perſonarum, omnes doctrina Euangelij ſaturati Deum agnoſcent: & ſe, ſuaq́; omnia imperio Chriſti vltrò ſubiungent: idq́; propterea, quòd animam ſuam non ſeruarit: ſed eam, cùm eſſet rerum Dominus omnium, ſerui forma aſſumta, pro multis piaculo expoſuerit. Adorabunt eum omnes reges terræ. Autor. Et erunt reges educatores tui, & reginæ, ac fœ-
Pſal. 72. *minæ principes nutrices tuæ. Et ambulabunt reges in ſplendo-*
Eſa. 49. 60. *re ortus tui. Eſaias. Deſcendentes in terram καταβαίνοντες εἰς τὴν γῆν, qui in puluerem rediguntur, etiam mortui intelligi*
Ioh. 5. *poſſunt: vt, Venit hora, in qua omnes, qui ſunt in monumentis, audient vocem eius, & prodibunt.*

Et

XXX. XXXI.

Et ſemen meum ſeruiet ipſi: Annunciabitur Domino generatio.

Ventura: & annunciabunt cœli iuſticiam eius, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Concluſio quæ eſt ὑπόσχεσις, promiſsio de doctrinæ cæleſtis, & Eccleſiæ permanſione perpetua. Semen erit, quod ſeruiat illi: narrabitur de Domino in perpetuum: Domini fiet in futurum mentio: venient ex tenebris in lucem vocati diuinam, qui poſteris explicent, & exponant, qua ſit vſus iuſticia: naſcentur ex aqua, & ſpiritu, qui tot, & tanta beneficia virtute diuina in mortales collata, & bonitatem, miſericordiamq; interminatam in infinita poſteritate grata celebratione, prædicationeq; extollant. Semen, τὸ σπέρμα, cum omnes ſunt in filios Dei propter Chriſtum per fidem adoptati: tum in primis Apoſtoli, & quicunq; inſtitutionis ſuæ doctrina alios iuſtos reddunt: ſecundum illud: Pro patribus nati tibi ſunt liberi. Autor. Et: Pueri, quos dedit mihi Dominus, miracula & portenta. Eſaias. Pſal. 45. Eſa. 8.

PSALMVS XXIII.

PASTOR.

AGit Pſaltes & ſuo, & omnium piorum nomine gratias maieſtati diuinæ pro doctrinæ ſalutiferæ, quæ eſt gratiæ, & beneuolentiæ cœleſtis, diuulgatione, & cunctis terrarum finibus propagatione: vt, qua

qua maius beneficium dari hominibus à Deo nullum potuerit. Ea enim vocati,in ciuitatem æternam recipimur,& aggregati ad cœtum credentium, cooptamur in Eccleſiam: in qua ſola ſunt cum noticia diuinæ naturæ perfecta, tum cultus Deo grati, & accepti: & in calamitatibus, ac vitæ periculis omnibus corroborati confirmamur: & in morte ipſa ſuſtentamur, & conſeruamur. Vtitur autem oratione modificata, & permutatione, ſeu inuerſione, quæ Græcis eſt ἀλληγορία. Primùm enim confert ſeſe ouiculæ, quam Deus ipſe in vberrima paſcua iuxta fontes frigidos, & amœna fluenta depellat: diligentemq; eius curam gerat, virga ſua regendo eam,ne quà deerret: & baculo contra luporum incurſus, violentiamq; defendendo. deinde componit conuiuæ, cui pater æternus inſtruxerit menſam, vnde & vires recipiat, & iucunditate, læticiaq; reficiatur interminata. Itaq; ornat, & cohoneſtat verbum Dei modis, habitibusq;,καλλωπισμοῖς varijs, paſcua illud læta, vndam lene fluentis aquæ, ſemitam iuſticiæ, virgam, & baculum, menſam,vnguentum precioſum,deniq; poculum ad ſummum impletum appellans: & virtutem illius multiplicem diuerſis elogijs inſignitam explicans, & exponens: Cuius quidem cognitione quicunq; auctus eſt, & inſtructus, eum in proſperis pariter, & aduerſis nihil opum, diuitiarumq;, nihil iucunditatum, & voluptatum, nihil bonorum de-
Matth. 6. niq; vel animi vel corporis deficit: de ſententia illa ſeruatoris. Quærite primum regnum Dei, & cætera omnia vobis adijcientur. Quod cùm ita ſit: omni animi impetu, totisq; viribus in id incumbendum eſt, ne verbum Dei faſtiditum negligamus: ſed ad cœtum, doctrinam puram profitentium, adiuncti,&

gra-

grata animi inductione beneficium diuinum proſequentes, ſancte illud veneremur, & omiſſa cura, & ſtudio rerum cæterarum, libenter audiamus, diſcamus, & vita, moribusq́; exprimere: & repræſentare conemur.

I.

Dominus regit me & nihil mihi deerit.

Propoſitio. Paſcit me ſummus naturæ Dominus: quare nulla re, quæ vel ad corporis, vel animæ facit conſeruationem, deficiar. Nam qui Deum habet, omnia habet, nulliusq́; indigus vltra eſt. Per me qui introierit, ſeruabitur, & intrabit, & exibit, & paſcuum inueniet. Chriſtus. Dulciſſima eſt, & con- Iohan. 10.
ſolationis plena appellatio paſtoris: qua tenerè amantis nos oues ſuas omnium rerum moderatoris Domini, Deiq́; noſtri Ieſu 1. Pet. 2.
Chriſti (ille enim paſtor eſt animarum noſtrarum) cura pro nobis, & ſollicitudo, cum qua cumulus bonorum omnium coniunctus eſt, depicta ante oculos proponitur. Infirmum animal ouis eſt, molle, pauidum, imbelle, ſurum, & beſtiarum iniurijs expoſitum, ſimplex, & penè ſtolidum, ex quo natum eſt illud, τῶν προβάτων ἦθος*: ideoq́; paſtoris ſui cura, & defenſione noctu, et interdiu indiget. Quod quia naturæ ductu intelligit, ad illum ſeſe, quantum fieri poteſt, adiungit: illum ſequitur, vocem illius agnoſcit, vt inquit Chriſtus: alium non ſequitur, ſed fugit ab eo. Paſtoris autem officium eſt circumſpectum, & vigilantem eſſe: non ſolum, vt pabulo neceſſario ne deficiantur oues, ideoq́;*

cithyſum, lotoſq́; frequentes
Ipſe manu, ſalſaſq́; ferat præſepibus herbas:

verùm etiam, vt magna eos clementia moderetur, & longiùs ab eis non recedendo, ne quid detrimenti accipiant, prouideat: aberrantes quærat, & ad caulas reportet, teneriorũ curam agat: inua-

inualidis adhibeat medicinam,& quæ ſunt eiusdem generis pecorum magiſtri officia. Vt verò ouis ipſa paſcere,ducere,regere, & defendere ſeſe non poteſt: ita nec miſeri nos, & cæcitate animorum, ignorantiaq́; oppreßi, vinculisq́; peccatorum obſtricti, tyrannidi præterea Satanæ,& crudelitati mortis emancipati, ſponte nos ad cœtum credentium aggregare, & proprijs viribus, pabulo doctrinæ cœleſtis refecti ab interitu recipere, & ab hoſtibus tueri poſſumus: ſed à cura propicij Dei, diſperſos voluntate propria, dißipatosq́;,congregantis primùm, deinde in paſcuis lætißimis doctrinæ ſalutaris conſtituentis, omniaq́; in nobis Spiritu ſuo ſancto adminiſtrantis, & contra lupum Satanam defendentis, pendere neceſſe habemus: qui ſanè diligentior eſt, & vigilantior multò in ſalute noſtra procuranda, quàm vllus paſtor in cuſtodiendo grege ſuo: modò applicemus nos, licet ſine ſordibus peccatorum non ſumus, ouicularum exemplo, ad illum: atq; in promißionibus diuinis, &,quibus illæ repræſentantur, ſacris myſterijs recumbentes, contrà, quàm ſenſus, & atra nocte conſita dictat ratio, in clementiæ, miſericordiæq́; eius patrocinio acquieſcamus. Quod quia virium noſtrarum, opumq́; arbitrij proprij non eſt: adeundus nobis precibus eſt Pater cœleſtis, & rogandus: vt Spiritu ſancto ſuo mentes noſtras illuminet, voluntates inflammet,animos prorſus renouet: vt ad quærentis nos, & nomine vocantis oues ſuas paſtoris noſtri Ieſu Chriſti vocem reſiſtamus: & humeris Seruatoris in caulam nos beatam, quæ eſt Eccleſia, ſinamus deportari. Atq; huc pertinent imitatione facta ex hoc

Eſa. 40. Pſalmo illa: vt paſtor gregem ſuum paſcit: in brachio ſuo congregabit agnos, inq́; gremio ſuo feret: fœtas autem ſuauiter ducet. Eſaias. Colligam mearum ouium reliquias ex omnibus

Hier. 23. terris, in quas illas dißipauero. Hieremias. En ego ipſe quæram oues meas: illasq́; veſtigabo, vt paſtor gregem ſuum pa-

Ezech. 34. lantem & dißipatu inueſtigare ſolet. Paſcam illos in montibus Iſraelis propter riuos: & in omnibus agris, in paſcuis vberrimis

rimis paſcam eos. Ego ipſe paſcam oues meas, faciamq; vt molliter acquieſcant, ait omnium rerum Dominus Deus. Ezechiel. Ego ſum paſtor bonus: & animam do pro ouibus meis. Oues Ioha 10.
meæ vocem meam audiunt, Et ipſe vitam æternam do eis: & non peribunt in perpetuum: nec rapiet eas quiſquam de manu mea. Chriſtus. Væ incredulitati, & aſſentiendi contumaciæ: cui ad fideliſsimum paſtorem, curatoremq; animæ vt conuertatur, æterni quoq; exitij denunciatione, quod deuorandæ à lupo Satana imminet, perſuaderi non poteſt. Hagnon.

II.

In loco paſcuæ vbi me collocauit: ſuper aquam refectionis educauit me.

Expolitio, elaboratioq;, ἐπεξεργασία. Quà ros in tenera pecori gratiſsimus herba, in paſcua me depellit lætiſsima: conſtituit me primum

Hortus odoratis eſt quà cultiſsimus herbis,
Pictaq; diſsimili flore niteſcit humus:

deinde ad ripas ducens lene fluentis aquæ, refrigerat mentem meam: metus, dolores, lachrimas mutatq; æterno gaudio. Præfert, & anteponit regno ſuo, & opibus, ac diuitijs vniuerſis verbi Dei cognitionem: illorum enim poſſeſsio incerta eſt, & caduca: huius verò ſtabilis, & perpetua: vt ne addatur, quòd illa oculos modò paſcunt, & ventrem: hoc autem animum alit ad vitam immortalem. Atq; hanc ob cauſam, Diligo, inquit alibi Pſal. 119.
Dauides, mandatum tuum ſuper aurum, & obryzum. Et Pau- Phil. 3.
lus Apoſtolus: Arbitror omnia damnum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei. Locum paſcuæ, τόπον χλόης, ipſam Eccleſiam intelligit, quæ Dei παράδεισος eſt, & hortus, ſeu pratum donis Sp. ſancti conſitum pulcherrimis.

Paſcua *appellat ſcientiam, & doctrinam, de qua eſt apud*

Hieremiam, cùm inquit Deus. Dabo vobis paſtores iuxta cor
Hier. 3. meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. Eſt autem ſcientia illa, & doctrina aliud nihil, quàm patribus olim promiſſæ, nobis verò in Chriſto exhibitæ plena, & perfecta noticia diuinæ voluntatis: quæ verbo explicata vitalis aquæ aſperſu, & epulo cœleſti obſignatur. Ad quæ quidem comparata quisquiliæ ſunt opes, & honores, regna, & imperia, & cæteræ res omnes: quarum cupiditate noctes, & dies homines torquentur. Aquæ refectionis, ὕδατα ἀναπαύσεως, ſeu refrigerij, fontes ſunt Spiritus ſancti, & verbi diuini flumina amœniſſima: quibus mentes piorum, ne extabeſcant, recreantur, refocillanturq; in omnibus aduerſitatibus, periculisq; & animi, & corporis: non aliter, quàm viator, cui confecto longæ viæ moleſtia, datur æſtu in medio

Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo. Harum aqua-
Ioh. 4. rum mentionem facit Chriſtus: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons ſcaturiens in vitam æternam. Et: Qui credit in me, ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant
Ioha 7. credentes in eum. Iohannes Euangeliſta. Reſpicit tamen latenter Propheta ad aquam etiam τῆς παλιγγενεσίας, quæ eſt Baptiſmi. Agnus qui in medio troni eſt, paſcet eos, & ad viuos aquæ
Apoc. 7. fontes ducet. Autor Apocal.

III.

Animam meam conuertit: deduxit me ſuper ſemitas iuſticiæ: propter nomen ſuum.

Interpretatio: qua explicat & exponit, quidnam paſcuorum et aquarũ refrigerij appellatione velit intelligi: nimirũ placationem, & pacificationem conſcientiæ: quam non legis prædicatio, ſed Euangelij parit diuulgatio. Lex enim, quæ perfectũ & Dei, & proximi amorem à nobis flagitat cum denunciatione pœnæ perpetuæ,

perpetuæ, iram tantùm operatur, vt inquit Apoſtolus: quis enim eſt omnium hominum, qui numeris omnibus abſolutam obœdientiam legi præſtet? At verò Euangelium gratuitam clementis Dei beneuolentiam denunciat, & teſtatur, omni ſceleris contagione liberatos eſſe, qui fidenter confugiunt ad Filium Dei: qui vitam, & ſanguinem pro ouibus ſuis profundens, diſsipatos inueſtigauit, coegitq́;, & ad beatam cœli caulam, & gaudijs omnibus affluentem reduxit, vitam credentibus, & iuſticiam donans ſempiternam: quo & pabulo refecti, & aqua recreati non poſſunt non vires recipere animi: & voluptate, iucunditateq́; perfundi nullis ſeculorum ætatibus terminanda. Tranquillat animum meum: mentem ex recordatione miſeriarum ſuarum ſtratam, & perculſam erigit, & conſolatur: nec verò in paſcuis ſolùm vberrimis me conſtituit, non propter amœniſsima modò flumina animam meam recreat: verùm per iuſticiæ quoq; ſemitas me deducit, ne quando aut peſtiferas opiniones profitentiũ fallacijs deceptus, aut ſimulantium ſanctitatem futilibus commentis abductus, aut deniq; aggreſsionibus, impreſsionibusq́; hoſticis victus à recta & doctrinæ, & morum via auertar. Id autem facit nullis meis meritis, nulla prouocatus dignitate, ſed propter nomen ſuum, & bonitatem, munificentiamq́; infinitam. Rom. 4.

IIII.

Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es: Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Amplificatio προκαταληπτικὴ μετὰ πληροφορίας, *ornata imagine: qua occurrit obiectioni, quæ poterat opponi. Gloriari illũ quidẽ de diuina gubernatione, defenſioneq́;: verùm nullorum vitam miſeriorem, nullorũ fortunas plurib. calamitatum caſibus,*

& procellis obijci: quàm eorum, qui Dei ſunt partium, & ex præſcripto legum cœleſtium piè, honeſteq; viuunt: cùm contrà, qui nullum in cœlo numen, nullam vim diuinam putant exiſtere, adhæc fidem, & officium produnt, adeoq; Chriſti ſanguinem contumelia afficiunt, & pedibus crucem illius conculcant, in omnium rerum abundantia quietam, & delicatam vitam agant. Licet per atram, letiferamq; vallem iter faciam, nihil mali metuam: tu enim verbo tuo mecum es, vis, & robur mentis meæ, meum numen, meæ copiæ, arx, & defenſio ſempiterna: per huius vt vitæ vias formidoloſas ambulem ſecurus, & chari patris benignitatem ſentiam. Non ergo me nec humana vis, nec inferûm furor tremendus territat. Poteſtatem vobis do ſerpentes, ſcor-

Luc. 10. piosq; calcandi, & omnes hoſtis vires ita, vt nihil vos lædat. Chriſtus. Verbum Dei in mundo obſcuro, ceu loco lucens eſt lucerna, eaq; ſole, qui fulget meridie, clarior. Nam morituris non tantùm, qui luce ſua complet omnia Sol, verùm ratio etiam ipſa cum vniuerſa ſapientia, qua prædita eſt, extinguitur: at verbum Dei, qui ſol eſt æternus, in morte fideliſſimè prælucet nobis: idq; ſola Fides, præuium intuens, in vitam ſequitur immortalem. Hagnon. Vmbram mortis, σκιὰρ θανάτου vocat primùm fraudes, inſidias, oppugnationesq; Satanæ: deinde exagitationes conſcientiæ, & aſſiduis angoribus extabeſcentis cordis: adhæc vitæ huius diſcrimina, & pericula, in quæ crebriùs, quàm mortales cæteri, colentes Dei vocantur: tum vt fides illorum exerceatur, tum vt conſimiles fiant imaginis Filij Dei: verùm illi nulla vi periculorum, nulla mortis intentatione franguntur, idq; tutela, & præſidio Dei freti. Quid enim in illos mors iuris habeat, quibus vita præſens eſt: quid hominum improbitas detrimenti afferat, pro quibus rerum omnium princeps, & moderator propugnat Deus? Quis nos diuellat, & ſeparet ab amore Dei? Calamitas, an anguſtia, an vexatio, an fames, an nuditas,

Rom. 8. an periculum, an gladij? inquit Paulus Apoſtolus.

Virga tua. Expolitio ἐξεργασία allegorica ab officio paſtoris

paſtoris boni : qui non paſcit ſolùm gregem, ſed eundem etiam defendit. Me virga defendit tua,

Tuo bacillo fulcior.

Baculus, & virga, ὁ ῥάβδος, καὶ ἡ βακτηρία non eſt καλάυρωψ, & iugum Moſis, quod nemo ferre poteſt; ſed pedum amœnitatis, vt eſt apud Zachariam, hoc eſt, verbum, & Zach. 11. *doctrina reconciliationis: ad quam annexa ſunt, & adhærent initia diuina, & myſteria ſacroſancta: quibus ſeſe in rebus triſtibus, omni deſtitutus conſilio, auxilioq́; alleuat vir pius, & ſuſtentat: vt quorum virtute primùm in vera fide confirmetur, ac via veritatis dirigatur: deinde in periculis, & calamitatibus omnibus, adeoq́; morte ipſa defenſus conſeruetur. Euangelium enim potentia eſt diuina, ad ſalutem omni credenti, inquit Apo-* Rom. 1. *ſtolus: neq; tantum eſt, tamq́; graue & intolerandum malum vllum, quod non ſuperare queat Deo addictus animus: ſi ſe preſſius ad baculum, & virgam verbi cœleſtis adiunxerit.*

V.

Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.

Amplificatio ἀλληγορικὴ: qua alludit primùm ad menſam ſacram, cui panes appoſiticij imponebantur: deinde regum vnctiones: adhæc conuiuia ſolennia, cum gratias agerent Deo Hebræi periculo aliquo maiore liberati. Tu mihi ex aduerſum eorum, qui me angunt, miſerumq́; habent, menſam inſtruis: frendentibus, indignantibusq́; inimicis meis conuiuium paras, & epulis me ſaturas lætiſſimis. Non vincit Eccleſia aduerſarios ſuos, peccatum, ſtimulos ſodicantis conſcientiæ, mortem & Satanam armis, & machinis bellicis: ſed ſolo verbo Dei,

 quod

quod menſam nominat vir ſanctus: ad quam accumbens pius animus, & ſuauiſſimo, ſaluberrimoq́; paſtu refectus ſecuritatis, tranquillitatisq́; animi tantùm concipit, tantùm roboris, firmitatisq́; aſſequitur: vt nullis angoribus conſcientiæ, nullis rebus aduerſis, nullis improborum oppugnationibus de fidei in Deum
Matth. 6. *conſtantia poſſit deijci. Huc illud referendum. Non in ſolo pane*
Matth. 4. *viuit homo: ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei. Menſa, τράπεζα, doctrina eſt librorum diuinorum voluminibus comprehenſa: quæ epulanda proponitur in conuiuio, quod eſt*
Eſa. 25. *Euangelij, de quo eſt apud Prophetam. Illi è concilio gaudentes diſcedebant, quòd digni habiti eſſent, qui propter nomen Ie-*
Act. 5. *ſu afficerentur contumelia. Lucas. Actis.*

Impinguaſti) *Meum caput vnguento, quod galeæ mihi vicem præſtat perungis: poculum, quod inſtar eſt gladij ad ſummum vſq; imples: ex quo amore diuino, Spiritus ſancti beneficio, ebrius non dubito læto, & alacri animo dicere: non timeo legiones hoſtium, qui vitam meam ferro, inſidijsq́; expetunt: atq; adeo, quæ mihi lucrum, ne mortem quidem exhorre-*
Lucæ 2. *ſco, hoc cum carmine è vita migraturus: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum promiſſionem tuam placidè. &c. Balſami, vnguentorum, & aromatum vſus erat cum in regum, ſacerdotumq́; inaugurationibus: tum diebus feſtis, quod ijſdem*
Ioh. 12. *perfundebantur conuiuantes. Sic Maria Chriſtum Dominum*
Matt. 6. *vngit apud Euangeliſtam: & Seruator ipſe: Cum ieiunas, inquit, vnge caput tuum, & vultum laua. Calix, ſeu poculum, hoc eſt, vinum exhilarat cor hominis. Oleum, eſt ipſe Spiritus ſancti afflatus: qui alio loco oleum læticiæ nominatur. Vinum ipſum, verbum Dei, & rerum diuinarum ſcientia: quam, donet nobis gratia cœleſtis, vt appetamus animis ſitientibus, & læti bibamus ſobriam ebrietatem Spiritus, vt Magnus canit.*

VI.

Et miſericordia tua ſubſequetur

tur me: omnibus diebus vitæ meæ: & vt inhabitem in domo Domini: in longitudine dierum.

εὐχὴ, ſeu promiſsio potiùs, Epiphonematis loco adiecta. Bonitas me tua, & indulgentia, quàm diu lucis vſura fruar, comprehendet: & domum Dei in omnem æternitatem incolam. Perpetuò defendar à paſtore Domino, Deoq́; meo, & epulis ſaluberrimis verbi ſacri ad æternitatem alar: ac deductus tandem in cœleſtis patriæ caulam, cumulatus gaudijs, quæ nec oculus vidit, nec audiuit auris, nec in cor hominis aſcenderunt, perfectè, cumulateq́; beatus in ſempiterna contemplatione acquieſcam eius,

Vnus qui omnipotens, & Rex hominumq́;, Deûmq́;.
Æternumq́; bonum ſimplex, & ſumma voluptas.

Præuenit miſericordia impium, vt fiat iuſtus: ſubſequitur iuſtũ, ne fiat impius. Præuenit donans homini bonam voluntatem, operando in illo boni operis facultatẽ. Fulgentius ad Monimum.

PSALMVS XXIIII.

REX ECCLESIAE.

ORaculum de regno, quod Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus in orbis terræ nationes vniuerſas habiturus ſit: quo hortatur Propheta portas mundi, qui ſunt reges, & principes, vt locum dent Chriſto, et ſub ditionem ſeſe illius animis volentibus ſubiungant. Verùm enimuero ita comparatum eſt ingenium mundi: vt nulli magis auerſentur, & medium, quod dicitur, digitum oſtendant Chriſto Domino: quàm qui ad gubernacula ſedent rerum publicarum: quorum quidẽ adeò effrenatus eſt, & præceps

ſuror: vt ore perſricto, barbaroq́; dicere nequaquam dubitent: quis eſt iſte rex glorioſus: mendicum videmus, & qui, pedem vbi ponat in ſuo, non habet: opibus, & honore circumfluentem non cernimus: noſne doctrinæ corruptori, & inſtituta priſca, & traditas à maioribus conſuetudines repudianti, nos homini edaci, vinoſo, publicanorum, ac improborum amico, furioſo, concitatori populi, in crucem deniq; acto pareamus? Quæ omnia dum ſuis verbis refellit vates: & omnino recipiendum eſſe regem gloriæ pronunciat: ſimul innuit, fore vti verbum Dei falſitatis, regnum Chriſti ſeditionis, & turbarum omnium inter homines inſimuletur: & contemtum, deſpectúq́; profligetur, & locis ex omnibus exigatur.

I.

Domini eſt terra & plenitudo eius: orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.

Domini & terra, & terreſtria ſunt omnia: Domini eſt
orbis, & quicquid ille complexu ſuo continet: Dominus impe-
Pſal. 50. *rium tenet in terras: &, quæ illas incolunt, gentes vniuerſas.*
Incipit à narratione, expoſitioneq́;, qua omnes fines terrarum
in regno, ditioneq́;, gubernantis, fouentis, tuentis, & numine
ſuo ſuſtentantis omnia, Chriſti eſſe pronunciat: ſicut etiam il-
lud docet: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.
Pſal. 2. *Et Chriſtus ipſe. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in*
Matth. 28. *terra. Hoc eò pertinet, primùm, vt ſciamus, Eccleſiam ad cer-*
tum locum affixam, & alligatam non eſſe: non enim habet ra-
tionem Deus perſonarum, & locorum: ſed ex omnibus gentibus
Act. 10. *colligit ſibi ciuitatem fidelium: & vbicunq; ſunt, qui timent*
Rom. 8. *Deum, & operantur iuſticiam, accepti ſunt illi, inquit Petrus:*

& Paulus:

& Paulus: An Iudæorum tantùm Deus, nonne & gentium? Imò & gentium: Deinde ſi in ditione Chriſti eſt & terra, & omnia terreſtria: certum eſt, nos quoq;, ſiue comedamus, ſiue bibamus, ſiue viuamus, ſiue moriamur in poteſtate illius, adeoq; Dominos etiam eſſe rerum cunctarum: modo in omnibus gloriam diuinam ſpectemus, vt monet Apoſtolus. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Vox Baſilij ad Modeſtum minitantem ipſi exilium. 1. Cor. 10.

II.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.

Quam ex nihilo mira virtute creatam conſtituit, vt vim aquarum in vnum locum coactarum ſupereminceret: quam ad flumina fixit, &, extaret vt vndis, ædificauit: vt habitanda animantibus ſeſe efferret aquis, cumuliq; inſtar emergeret. Pſal. 161.
Terram ſuper aquas extendit. Autor. Flumina Auguſtinus aquas intelligit, quas intra ſe conditas habet terra: quæ, quaſi per venarum fiſtulas fluitantes, præſtant ei denſitatem: ne, penitus ſicca, fragilis eſſet, & inutilis ad culturam. Quæſt. Vet. & Nou. Teſt. Verùm maris, & fluminum appellatio non ad conſtitutionem mundi ſolùm referenda eſt, cùm iuſſit Deus, vt vnum in locum confluerent aquæ, & appareret arida: ſed ἀλληγορικῶς curſum quoq; Euangelij, & verbi diuini: ſuper quo fixa eſt, & fundata ex omnibus gentibus conflata Eccleſia: Nam etiam Pſalmo proximo aquarum nomine verbum intelligit: ad aquas refectionis educauit me.

III.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco eius ſancto.

Διαλογισμός. *Proponit ſibi* ἐρωτήσεις *quæſtionem ipſe. At quis tanta cumulabitur felicitate, & beatitudine, vt in montem aſcendat Domini? quis pede fixo in ſacro eius ſtabilem habebit ſedem palatio? Dixit Eccleſiam omnibus ex terris diuulgatione doctrinæ ſalutiferæ colligi: nunc qualis populus ipſa ſit Eccleſia demonſtrat, & conueniunt hæc cum principio Pſalmi de ciue cœleſti: Quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Mons Domini,* τὸ ὄρος τοῦ κυρίου, *Eccleſia eſt, propter templum Sionium, in monte ædificatum: quemadmodum explanat ipſe cum inquit: quis in eius ſacro loco ſtabit. Acceßiſtis ad Sionem montem, & Dei viuentis vrbem Hieroſolymam cœleſtem. Autor epiſtolæ ad Hebræos.*

Pſal. 15.

IIII.

Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Ἀπόκρισις, *qua deſcribit Eccleſiæ ciuem* ἀπὸ τῶν ἐμπορευμάτων, *ſeu effectibus, hoc eſt fructibus, quibus fidei veritas comprobatur: quemadmodum etiam Chriſtus inquit: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Qui ab omni ſibi iniuria erga proximi vitam, fortunas famamq; temperat: qui in id vnicè dat operam, ne vllo flagitio ſeſe & ſcelere contaminet: qui beneficio diuino agnoſcens deprauationem naturæ ſuæ totus ſibi diſplicet: & in ſola Dei miſericordia fide, qua purificantur animi, acquieſcens, numen cœleſte verè, & ex animo colere ſtudet: qui doctrinæ cœlitus traditæ cupidus animum ſuum non adijcit ad ſpecie ſanctitatis adumbratas nugas, & ceremonias, quibus inſolentes, & elati in fraudem illiciunt, & in exitium præcipitant alios Hypocritæ: poſtremo, qui ſimplicis veritatis ſtudio*

Matth. 7.

ſtudioſus, ab omni mendacio alienam mentem gerit : & , nominis diuini celebratione nihil habens antiquius, nec in doctrina, nec pactionibus , nec vlla re deniq; vanitatem orationis adhibet. Milita bonam militiam, fidem habens , bonamq; conſcientiam. Paulus. Manus tranſumtione, ſeu commutatione, quæ eſt μετάληψις, actiones ſunt ipſæ, & opera quæ manuum officio peraguntur. Accipere, ſeu leuare animam ad aliquid, eſt deſiderio alicuius rei captum teneri : ideoq; inhiare quaſi illud, & ſpe cupiditatis deuorare. 1. Tim. 1.

V.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Qui talis eſt, & hunc ad modum vitæ rationes inſtituit : licet in mundo afficietur cruciatibus , & infeſtabitur ab omnibus: à Domino tamen felicitatem, à Deo, ſalutis ſuæ autore, miſericordiam conſequetur: liberabitur à peccato, & exitio perpetuo : donabitur Spiritu ſancto : & receptus tandem in concilium cœleſtium præmijs afficietur ſempiternis. Reſpexit ad Gen. 3. *promiſsiones : Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Et :* Gen. 22. *in ſemine tuo benedicentur omnes nationes terræ. Benedictio, εὐλογία, opponitur execrationi, cui ſubiectum eſt vniuerſum genus humanum, propter ſuſceptum à primo patre, & in nos natura transfuſum facinus : miſericordia verò, ἐλεημοσύνη, ſeu iuſticia, peccato : quo abolito Chriſti munere, & beneficio, innocentia, & bonorum omnium cumulus, ac vita deniq; æterna , & cunctis affluens gaudijs credentibus reſtituitur. Pietas promiſsionem habet præſentis vitæ, & futuræ. Paulus.* 1. Tim. 4. *omnes hominum iuſticiæ nihil ſunt, in comparatione donorum, quæ à Deo nobis ſuppeditata ſunt : ne dum ad futura munera, quæ omnem humanam cogitationem tranſcendunt. Theodoretus.*

Hæc

VI.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

ἐφαρμογὴ, qua Eccleſiæ deſcriptio ad priora accommodatur. Qui aſcendunt in montem Domini, & ſtant in loco ſancto eius, generatio ſunt, hoc eſt, ſoboles, progenies, & poſteritas eorum, qui verè ſunt ſtudioſi Domini: &, præſentiæ numinis cupidi, habitare geſtiunt in domo Domini in perpetuum. Facies Dei, τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ, mens eſt, & voluntas diuina Lege & ceremonijs Leuiticis Hebræis, nobis verò verbo Euangelij, & ſacris myſterijs propoſita, & explicata. Quærere faciē Dei Iacobi, ζητεῖν τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ Ἰακώβ, eſt cupere participem fieri promiſſionis factæ Iacobo patriarchæ: & verbi, ac doctrinæ ſalutaris ſtudio incenſum eſſe.

VII.

Attollite portas principes veſtras: & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Παραίνεσις, qua hortatur reges, & principes, vt Dominum, cuius eſt orbis terrarum, & quicquid eo continetur tectis, animiſq; recipiant: eiq; promta mentis alacritate pareant. Tollite altius portæ capita veſtra: efferte vos aditus perennes, vt rex glorioſus introëat: reſerate principes portas veſtras, & aperiantur fores ſempiternæ: vt rex laude, honore, & gloria clariſſimus ingrediatur, nullis ſeculorum ætatibus terminandum imperium auſpicaturus. In portis oppidorum, quod & ſuperius annotatum eſt, iudicia fiebant, lites, & controuerſiæ dirimebantur, conſilia de negocijs ad rem commu-

nem

nem pertinentibus habebantur: quare per συνεκδοχὴν portæ pro ipſis magiſtratibus accipiuntur.

VIII.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Quis iſte Rex laude, honore, & gloria clariſſimus? μίμησις, quæ voces regum, principumq; exprimuntur, qui aduerſantur Chriſto Domino, doctrinæq; cœleſti: idq; forma orationis interrogatione elata, vt motus animorum, regem ſibi imponi indignè ferentium, magis oſtendantur.

Dominus fortis) *Reſponſio Prophetæ ὁρισμὸς ποιότητος: quis ſit Chriſtus. Quæritis quis glorioſus ſit iſte rex? ille verò eſt, qui imperium cœli, & terræ in perpetuum obtinet: ille eſt rex armorum, qui ſuo ſub numine torquet nequam dæmonem, peccatum & mortem. Hæc epitheta, κύριος κρατεὸς, καὶ δυνατὸς, κύριος δύνατος ἐν πολέμῳ, quia ſacris in literis Deo tribuuntur: ſequitur Chriſtum quoq; natura cœleſti, & æterna præditum eſſe: vt in quo tota diuinitatis plenitudo corporaliter habitet, vt loquitur Apoſtolus: ideoq; fore, vt, niſi ſint dicto audientes reges, & ſub ditionem ſeſe illius ſubiungi patiantur, de oppreſſis triumphet, & pœnis eos afficiat ſempiternis.* Coloſ. 2.

IX. X.

Attollite portas principes veſtras: & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Repeti-

Repetitio admonitionis, qua etiam atq; etiam hortatur magiſtratus: vt portas regi venienti, adituſq; pateſaciant. Hanc ſequitur iteratio μιμήσεως, & reſponſionis Prophetæ: qua ſignificatur nihil minus facturos reges, & principes, quàm vt locum dent Chriſto. Nihil igitur mirum, ſi ad inferos detruſi, æternis ab eo ſupplicijs mactabuntur.

PSALMVS XXV.

CRVCIATVS MENTIS.

ORatio pij hominis & mentis quidem ſynceritate non fucata Deum colentis, ſed mœrore tamen ex recordatione corruptionis, contaminationiſq; naturæ, & iudicij cœleſtis ſeueritatis ſtrati, & perculſi: ideoq; rogantis, vt miſericordia, in qua vna ſita eſt vita, & ſalus, ſibi tributa, erratiſq; clementer condonatis, iuſticia honeſtare, ac vitæ innocentia augere ipſum dignetur pater cœleſtis: & ab omni turpitudine, flagitioq; purum, & integrum cuſtodire: ac tandem ex vi hoſtili, maliſq; omnibus ereptum conſeruare. Intexit autem Propheta non pauca de laudibus clementiæ, miſericordiæq; diuinæ: quibus cum afflictorum metu iræ Dei animos à mœrore auellit: tum non obſcurè inuehitur in eos, quorum Deus venter eſt: qui, vt errorum prauitatibus mentes imperitorum imbuant, mendacia ſpecioſis veluti crinibus implicando ornant: & conſilia, factaq; ſua non ad excitandos, & in ſpem de diuina ignoſcentia certam inducendos eos, qui propter peccata commiſſa in cogitationibus deſperationis vagantur, ſed ad commoditates, voluptateſq; ſuas referunt.

I. II.

Ad te Domine leuaui animam meam.

Deus meus in te confido non erubeſcam: neq; irrideant me inimici mei.

Exordium à fidei ſuæ de beneuolentia diuina perſuaſione. Ad te Domine, cuius ſempiterno Numine, & immenſa benignitate omnia ſuſtinentur, quiq; faciles & benignas aures ad preces ſumma cum fiducia te inuocantium adhibes, mentem animi in ærumnis, & miſerijs meis attollo. Tendant alij palmas ad ſimulachra, & radiato capite conſpicuos ſanctos, alij opera manuum ſuarum colant, alij viribus, opibusq;, cum ſuis tum aliorum confidant: ego ad te Domine preces adhibeo, & te, quem[?] mearum rerum omnium defenſorem adopto, & adiutorem, ſolum deſidero, cogito, ſpero, me, meaq; omnia interminatæ tuæ clementiæ, bonitatiq; committens. Qui in Deo confidit, non confidet in alio, non in auro, non in prædio, non in aliqua virtute terrena. Arnobius.

Non erubeſcam) *Ratio ἀπὸ τοῦ αἰτίου, effectu. Ne iacentem in ſordibus, & ope tua, auxilioq; deſtitutum irrideant aduerſarij: effice ne fruſtrer, neue ſpes, in tua mihi propoſita beneuolentia, me fallat: ne permitte, vt ſpectantem in te ſolum, neq; vllum aliud habentem refugium in miſerijs & calamitatibus meis hoſtes illudant. In te Domine ſperaui, non confundar (pudore afficiar) in æternum. Autor.* Pſal. 31.

III.

Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur: Confundantur omnes iniqua agentes: ſuperuacuè.

γνώμη γνωμικὴ ex promiſsionibus diuinis ducta, quæ vim habet conſolationis, & conuenit cum illis: Ego Dominus, in quem ſperantes non fruſtrantur. Et. Omnis qui credit in eum, non pudefiet. Quicunq; in te ſperant, non fruſtrantur: Nunquam pios, & amantes tui deſtituiſti: quare nec mihi, cui in te vno omnes ſpes, opesq́; ſitæ ſunt, in maximis calamitatibus derelicto, manus violentas inferri ab hoſtibus patieris. Suſtinent, ὑπομένουσι, Dominum, qui in miſericordia diuina omnem cogitationem, curamq́; conſtituunt: & ita quidem, vt, licet ad ſpem nihil oſtendatur, in Deo tamen hærendo firmiter, fiducia expectationem ſuam in medijs calamitatum tenebris ſolentur.

Eſa. 28. Rom. 10.

Confundantur) Ἀντίθεσις ἀναδιπλώσει inſignita. Qui nullum in cœlo Numen, nullam vim diuinam putant exiſtere, ſua ſpe fruſtrantur: qui turpitudine delectantur, & maleficijs paſcuntur, flagitijsq́;, qui bonis, & innocentibus hominibus moleſtiam exhibent, &, nulla affecti iniuria, periculum creare moliuntur: illorum conſilia, conatusq́; meritò ad nihilum recidunt, ac tandem ſuo quaſi gladio iugulati, exitium factis ſuis debitum ſibi ipſi afferunt. Peccantes ſuperuacuè, ἀνομοῦντες διακενῆς, ſunt, qui non caſu aliquo, neq; infirmitate animi de recto vitæ curriculo deflectunt: ſed ex conſtituto flagitijs polluunt ſeſe: &, peruerſa tantùm libidine incitati, nulla de cauſa alios miſeros habent, eosq́; capite, & fortunis oppugnant.

IIII. V.

Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua & edoce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Propo-

Propoſitio conueniens cum illo : Deduc me in iuſticia tua : Dirige in conſpectu tuo viam meam. Et : Doce me Domine viam tuam : vt in veritate tua gradiar : vni cor, & applica mentem meam ad tui nominis reuerentiam. Autor. Struuntur mihi inſidiæ, tenduntur retia ab iјs, qui impias animo opiniones imbiberunt : ideóq; malè, vicioſéq; interpretantur ſententias ſacrarum literarum, inſtituta priſca iactantes, & à maioribus traditas conſuetudines : ſed tu rege, & guberna me, cui nihil nec addendum, nec detrahendum, verbo tuo: vias tuas oſtende mihi : me cognitione verbi tui, & earum rerum, quæ ad bene, beatéq; viuendum neceſſariæ ſunt, inſtrue : dirige me per tuam veritatem, ſermo tuus veritas eſt : & doce me, quòd ſis parens, & cuſtos ſalutis meæ : in quo vno perpetuam ſpem fixam, & locatam habeo : cuius momentis omnibus animo meo beneuolentia, fauorq; paternus obuerſatur. Via, ὁδὸς, ipſa eſt, ſordibus elutis, vitæ correctio, & ad bonam frugem receptio, hoc eſt, Pœnitentia: quam neq; Philoſophi, neq; Moſes, neq; Prophetæ (niſi ex accidente) ſed ſolus docet Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Matth. 4. Pſal. 5. Pſal. 86.

V I.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt.

Ratio à natura, & miſericordia Dei, ac ſuperorum temporum beneficiјs : quæ & ſibi, & aliјs liberaliter præſtitit. Redi in memoriam tuæ miſericordiæ Domine, & benignitatis : qua vſus es in maiores noſtros ab orbe condito : reuoca animum ad lenitatem, & placabilitatem, clementiamq́; : qua opitulatus es à prima mundi conſtitutione omnibus ad clementiſsimum nomen tuum cœleſti beneficio conuerſis.

VII.

Delicta iuuentutis meæ : & igno-

rantias meas ne memineris : ſecundum miſericordiam tuam memento mei tu,propter bonitatem tuam Domine.

προκατάληψις, præceptioq́;, qua occurrit ei, quod obijci poterat: Deus peccatores non exaudit: tu in vicio genitus es: tu corruptæ,deprauatæq́; naturæ ſordes peccatis proprijs cumulaſti. Reſpondet προομολογία, conceſsione, per deprecationem, συγγνώμην. Fateor morbi vicio, quod ex Patre primo domeſticum mihi, & natiuum eſt factum, adeo, vt non habitet in natura mea quicquam boni, me reum eſſe & culpam contrahere, & contraxiſſe ſæpè per inſcientiam, ſæpè per animi impetus non rectos, inuitamentis primæ ætatis delinitum, & illecebris voluptatum irretitum non nego: ſed te oro, vt veniam tribuas miſericordiam tuam imploranti: & peccata, & ſcelera mea, pro interminata tua manſuetudine, & clementia ex animo deleas. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiqua-
Pſal. 79. *rum, citò anticipent (præueniant) nos miſericordiæ tuæ. Autor.*

VIII.

Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

ἔκβασις, Digreſsiuncula, qua prædicatione extollit bonitatem, clementiamq́; diuinam: quam impertit Pater cœleſtis liberaliſsimè omnibus, quibus prora eſt, & puppis quod dicitur, miſericordia ipſius, quæ finem, modumq́; non habet: idq́; propterea, vt ſtimulos quaſi ſubijciat ſibi ad maiore cum fiducia orandum. Bonus, & æquus eſt Dominus, ire nocentes, qua via recta docens. O quàm bonus & ſuauis eſt Spiritus tuus

In omnibus. Autor Sapientiæ. Omnes homines ex corrupto, in-fectoq́; genere mali orimur: ideoq́; quanti quanti ſumus, nihil Sap. 12.
niſi peccatum, (loqui ita vt liceat) ſumus: at Domino, vt nihil melius, ſic nihil eſt etiam mitius, lenius, & manſuetius: qui deuijs quidem errantibus itineribus, ſed audita lege, in viam ta-men redire ſatagentibus, luce doctrinæ ſalutaris, Spiritusq́; ſui afflatu præit: ſemitam ijs monſtrans, quam ingreſſi condona-tionem peccatorum conſequantur: & diuina aucti gratia, vi-tam agant præceptis cœleſtibus congruentem.

IX.

Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas.

ἐπεξεργασία. *Inopes, & afflictos, quos ſollicitudo ve-xat conſcientiæ, & iudicij diuini metus exagitat, non modò curis liberat Dominus: ſed ducem quoq; ſe, & comitem illis præbet ex vitæ diſcriminibus, morte, & inferorum manium principis tyrannide ad vitam beatam, & omnibus gaudijs affluentem. Po-nit primùm verbo ſuo nobis ob oculos Deus naturæ contamina-tæ prauitatem: deinde animi dolores cruciatusq́; ob violatam le-gem ſuſtinentes ſermone reconciliationis conſolatur, & à morte auocat: quo facto rerum aſperarū acerbitatibus exercet: vt caro extinguatur, ſpiritus viuat: quo ad cernendā vitæ æternæ hære-ditatē aptiores diuino beneficio, accommodatioresq́; reddamur.*

X.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.

ἐπιφώνημα. *Omnes Dei rationes benignitate conſtant, & veritate ad clementiam ſeſe illius adiungentibus, & lege di-uina animum componentibus. In omnibus conſilijs, & factis, & verbis Dei miſericordia ineſt ijs, qui doctrinam reconciliationis*

amplectuntur : & , Spiritu diuino afflati, auertunt mentem à vicijs, & inſanis cupiditatibus : ac, multa ſalute dicta humanæ ſapientiæ, vitam de Numinis voluntate gubernant. Miſericordia, τὸ ἔλεος, non ſolùm ad beneficia refertur, quæ pro ſua facilitate gratis tribuit Deus omnibus, qui in miſericordia ipſius toto pectore, omniq; animi cura, & cogitatione incumbunt : verùm etiam ad res aduerſas, in quibus amabilior ſæpè eſt Deus, quàm in proſperis. Caſtigat certè quidem Dominus, quem diligit, & cedit verberibus, quoscunq; ſibi adoptat. Veritas, ἀλήθεια, ad fidem, dictorumq; conſtantiam pertinet, & confirmationem eorum, quæ ſacris voluminibus promittuntur. Requirere teſtamentum Dei, ἐξετάζειν τὴν διαθήκην, eſt cum conſeruare leges, quas voce ſua prodidit, & libris ſacris conſignari iuſsit Deus, tum in primis amplecti promiſsionem de reſtitutione in gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum, & Seruatorē noſtrum. Per vias Domini non corporis greſſu, ſed animæ magis ambulatur affectu. Fulgentius.

Heb. 12.

XI.

Propter nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo : multum eſt enim.

ἐπάνοδος ad precationem inſtitutam, προσομολογίας καὶ παραμυθίας, intertexta. Cùm igitur infinita ſit tua miſericordia, aſpice ad ærumnas, & anxiæ mentis, contuſæq; dolorem inexhauſtum, & veniam tribue Domine peccatis meis, quorum neq; modus eſt, neq; numerus : tu maculas, & turpitudinem peccatorum meorum eluere potes, & afflictam hanc animam excitare, & præterea nemo : elues autem, & excitabis, prouocatus nullis meis meritis : quid enim ſimultates gerens cum numine cœleſti mereatur ? ſed, quod à miſericordia & clementia habes, propter nomen tuum, καὶ

εἵνεκεν ἀθανάτοιο μεγασθένεος βασιλῆος,

propi-

propiciatorem Filium tuum. Peccatum quod ſibi condonari pe-tit, cum ipſum eſt inſidens malum originis, & τὸ εὐπερίστατον ἁμάρτημα, tum, quæ varia, & numero tot, Heb. 12.

paruula quot ſiccus corpora puluis habet,

ſcelera, & flagitia: in quæ à natiuo morbo, à Deo auerſi, ſingu-lis momentis impellimur. Deus exaudit orantes propter nomen, verbum, et promiſsionem ſuam, ac propter ſeipſum, non propter noſtram dignitatem. Hagnon.

XII.

Quis homo qui timet Dominū? legem ſtatuit ei in via quam elegit.

ἐκβολὴ προτρεπτικὴ κατ' ἐρώτησιν ἐυκτικήν, *vt in vber-rimorum præmiorum expectatione pietatem colant homines: ſeq́; fidei diuinæ plane committant. Ecquis eſt mortalium, qui Dominum metuit, & caſta eum, puraq́; mente veneratur?*

Ille quidem rarus, ſed terq́;, quaterq́; beatus: vt cui præ-potens rector omnium viam monſtrat, quam elegit, & ipſe pro-bat. Aſsignat Deus pro arbitrio voluntatis ſuæ vnicuiq; in hoc vitæ curriculo munus, & officij alicuius functionem: in qua ſi cum diligentia, ſedulitateq́; verſatur: & in Dei præterea mi-ſericordia propter Chriſtum ſpem ſalutis omnem repoſitam ha-bet: placet eiuſmodi homo Deo, laboresq́; ſuos fortunari à di-uino Numine experitur.

XIII.

Anima eius in bonis demorabi-tur: & ſemen eius hæreditabit terrā.

ἐπιλυτικὴ ἐξεργασία. *Diducit enim, & dilatat priora ex promiſsionibus ad legem adiunctis. Et ipſe felix erit, & pro-ſpere faciet omnia: ſed & ſtirpis ipſius poſteritas beatitate, re-rumq́; diuinarum copia circumfluet: ac tandem humanis miſe-rijs exemtus, ocio cœleſti, & ſempiterno fruetur. Huc facit il-* Deut. 28.

 lud:

lud: *Iuſti hæreditabunt terram, & in ea durabunt in perpetuum.* Et: *pietas ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens præſentis vitæ, & futuræ.* Et: εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Pſal. 37. 1 Tim. 4.

Prolem piorum Numinis potentia
Larga beabit dextera.

XIIII.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & Teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.

ἐπιμονή. *Metuentibus Dominum, & edictorum diuinorum vero timore imbutis patefit arcanum Dei, & fœdus: aperit pijs & religioſis Deus ab omni ſeculorum æuo cælata myſteria, & ſcientiam fœderis ſui cum illis communicat, mentem eis ad intelligenda ſcripta cœleſtia aperiens. Firmamentum,* τὸ κραταίωμα, *ſeu arcanum, & myſterium vocat doctrinam de condonatione peccatorum gratuita: quam ſecuri, & præfidentes ſibi contemnunt: ſapientes ignorant, iuxta illud Christi:* Matth. 11. *Ago tibi gratias Pater cœli, terræq; Domine: qui hæc ſapientes, peritosq; celaueris: & infantibus pateſeceris. Quid multis?*

Diſcere peccatum monitos, nec ſpernere Chriſtum, (ſic enim libet mutare verſum poetæ) ſumma eſt ſapientia: ſed 1. Cor. 2. *quam nemo principum huius ſeculi cognouit.*

XV.

Oculi mei ſemper ad Dominũ: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Concluſio παρεκβάσεως *ornata ſimilitudine. Dominum mihi ante oculos propono: ille enim illatum in retia extrahit. Cùm ſciam igitur tot, & tanta conſtituta eſſe premia Deum*

cum

cum fide, & pietate colentibus: meritò cogitationes omnes in eo fixas, & locatas habeo, meritò ab eo oculos fidei nuſquam deijcio. Actum enim in retia expedit: facitq́;, vt laqueos pedibus meis, ab ijs, qui, cùm totus mundus ſitus ſit in malo, tamen ſeſe iuſtos eſſe contendunt, ideoq́; non egere correctione vitæ arbitrantur, obtentos poſſim euadere. Non ſua virtute, ſed diuino munere pedes ſuos è laqueo prædicat euellendos. Fulgentius ad Probam ep. 4.

XVI.

Reſpice in me & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.

ὑποστροφὴ, qua reuertitur ad precationem. Reſpice ad me, & oculis benignitatis, clementiæq́; tuæ intuere Domine ſolitudinem, & calamitates deſerti, & derelicti ab omnibus.

XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſsitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam, & eripe me: non erubeſcam quoniam ſperaui in te.

Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.

Amplificatio commemoratione, & frequentatione aucta, cumulataq́;. Angoribus animi ita conficior, vt ferre non poßim: quare cuius benignitas ſpacijs nullis includitur, nullis finibus clementia terminatur, libera me Deus, et ex anguſtijs, periculisq́; eripe. Qui ades mente fractis, & animo afflictos conſeruas, aſpice quas ſuſtineo miſerias, vitæq́; acerbitates: ac meis peccatis omnibus da veniam: vide quantum laborum, & miſeriarum exhauſerim: & miſericordiam in meis calamitatibus adhibe. Accedit ad ſolitudinem meam, & vulnera conſcientiæ ſcelus etiam, & acerbitas hoſtium: qui non modò nulla à me læſi iniuria, ſed plurimis etiam affecti beneficijs immerentem capite, et fortunis oppugnant: at tu, cuius immenſa poteſtate continentur omnia, ſerua hanc animam: nec, quod in nominis tui redundaret dedecus, confidentem tibi, & omnes ſalutis rationes, ac perſugij in tua miſericordia reponentem patere fruſtrari. Conſeruet me integritas, & æquitas, qui in te omnem ſpem fixam, & locatam habeo: da, vt cum pietate vitam agam, & ſanctè, innocenterq́; me geram: vt ope, & auxilio tuo ſubleuer, & ex omnibus malis, & ærumnis eripiar. Tribulationes cordis, θλίψεις τῆς καρδίας, ſunt angores, & ſollicitudines conſcientiæ, quæ mentem non patiuntur conſiſtere: quò fit, vt animus, cui pœna nunquam non verſatur ob oculos, miſerrimis modis exedatur: ac maleficiorum ſtimulis noctes, atq; dies crucietur: quam miſeriam ſi hoſtium quoq;, & aduerſariorum augent inſultationes, doli, fraudes, & inſidiæ: nihil poteſt fieri ærumnoſius. Integritas, ſeu ſimplicitas, & innocentia ad doctrinam ſunt referenda non in terris inuentam, ſed è cœlo depromtam: quæ eſt gratiæ, & charitatis diuinæ: quæ teſtatur dolentes Spiritus ſancti beneficio, de peccatis ſuis, & miſericordiam apprehendentes

diuinam, per Chriſtum nobis conciliatam, omnium ſcelerum contagione liberatos eſſe. Rectitudo, & æquitas pertinent ad mores, & vitam, cùm fidei profeßione congruentem.

XXII.

Libera Deus Iſraël: ex omnibus tribulationibus ſuis.

ἐπιφώνημα, quo poſt priuatas preces orat Deum pro conſeruatione, & ſalute Reipublicæ, & totius Eccleſiæ. Vindica rerum omnium effector, & procurator Deus, ſine cuius tutela nihil viuit, nihil ſeruatur, Iſraelitas ex omnibus eorum anguſtijs. Cuius in genus mortalium tanta caritas extitit, vt illius expiandi, & ornandi gratia filium vnigenam ad necem tradideris, Eccleſiam, quam ſanguine ſuo imbutam, & ablutam ſibi adeptus eſt Ieſus Chriſtus, autor vitæ, & ſalutis noſtræ, tuere omnium rerum conſtitutor, & moderator Deus, & ab incommodis eam, & vniuerſis calamitatibus libera.

PSALMVS XXVI.

PROVOCATIO.

QVi incurrente in oculos obſeruatione legis inflati falſã ſibi pietatis perſuaſionem induerunt hypocritæ, eos, qui in Dei miſericordiam incumbentes, omnem ſpem, & cogitationem in clementia cœleſti collocant, nec vlla, ſe iuſtos eſſe, ſibi re perſuadent alia, quàm interminato fauore Dei, incuſare conſueuerunt: quaſi doctrina ſua, de gratuita condonatione peccatorum in contemtum adducant leges: & honeſtorum officiorum, inſtitutorumq́ vaſtitatem efficiant. Tales erant Dauidis tempeſtate cum Saulus ipſe, qui ſimulatione ſanctitatis Deo ſacrum

1. Reg. 1. 25. ſaciebat bello Palæſtino: deuictis Amalechitis Agago regi parcebat: Amorræorum reliquias Gabaonitas delebat: magos tollebat, & ariolos: tum, arcam Domini (vnde oracula multis annis nemo petierat) ad ſe cùm tranſtuliſſet Propheta regius, qui corruptam, & deprauatam ſuperiorum temporum conſuetudinem deſendentes, euerſorem religionis maiorum, obtrectatorem patrum, prauæ diſciplinæ eum magiſtrum eſſe calumniabantur. De hoc igitur hominum genere queritur hoc pſalmo Propheta: &, ad Deum iudicem appellans, notam eis impingit auariciæ, & donis capiendis delectari pronunciat. Nec ſanè immeritò. Qui enim ſpecie, & habitu falſitatem aſtutè miſcent cum religione, omnes pecuniæ ſunt ſtudioſi, ventremq́ pro Deo habent, vt eſt apud Apoſtolum: perniciosum genus hominum Reip. Dei, quæ eſt Eccleſia. Nam & peſtiferis inſtitutionibus corrumpunt multos: & pietate apparente, ac ſplendida, illuſtriq́ honorum, & dignitatum pompa non paucos in errorem inducunt. Quod cùm ita ſit, diligenter orandus eſt Deus: ne deceptos ab illis â ſyncero ipſius cultu abduci, & ad conſuetudinem, moremq́ hominum eiuſmodi nos patiatur traduci.

2. Reg. 21. 1. Reg. 18.

I.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum & in Domino ſperans, non infirmabor.

Propoſitio, adiuncta ratione. Præſtò ſis cauſæ innocenter gerentis ſeſe. Iniquis aduerſariorum iudicijs opprimor: qui

qui de tuæ legis mandato ad emendationem religionis aggreſſum, & ſacrificia ad arcam oracularem vt fiant, procurantem, nec quicquam magis in votis habentem, quàm vt ſanctè inter nos, auguſteq; de tui verbi præſcriptionibus colaris, nouarum rerum molitorem, hoſtem maiorum, religionisq; perturbatorem, conuulſoremq; minimè dubitant appellare. At tu, qui ſempiterno imperio moderaris omnia, omnia prouides & intueris, intimosq; etiam animorum receſſus inſpicis, patrocinium ſuſcipe fiducia immota ex te pendentis: & in cauſa mea ſententiam pronuncia: quo nota fiat, & teſtata omnibus cùm innocentia mea, tum ſpes, quam in te vno, ne litem perdam, repoſitam habeo. Innocentiam, ἀκακίαν, allegat non perſonæ, ſed fidei, non meritorum, ſed muneris, & officij.

II.

Proba me Domine & tenta me: vre renes meos, & cor meum.

Expolitio rationis κατ' εἰκασίαν μεταφορικήν. Si experieris, & tentabis me Domine, ſi renes, & cor meum, ſi intimos ſenſus, & affectus animi ſcrutaberis, &, veluti fuluum ſpectatur in ignibus aurum, exploraueris: non qualem artibus ſimulandi eruditi criminantur, ſed integrum me, & ſedulum officij mei executorem reperies. Proba me Deus, & ſcito (cognoſce) cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Autor. Renes, νέφροι, appetitiones animi ſignificant. Cor, καρδία, eſt ſedes affectuum. Deus cor requirit, oſtentationem, venditationemq; ſanctitatis non moratur. Pſal. 139.

III.

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt: & complacui in veritate tua.

ἐπιξερ-

ἐπεξεργασία ὁρισική, qua, quis verè integer ſit, & innocens, definiendo exponit: is nimirum, qui religione vera imbutus, ſecurus, & lætus acquieſcit in Deo: & miſeriæ, ac labis ingenitæ abſterſionem in miſericordia illius reponit: deinde actiones ſuas ad veritatem, quæ eſt doctrinæ cœleſtis, & illuſtrandam gloriam diuinam refert. Benignitatem tuam præ mentis oculis propoſitam habeo: neq; vſquam à nutu voluntatis tuæ deflectens, in veritate tua vitam ago: atq; ſub imperij mei ditionem ſubiuncti idem vt faciant, peregrina ſacra exterminando, patria verò conſeruando, & deinceps prodendo, ſtudio ſingulari do operam. Veritas, ἡ ἀλήθεια θεοῦ, Chriſtus eſt, ſine quo, vt placeat quis Deo, fieri non poteſt.

IIII.

Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.

Antitheſis. Nulla mihi conſuetudo eſt cum hominibus nequam, & conſceleratis: cum facinoroſis, fallacibus, & mendacia comtu quodam, ac cincinnis ſpecioſè ornantibus vſu, & familiaritate non coniungor. Sedendi, & introeundi verba de conſuetudine Hebræorum ſumta ſunt: apud quos magiſtratus in portis vrbium cum conſultandi gratia conueniſſet, ſedebat: populus verò aut ſtabat, aut ambulabat. Illo igitur verbo congreſſus, & familiaritas: hoc verò aſſenſus ſignificatur, & approbatio. Eſt autem ſententia. Nec ad amiciciam meam admitto eos, qui falſis doctrinis contra Dei verbum concinnandis ſtudent: nec inuenta illorum, conſiliaq; approbo. Conueniunt hæc cum principio Pſalmi primi, quo in loco, quis beatus ſit, explicatur.

V.

Odi Eccleſiam malignantium: & cum impijs non ſedebo.

ἐπιμονῆ: *In cœtum eorum, qui virtutem ſimulantes, incluſas animo libidines, & execranda flagitia fronte, & ſupercilio tegunt, iniquus ſum: conuenticula pietate ad tempus ſimulata, & compoſita Deum colentium execror: conſuetudinem hominum ſanctitate apparente tumentium auerſor, & repudio: in vias impias non abeo, & diſcedo: in cathedra peſtilentiæ, in ſede deriſorum non ſedeo.*

VI.

Lauabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine.

In eam rem ſummo ſtudio, curáq; do operam, vt nihil animo agitem, loquar, geram, quod pugnet cum lege diuina: neq; verò id tantum, ſed ritus etiam ſacrificiorum diuinitus traditos ſumma religione ſeruo. Laui inter innocentes manus meas. Autor. Forma orationis ſumta eſt à lotionibus ſacerdotum, priusquam rem diuinam facerent. Pſal. 17. *Pilatus manus aqua lauat: ſacerdotes Iudæorum ne polluantur, prætorium ingredi recuſant: atq; ita ſe puros eſſe falſa ſibi erroris opinione perſuadent: ſed vera pietas manus innocentia abluit, & circumdat altare Domini, qui eſt Chriſtus Seruator noſter: cuius vnico ſacrificio expiati, & reſtituti ſumus.*

VII.

Vt audiam vocem laudis: & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

τὸ τελικόν. *Atq; hoc quidem eam potiſſimum ob cauſam facio: vt & alios perſonantes tuas laudes, & tot miracula enarrantes audiam: & ipſe tibi gratias agens, hymnos, ac carmina cantem: & quoties me, cùm nulla ſpes ſalutis reliqua videretur, auxilio tuo inueris commemorem: atq; ita ad fidem haben-*

habendam promißis tuis, & ſpem in miſericordia diuina conſtituendam plurimos excitem.

VIII.

Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.

Quid multis? nihil mihi carius domicilio templi tui Domine: tui glorioſi tabernaculi locum ex animo diligo: montes, colles opacas, arbores, lucos, & ſacella vniuerſa deteſtans. Domus Dei quæ ſit dictum eſt Pſal. 5. Decor, & gloria, εὐπρέπεια, καὶ δόξα, *habitationis diuinæ, non tecta ſunt, parietes, laquearia, vaſa, & inſtrumenta templi Hieroſolymitani, ſed doctrina voce prophetarum, & Apoſtolorum propagata.*

IX.

Ne perdas cum impijs Deus animam meam: & cum viris ſanguinum vitam meam.

Ἀπευκτικόν, *Deprecatio repetitione conſtans propoſitionis, ſed quæ orationis forma ſuperiori aduerſante ſit expoſita: nam quod illic, vt ſibi patrocinetur Deus rogat: hic, ne numero impiorum habeat ſeſe, precatur, vt etiam Pſalmo 28: Ne ſimul tradas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Addit autem criminationem aduerſariorum: qua illorum doctrinam, mores & ſtudia depingit: &, quia non rarò ſolet accidere, vt ſimulationibus, & pietate fucata hypocritarum decipiantur imperiti: orat ne in errorem ſeſe induci patiatur: & ita ad improbos, & ſanguinarios aggregari: ſed ſi quando in fraudem impellatur, in viam tandem redire ſinat. Ne à me pœnas, quas ab ijs ſoles, qui veram de voluntate tua doctrinam ignorant, repete: ne in me, vt in cruen-*

tes

tos, vindica. Qui pro ſalſis dogmatibus propugnant, omnes ſanguinarij ſunt, imitantes nimirum parentem ſuum Satanam: qui mendax eſt, & homicida.

X.

In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.

καταγραφὴ τῶν ἀσεβῶν. *A quorum manibus nullum ſcelus abeſt: qui peßimis in artibus nocte, & die verſantur: & opum ſtudio, cupiditateq́; flagrantes dona aduerſus innocentes accipiunt: ac pecuniæ gratia dicunt, & faciunt omnia. Manus actiones ſunt, quæ opera manuum perficiuntur, vt ſupra dictum eſt*

XI.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me & miſerere mei.

Ratio propoſitionis iiſdem verbis repetita, cum concluſione. Ego ad innocentiam incumbo, neue à recta viuendi via diſcedam, ſummo ſtudio, diligentiaq́; do operam: in omnibus præceptis, & inſtitutis tuis gero me inculpatè: neq; ab innocentia me, fideiq́; meæ commiſſos, & pietate, perditorum hominum exemplis abduci patior: quare vindica, & defende nos ab iniurijs aduerſariorum: &, quoniam ob iuſticiam hanc muneris, & officij digni vt abſoluamur, non ſumus: clementia nos, & miſericordia gratuita complectere.

XII.

Pes meus ſtetit in directo: in Eccleſijs benedicam te Domine.

Ex-

Exclamatio ἐπαγγελτικὴ *Epiphonematis vicem præſtans: qua exultat animo, & ſententiam tuliſſe Deum pro cauſa ſua gloriatur. In recto, planoq; pes meus conſtat: in via iuſticiæ conſiſto. Quod quia tibi Domine ſoli debeo (tu enim mentem pia conandi donas, tu vires perficiendi ſalutaria ſubminiſtras) gratias agere tibi nunquam intermittam: nomenq; tuum in cœtu, conuentuq; piorum prædicabo.*

PSALMVS XXVII.

ADOREA.

PArtes huius Pſalmi duæ ſunt: priore Deo gratias agit vir Sanctus, quòd ſecundum promiſsionem ſuam maximis ſe periculorum caſibus liberatum, ſartum tectumq; ab omni incommodo, detrimentoq;, quod vel animo poteſt accidere, vel corpori, conſeruarit: altera præſidium Dei implorat contra aduerſarios ſuos, bonosq; confirmat aduerſus fraudes, & vim eorum, qui, vt in oculos hominum imperitorum puluerem quaſi conijciant, doctrinis impijs concinnandis, & mendacijs, ſpecioſis veluti crinibus implicando, ornandis, dant operam. Hos falſos teſtes appellat, & mendaciloquos. Eiusmodi enim homines incredibili importunitate, & audacia, quantumuis abſurda, & diſsidentia à ſacris literis affirmare de Deo, rebusq; diuinis minimè dubitant: nimirum in hanc mentem eos inſcitia inducit, & rerum, quæ ſacris bibliorum monumentis ſunt conſignatæ, ignorantia. Qua ex re conſequitur non id ſolùm incommodi, quod, tanquam è diuorum concilio deſcenderint, ſibi ſolis earum rerum, quæ ad felicitatem faciunt, noticiam impudenter arrogant: ideoq; non

accommodare ſeſe ad ædificationem aliorum, non vocem audire indicaricem veritatis, non autoritate, non ratione vlla ſe permoueri ſuſtinent: verùm ſeditiones non rarò concitant: & bonos, qui ſeſe illis pro defendenda Dei gloria, & vera doctrina aſſerenda, objiciunt, oppugnant, ac vita tandem expellunt.

I.

Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo.

Propoſitio gratiarum actionis per interrogationem. Qui imperium cœli, & terræ in perpetuum obtinet, Dominus lucem mihi accendit, & ſalutem affert: quis igitur animum meum metus perturbet? Tenebrarum appellatione in ſacris literis tum pericula, & calamitates intelliguntur, in quæ vocantur homines pij, Deiq́; colentes, vt: Tu illuminas lucernam meam: Pſal. 18. *tum homines ipſi cœleſtium rerum rudes, & Dei ignari, iuxta illud: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ritè igitur vocat Propheta Deum auerſorem malorum,* Ioha. 1. *& tenebrarum, caliginisq́; ignorantiæ diſcuſſorem, illuſtrationem, & lucem ſuam. Neq; enim niſi Deo lumen verbi ſui præferente, & promiſſionibus nos ſuis excitante, & confirmante, ad ipſius noticiam adſpirare, & iter pietatis ingreſſus ad vitam beatam, & immortalem peruenire quiſquam poteſt. Qui illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum. Iohannes.* πνευ- Ioha. 1. ματικαῖς ἀκτῖσι καταυγάζων φύσιν ἀνδρῶν. *Nonnus. Salutis appellatione concludit & valetudinem corporis & animi ſoſpitatem. Caſſiodorus.*

Dominus protector.) *Omnium rerum præpotens*

 rector,

rector, & Dominus firmamentum eſt , & robur vitæ meæ : quis me ad timorem impellat? Si Deus à nobis, quis contra nos? Rom. 8. *Apoſtolus. Si Deus defenſor, quis erit noſter oppugnator?*

II.

Dum appropiant ſuper me nocentes: vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Amplificatio per ὑποτύπωσιν *hoſtium immani rabie, & violentia in ipſum irruentium. Qui à me capitali diſſident odio, copias contrahebant: in me ſcelerati aduerſarij, & hoſtes mei impetum faciebant, vt laniatum dentibus deuorarent: verum offenderunt, cecideruntq́;. Comedere carnem,* φάγειν τὰς σάρκας, *eſt rabie crudeli graſſari, & immanitate ferina in corpus, & vitam alicuius ſæuire, translatione ſumta à beſtijs carniuoris.*

III.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra: non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

ἐπιμονὴ ἀναφορικὴ, *qua amplificationi inſtitutæ immoratur: eamq́; commemoratione caſtrorum, & periculi, ab hoſtibus denunciati belli exornat. Si contra me innumerabiles cogantur copiæ, non metuam: ſi in me ruant multa millia hoſtium, animo vigente conſiſtens diuinæ erga me voluntati non diffidam. Hæc verba ſunt Fidei: quæ in cuius animo dominatur, ille non poteſt non tota mente, & cogitatione, promiſſione excitatus, in Dei præſidium, defenſionemq́; incumbere. In Dei promiſſis nulla eſt falſitas: quia in faciendis nulla omnipotenti eſt difficultas. Fulgentius.* Vnam

IIII.

Vnam petij à Domino hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluntatem Domini: & viſitem templum eius.

Precatio, quæ eſt pars Pſalmi altera: qua petit, vt ſeſe Pater cœleſtis in numero cultorum diuinæ domus, ac ſeculorum ætatibus omnibus duraturæ habeat: & contra aduerſarios ſuos clementer tueatur, & defendat. Vnum rogaui à Domino, vnum expetiui, vnum quæſo, & poſco etiam, atq; etiam: vt in domo Domini, quàm diu mihi vſura lucis huius conceſſa fuerit, habitem: vnum ſummis in votis habeo: vt in ſanctiſſimo templo Dei mei conquieſcens omnem ætatem exigam. In vocabulo vnam, μίαν, ἐλλιπὲς eſt, ſcilicet αἴτησιν. Habitare in domo Domini, κατοικεῖν ἐν οἴκῳ κυρίου, omnibus diebus vitæ ſuæ, eſt agnoſcere Deum, qua ex parte ipſe enunciauit: & in vera de voluntate illius ſcientia vſq; ad extremum vitæ halitum permanere. Maneat mihi Fides in Verbum: & manebo domeſticus Dei, & hæres regni cœleſtis. Hagnon.

Vt videam) *Ratio, vt luſtrem oculis, animoq; ſtudioſe contempler amœnitates Domini: & decorem domus eius perſpeculer: vt cognitionem accipiam infinitæ, & interminatæ bonitatis Dei: qua motus gratuitò miſericordiam tribuit miſeris mortalibus: & æterna cum ijs bona communicat. Voluptatem, τερπνότητα, iucunditatemq;, cultus intelligit, &, quæ in templo fiebant, ſacra de mandato cœleſti inſtituta primùm à Moſe, deinde per Prophetas ad poſteritatem propagata: quibus obſignabatur promiſſio diuina de ſemine mulieris. Eccleſiæ voluptates, & amœnitates ſunt, denunciatio condonationis peccatorum, ſacrum ad criminum labem eluendam inſtitutum*

 baptiſmi,

baptiſma, & cœleſte conuiuium : quo reuera, καὶ τῷ ὄντι ſan-ctiſsima caro Domini miniſtratur, & ſanguis precioſiſsimus ac-cumbentibus propinatur.

V.

Quoniam abſcondit me in ta-bernaculo ſuo in die malorum : protexit me in abſcondito taberna-culi ſui : in petra exaltauit me.

Alia ratio παρ' ὑπόνοιαν, permutatione, ſeu ἀλληγορίᾳ expoſita : qua alludit primùm ad hiſtoriam Moſis, qui ab
Num. 16. *impetu multitudinis tutus fuit, cum ad tabernaculum oraculi ſe*
1. Reg. 26. *recepiſſet : deinde ad collem Hachilam, & montana in ſaltu Ziphæo. Vt temporibus triſtibus, & calamitoſis abditus in ten-torio Dei à fraudibus aduerſariorum, & vi hoſtili tutus damni, detrimentiq́; nihil capiam : vt mihi Dominus refugium præbe-at, non ſecus ac ſi me in penitiſsimas tabernaculi ſui latebras abſcondiſſet, & in rupem excelſam euexiſſet. Tabernaculi diui-ni latebra nobis eſt, extra quam nulli datur ſalus, Eccleſia : quæ Filij Dei doctrinam, eiusq́; ceremonias retinet mordicus : nec ab ijs vel latum vnguem diſcedit, tanquam rupe fortiſsima, propugnatore, qui eſt Dominus exercituum, munita.*

VI.

Et nunc exaltauit caput meũ ſu-per inimicos meos : Circuiui & im-molaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo & pſalmum dicam Domino.

Confirmatio ἀπὸ τῶν ἐκβάντων ab euentis. Quemad-modum etiam hoc tempore, poſtquam regno ſum potitus, caput

meum

meum ſuprà hoſtes meos extulit, ſublatis, profligatisq́; omnibus aduerſarijs.

Circumiui & immolaui) ἐπεμβολὴ, *gratiarum actionis interpoſitio. Pro quo beneficio auguſtiſsimum templum Dei mei ſumma cum veneratione ingreſſus victimas cædam: & pro regno accepto, & victorijs partis, hymnis, & clangore tubarum laudes Deo, gratiasq́; celebrabo. Hoſtiam vociferationis,* θυσίαν συνέσεως, ἀλαλαγμοῦ, *ſacrificium appellat, quod fiebat ſuſis, fugatisq́; hoſtibus.*

VII.

Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te: miſerere mei & exaudi me.

ἐπάναδος. *Reuertitur enim ad petitionem, cuius partem alteram repetit ex ſuperioribus: vt ipſum defendat. Huic præponit implorationem bonitatis, & clementiæ diuinæ. Rogat enim vt ſibi miſericordiam tribuat Deus: & peccatis pro ſua facilitate det veniam: quæ petitio ſemper locum primum in omni precatione obtinere debet. Applica aures Domine ad querulas inuocantis voces; nec rogantem immiſericorditer ab te reijce.*

VIII.

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ratio à Dei mandato, & promiſsione. Redeo in memoriam Domine verbi tui: velle te tuum conſpectum quæri. Quæro igitur conſpectum tuum. Gaudet Deus pollicitationum ſuarum à nobis admoneri; quibus quidem ideo etiam nobis fidem ſuam obligat: vt recogitatione earum magis, magisq́; confirmemur: & ad implorandum auxilium ipſius audentiores reddamur. Ad

Deum quaſi manu facta precationibus ambimus orantes : hæc vis grata Deo eſt. Tertullianus. Quærere faciem Dei, τὸ πρόσωπον κυρίου ζητεῖν, eſt confugere ad Deum, & ab illo expectare liberationem.

IX.

Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſeruo tuo: Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus.

συναθροισμός, & verborum, ſententiarumq́; idem exprimentium coagmentatio. Noli tuum conſpectum mihi ſubducere : noli me tuum furenter repudiare, & repellere : ne lumen auferas tuum, nec me in tenebris deſere : tege me præſidio tuo : nec ſine vi, & impreſſione euerti ſeruum tuum : qui vitam tibi, & ſalutem ſuam debet. Vbi ſunt, inquit hoc loco Caßiodorus, qui humanis meritis dicunt aliquid applicandum? Petit rex, & Propheta plenus gratia, & benedictione cœleſti, ne deſeratur à Domino. Et Auguſtinus. Dicendo, ne derelinquas me, oſtendit, quia, ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe. Auertit faciem ſuam Deus, ἀποστρέφει τὸ πρόσωπον, cum nos nobis relinquit : nec lumine verbi ſui tenebras noſtras colluſtrat.

X.

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me : Dominus autem aſſumpſit me.

Amplificatio. Vnde rebus meis auxilium petam, habeo, te excepto, neminem : in id miſeriæ redactus ſum, vt etiam ij, vnde natus ſum, me deſerant : non ſolùm amici me, & cognati deſtituunt: verùm, me quoq;, πατὴρ καὶ πότνια κάλλιπε μήτηρ :

ſed

ſed tu Domine, qui laborantes, & onuſtos vocas ad te, recreationemq́; eis à malis, & miſerijs omnibus polliceris, pro infinita clementia tua, & miſericordia in fidei tuæ tutelam receptum me defendis. Etiamſi obliuiſcatur mulier infantis ſui, ego tui non obliuiſcar. Eſaias. Non ſum ſolus: quia Pater mecum eſt. Chriſtus. Eſa. 49. Ioh. 16.

XI.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos.

Iteratio precationis adiuncta ratione. Ideo propugna pro me, ne in fraudem me impellant ij, qui fucum facere rudibus, & falſa doctrina in errorem eos ſolent inducere: doce me tuam viuendi viam lege tua, & Prophetarum ſcriptis monſtratam, & expoſitam: & deduc me veritatis ſemita, ne inimicorũ vel vi, vel fraude à recto viuendi curſu aberrem. Via Dei Chriſtus eſt.

XII.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerũt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Interpretatio: qua explicat & exponit, quid intelligat viam Dei, & ſemitam rectam, ὁδὸν κυρίου, καὶ τρίβον εὐθεῖαν. *Da, vt præſtigias, & calumnias ſceleratorum effugiam: qui primùm callida, & malicioſa literarum ſacrarum interpretatione veram doctrinam corrumpunt, & fraudes ſtruunt imperitis: deinde criminationibus falſis periculum creant innocenti: & in ſentientem rectè de Deo, rebusq́; facientibus ad ſalutem, tantùm non plauſtra conuiciorum exonerant.*

XIII.

Credo videre bona Domini : in terra viuentium.

Concluſio παραμυθικὴ de liberatione futura. Licet ex omni parte parentur mihi inſidiæ : licet infeſter, & oppugner vndiq; : tamen in miſericordiam Dei incumbens infracta mente conſiſtam : nec me fide in promiſsionem diuinam patiar dimoueri : in ſpe certiſsima, fore, vt mortali corpore exuto, ac diuinis, & ſempiternis opibus exornato vitam Deus placidiſsimam, & omnium iucunditatum pleniſsimam largiatur. Terra viuentium, γῆ τῶν ζώντων, tum vitam ſignificat, quam in hoc mundo viuimus, quæ terræ obliuionis, quæ mortis eſt, opponitur: tum æternæ beatitudinis domicilium : vbi vitam degemus omnibus bonis refertam, & gaudijs cumulatam ſempiternis. Hic eſt, inquit Fulgentius, in homine ordo diuinæ redemtionis, ac remunerationis : vt nunc iuſtificatus credat, quod tunc glorificatus accipiet. Iuſtificatio fidei eſt, glorificatio ſpei. Ad Moninum.

XIIII.

Expecta Dominum, viriliter age : & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

ἐπιφώνημα κατ᾽ ἀποστροφήν: quo & ſe, & pios omnes hortatur ad certam ſpem concipiendam de auxilio diuino : ne in periculis, & diſcriminibus, quæ ab improbis intentantur animo fracto ſint, & demiſſo. Mente, & cogitatione omni de Dei pende miſericordia : magnoq; animo ſis, in Deo ſpem reponens : optima tibi de clementia illius promitte : ſperando ſtabili ſuſpice mente Deum : qui ſuo & loco, et tempore, & modo, quæ illi homines præſcribere non decet, vires addet animo tuo, & mentis robore inuicto auctum, ab omni incommodo, detrimentoq; & animi & corporis ſaluum, et incolumem conſeruabit. Solet Deus ſubſidij ſui adminiculum extrahere : vt fidei pertentatæ, & in ſplendorẽ maiorem datæ præſentioris auxilij opem ferre poſsit.

PSAL

PSALMVS XXVIII.

ABERVNCATIO.

PSalmum hunc confeciſſe vates diuinus videtur, & vſurpaſſe, ſi quando vis illi intentaretur, & fraudes inſidiæq; pararentur à Saulo, & reliquis ſuis aduerſarijs: qui quidem frónte, vultuq; non raró ſimulabant beneuolentiam, & amice cum eò loquebantur: ſed animo dies, & noctes in eam curam, cogitationemq; defixi erant: quo nam pacto in diſcrimen illum exiſtimationis, fortunarum, ac vitæ deniq; adducerent: quos imitati ſunt poſtea, & Abſolon, qui animos ſibi populi furtim conciliabat contra ſalutem Patris: & Ioabus, qui Amaſam, & Abnerū ſub ſpecie reconciliatæ amicitiæ occidit. Cuius ſceleris immanitate dubitandum non eſt, quin maximus metus animo prophetæ ſit obiectus: ideoq; orarit hoc Pſalmo, ne ſe impiorum numero haberet Deus: & cum impuris, conſceleratiſq; hominibus ad ſupplicium traheret. Nos contra & tyrannos, & doctores ſuperſtitionis, adeoq; omnes, qui dolis & fraudibus pietatis opinionem captant, & gloriam, hoc Pſalmo vti poſſumus. Nam & aliud illi occultè moliuntur, aliud ſpecie ſimulationis oſtentant, ſine intermiſsione de pernicie bonorum exitioq; cogitantes: & hi ſibi à Dei gloria & ſalute proximi, quam ſibi cariſsimam videri volunt, ſtimulos quaſi adhiberi fingunt: vt ab errore auertere, & in viam pietatis reducere alios geſtiant. Cui rei quo magis fidem faciant humiliter ſeſe, & demiſſè in animos auditorum inſinuant: & patientiæ, tolerantiæq; laudem venantur: ſed ſi & dicta, & facta illorum ad veritatis regulam

exigas: reperies tandem, mortem eos, & interitum quærere animorum, & ſub veſtimentis ouium lupos rapaces eſſe.

I.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me: ne quando taceas à me, & aſsimilabor deſcendentibus in lacum.

Propoſitio adiuncta ratione, quæ εἰκασίᾳ imagine explicatur. Qui omnium rerum procurationem habes, Numen & refugium meum Domine, tuam fidem imploro: ne patere preces meas irritas eſſe, & inanes: niſi enim tu me iuueris, actum eſt de me: neglectus, & repudiatus à te, fiam, quales ſunt, qui lucis huius vſuram amiſerunt. Silet, παρασιωπᾷ à nobis Deus, cum ſurdum quaſi præbet ſeſe, & ſupplices videtur auerſari. Deſcendere in lacum, καταβαίνειν εἰς λάκκον, barathrum, ſeu foueam, mori eſt, & affici ſepultura.

II.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Repetitio ſeruiens affectionis animi expreſsioni. Facilem te præbe ſupplici tuo: qui ſublatis ad oraculum ſanctuarij tui manibus tuam miſericordiam expoſcit. Sanctuarij, ſeu templi nomine, promiſsionis Deum commonefacit. Pollicitus enim fuerat Deus, ſe ſuppliciter ad arcam, & propiciatorium precaturos auditurum: & opem illis, atq; auxilium laturum, vt Exod. 25. *eſt in libro Egreſſus.*

Ne ſi-

III.

Ne ſimul tradas me cum peccatoribus & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: qui loquuntur pacem cum proximo ſuo: mala autem in cordibus eorum.

ἐπεξεργασία, qua explicatius dicit priora, & qua de re audiri velit à Deo exponit: ne me in impiorum, & maleficorum numero pone: ne me, quo impios, ſupplicio affice: ne animaduerſione in me, qua in homines conſceleratos, vtere: ne vindica in me ea pœna, qua in hominum nefariorum delicta animaduertis.

Qui loquuntur.) *Notatio deſcriptioq́;, qua mores peccatorum, & operantium iniquitatem depingit. Qui in ſermonibus, collocutionibusq́; blandis ſeſe verbis alijs venditant, maliciam verò gerunt pectore, & bonis inſidijs comparant: qui ſpeciem quidem præ ferunt beneuolentiæ, ſed dolos, dirumq́; nefas in pectore verſant. Allocutus eſt Cain fratrem ſuum Abel. Moſes.* Gen. 4. *Acuta linguæ ſuæ ſagitta fraudulenter loquuntur: ore alloquentes alios amicè, in pectore ſtruunt inſidias. Hieremias.* Hier. 9. *Dentibus mordent, & pacem proclamant. Michæas.* Mich. 3. *Omnium hypocritarum ea eſt natura, vt in ſpeciem boni ſint, vt benignè loquantur, ſimulent humilitatem, patientiam, caritatem: & interea tamen conſilia cædis in animo verſent. Hagnon.*

IIII. V.

Da illis ſecundum opera eorum: & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum: Secundum opera manu-

manuum eorum tribue illis : redde retributionem eorum ipſis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius: deſtrues illos, & non ædificabis eos.

Ἀντίθεσις, quæ ἀρὰν habet, execrationem, cuius Spiritus ſanctus autor eſt, & πρόῤῥησιν, pœnarum, quæ impendent impijs, denunciationem, adiuncta ratione. Sed impios puni: de aduerſarijs meis ſume ſupplicium: & quæ meruere factis & morum prauitatibus, præmia illis repende: aduerſarijs dignam actionibus ipſorum gratiam refer: &, quam inſana illorum facta requirunt, mercedem eis tribue. Nam ad Domini, aliquandiu florere qui ſinit improbos, vt grauius poſtea de ijs ſumat ſupplicium, opera animam non aduertunt: Domini, occidentis ſuos, & in vitam reuocantis, in Orcum demittentis, & inde extrahentis, depauperantis, & ditantis: depri-
1. Reg. 2. *mentis & euehentis, facta animo non intuentur: Dei benignitate, ad ſanitatem inuitati, non emendantur: ad bonam ſeſe frugem non recipiunt conſideratione earum rerum, quæ conſilio, prouidentiaq; Dei adminiſtrantur. Quare etiam eueniet illis malum, cuius ortum ignorabunt, accidet calamitas, quam non poterunt aberuncare, extirpante eos, & ad internecionem redactos tollente Domino funditus. οἰκοδομεῖν, ædificare, quod proprie eſt extruere, μεταφορικῶς melius facere ſignificat, & firmare, ac ſtabilire.*

VI. VII.

Benedictus Dominus quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Domi-

Dominus adiutor meus, & protector meus: & in ipſo ſperauit cor meum & adiutus ſum: & refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

Ευχαριστία, qua Deo gratias agit, quod clementer preces ſuas audierit: & pios ad bene ſperandum de auxilio diuino cohortatur: vt, quod Dauidi contigit, idem ſibi quisq; de benignitate Dei polliceatur. Gratias ago Domino: ſupplicis enim precibus aures eius patuerunt. Dominus meæ vires, mea magna potentia: Dominus defenſor, & propugnator meus eſt, in quo omnes ſalutis rationes, & perfugij repono: qui quòd auxilium mihi attulit, fit, vt floreat caro mea, vt geſtiat cor meum, vt animo lætitijs omnibus incedens exultem, & Dei gloriæ quotidianas laudes, & gratias celebrem.

VIII.

Dominus fortitudo plebis ſuæ: & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.

Dominus ſuorum virtus eſt. Dominus, quo ex tempore rex ſum factus, ex periculis me, & diſcriminibus maximarum calamitatum, & turbulentiſſimarum tempeſtatum eripuit: quod propter beneficium gloria, & prædicatione nomen Dei efferre nunquam intermittam. Quicquid fortiter fit, & præclare geritur à pijs & ſanctis hominibus, Dei munus eſt.

IX.

Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ:

&

& tege eos & extolle illos vſq; in æternum.

Clauſula, quæ pro vniuerſa rogat Eccleſia: quam & populum, & hæreditatem Dei appellat: quòd cœtum ſibi piorum Deus, ad quem hæreditas pertinet regni cœleſtis, veluti peculium, patrimoniumq; ſuum vendicat. Serua, & cuſtodi tuos Domine: tuam hæreditatem propitio fauore, beneuolentiaq; complectere, regens eam, & euehens ſeculis infinitis. Quod inquit, extolle eos, innuit Eccleſiam, ſub crucem, & omnis generis calamitates ſubiectam eſſe, ideoq; opus habere, vt diuina liberatione vindicetur, & ex malis, & periculis omnibus eripiatur. Hæreditas Dei Eccleſia eſt Ieſu Chriſti.

PSALMVS XXIX.

EVANGELIVM.

COEleſti mentis inſtinctu, afflatuq; diuino incitatus Propheta pronunciat hoc Pſalmo fore, vti Euangelij prædicatione, quotcunq; ſunt oræ, parteſq; terrarum perſonent: neq; id ſolum, ſed proculcatis etiam regum, principum, populorumq; ſapientia, ſanctitate, gloria, & ſplendore omnium, ſolus Chriſtus regnum poſsideat: cui vera ſapientia, innocentiaq; omnes homines honorem, cultumq; adhibituri ſint. Quam quidem ad rem procurandam, in diluuio, ait, ſedere Dominum: hoc eſt, immiſſa in omnes terras eluuione myſticæ ablutionis, qui eſt Baptiſmus, aqua ſalutari credentes perfundere: vt, vetere in ijs ſubmerſo, & extincto, nouus homo emergat, qui piè ipſum, iuſteq; colat ſeculis infinitis. Quod ad ſollicitudinem ſiluarum, & ceruarũ appellationem attinet: ſciendum eſt, ijs loca, regioneſq; ſignificari,

ficari, quas partim Iudæi, partim gentes incolebant: quas aditum in Euangelio, vt ad Filÿ ſui cognitionem inuitentur incolæ, princeps, & moderator rerum omnium Deus ſit aperturus.

I.

Adferte Domino filij Dei : adferte Domino filios arietum : Adferte Domino gloriam & honorem.

Exordium μετὰ προτροπῆς, per ἐπαναφορὰν : quo cohortatur omnes, qui cum imperio ſunt, & ad rerum publicarum gubernacula ſedent : vt pura ſinceraq́; mente colant Deum : eiq; honorem debitum exhibeant, parendo voci ſonanti cœlitus, quæ eſt Euangelium de remiſsione, condonationeq́; peccatorum, & Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti beneficijs. Afficite Dominum reges, & principes, afficite Dominum honore : tribuite Domino fortitudinem, & potentiam, nihil viribus veſtris, opibus, & ſapientiæ aſsignantes. Filios Dei, ὑοὺς θεοῦ, vocat reges, & principes, & optimates ſacrarum literarum more, & conſuetudine : quæ homines virtute inſignes, & qui magnis præſunt imperijs, prouincijsq́;, Deos, & filios Dei appellant : quod adminiſtratio eiuſmodi res ſit quædam diuina, non humana : non enim hominis exercent iudicium, ſed 2. Paral. 19.
Dei, inquit Rex Hebræus. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi Pſal. 82.
omnes. Autor. Filios Arietum, ὑοὺς κριῶν, qui ſunt in translatione Sept. intelligit Theodoretus eos, qui ex gentibus ad fidem Chriſti Apoſtolorum, quos Filios Dei interpretatur, voce venerunt : vt qui à parentibus ratione quaſi deſtitutis ſint prognati : vt conueniat cum illo. Euntes docete omnes gentes. Matth. 28.

II.

Adfer-

Adferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Repetitio, iteratioq; ἀναφορική, vt ſignificetur ſerio requirere Deum hunc cultum à magiſtratibus, ne imperium filij ſui recuſent: ſed verbo ipſius ad nutum pareant, tanquam ducem illud in rebus omnibus ſequentes. Laude, prædicatione, & gloria diuinum numen decorate: veſte iuſticiæ amicti adorate Dominum in ſancto eius domicilio. Afferre ſeu tribuere gloriam nomini diuino, φέρειν δόξαν ὀνόματι κυρίου, eſt agnoſcere fœditatem, & turpificatæ naturæ immundiciem, qua omnes peccatores ſumus, & caremus gloria Dei, vt loquitur Apoſtolus: Deum verò fateri ſapientem, veracem & iuſtum: qui iuſtificat, hoc eſt, ſanctos, & innocentes pronunciat gratis, & ſua innata benignitate, non ipſorum vllo merito, fidem habentes Chriſto Filio ſuo, eamq; vt gloriæ ſint Deo, bonis, & præclaris actionibus comprobantes. Nomen Patris, Filius. Gloria Chriſti, vt & atrium Dei ſanctum, αὐλὴ ἁγία, Eccleſia eſt.

III.

Vox Domini ſuper aquas: Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.

Narratio, quæ Encomio conſtat, & laudatione modificata verbi Dei. Sermo Domini ſuper aquas librat ſeſe: Deus glorioſus cœlum quatit tonitru, Dominus multis incumbit aquis. Confert verbum Dei cum tonitru, ac fremitu, ſtrepituq; nubium: tam propter legem ipſam, quam ex nube tulit in monte Sina Deus, fulgoribus micantibus, inſonantibusq; fragoribus: tum ad miſſionem Spiritus ſancti, quæ cum ſonitu

ſonitu extitit flatus vehementis: aut etiam ad ipſam Dei Patris vocem cœlitus editam in Baptiſmo Chriſti, & monte Thabor: hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite. Mat. 3. 17. Mar. 1. 9. Luc. 3. 9.

Hic mea progenies, hic eſt mea magna voluptas:
Hunc audite viri, & mea credite iuſſa ferentes:
Vni huic mortales omnes parete volentes.

Huc pertinet, vt eſt apud Baſilium, & Theodoretum, quod Iohannes & Iacobus Zebedæi Bonaerges, ὑοὶ φροντῆς, ſoboles tonitrui à Chriſto appellantur. Aquæ, ὕδατα, populi ſunt, & gentes. Mar. 3. Apoc. 17.

IIII.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

ἐπιμονή. *Præpotens eſt ſermo Domini, ac robore præſtat, & fortitudine: ſermo Domini ſummam autoritatem obtinet. Huc illa. Euangelium eſt potentia Dei (vis, & efficacitas diuina) ſalutaris omni credenti (ſalutis efficiens in credentibus) &: Viuidus eſt, & efficax ſermo Dei, & concidentior quouis gladio ancipiti, penetrans ad iuncturas Spiritus, atq; animæ, & ad intima compagum, & medullarum. Quid autem magnificentius dici de verbo Dei poteſt: quàm quod præſtat, vt de impio pius, de captiuo liber, de ſeruo fiat filius? Caßiodorus.* Rom. 1. Heb. 4.

V.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

ἐξεργασία: *quia enim de robore dixerat, ac verbi diuini fortitudine: iam qualis illa ſit, & quanta explanat. Sermo Domini diffindit Cedros: diffindit Dominus cedros Libani. Arma militiæ noſtræ non humana ſunt, ſed potentia Deo (δυνατὰ τῷ θεῷ, diuinipotentia, ſeu σὺν τῷ θεῷ) ad demolitionem*

T munitio-

munitionum: quibus conſilia demolimur, & omnem ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei: omnemq; mentem ab obœdiendum Chriſto cogimus. Cedrus Germaniæ, vt multis alijs Europæ regionibus, ignota, arbor eſt grandis, & procera, iunipero & folijs, & fructibus ſimilis, εὐώδης, καὶ σήψεως βελτίων: montes amat, inquit Plinius, in Creta, Africa, & Syria laudatiſsima. Intelligit autem Propheta ἀλληγορικῶς per cedros reges, & principes, adeoq; omnes, qui potentiæ, ſapientiæ, iuſticiæq; nomine tumidi ſunt, & inflati. Hos enim omnes frangit verbum diuinum: hoc eſt, accuſat, & culpa teneri, ac reos eſſe impietatis pronunciat. οἱ τοῖς φθαρτοῖς τοῦ κόσμου πράγμασιν ἐπερειδόμενοι, κέδροί εἰσι διὰ τὴν ἀλαζονείαν, καὶ τὸ τῆς διανοίας ἔπαρμα. Qui rebus mundi fragilibus nituntur, cedri ſunt propter faſtum, & animi elationem. Baſilius. Libanus mons Syriæ proceritate arborum inſignis, ideoq; inter ſummos ardores opacus, fiduſq; niuibus, vt ſcriptum reliquit Tacitus.

2. Cor. 10.

V I.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Sermonis Dei potentia accidit, vt vitulorum inſtar Libanus, & more pullorum vnicornium Sirion exiliant. Superiore verſu de prima parte μετανοίας, pœnitentiæ, & ab impietate auerſionis eſt concionatus: qua homines impuritatem ſuam agnoſcentes, ob violatam legem, metu diuini iudicij, percelluntur: hic verò de altera loquitur, quæ eſt τῆς πίστεως, fidei: qua gaudium concipitur in animis, lætitiaq;, & exultant oſſa contuſa, doctrina de condonatione peccatorum: quæ teſtatur credentes Filio Dei Chriſto Domino noſtro, omni ſceleris contagione liberari: ideoq; incredibili voluptate, iucunditateq; animos perfundit. Mons Sirion Hermon eſt, qui Ptolemæo Hippus dicitur.

Vox

VII. VIII.

Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Vox Domini concutientis deſertum, & commiouebit Dominus deſertum Cades.

Diuini ſermonis ea vis eſt, vt igni coruſco nubila diuidat. Domini ſermo concutit ſaltum : concutit Dominus ſaltum Cades. Reſpicit ad hiſtoriam vtramq; & latæ legis, & miſſi in Apoſtolos, auditoresq; ipſorum Spiritus ſancti. Pertinet huc Hier. 23.
illud Hieremiæ. Nunquid mea verba non ſunt, ſicut ignis. Et Lucæ 10.
Chriſti : Ignem veni iniectum in terras. Deſerti, ἐρήμȣ, appellatione primùm feras intelligit, Continentis pro contento ſumtione : deinde κατ᾽ μετάληψιν, homines barbaros, & à Dei cultu alienos, ac quaſi in montibus, & ſiluis diſſipatos. Vide Eſaiam 35. & deinceps. Cades ſolitudo eſt Arabiæ : in qua cùm errarent annis quadraginta Hebræi, natura rerum commutata eſt, & ordine inuerſo, cœlum panem, hoc eſt, Manna : aër, & venti carnes : ſaxa aquas præbuerunt iis, quorum nec veſtes obſoleſcerent, nec calceamenta pedum attererentur.

IX.

Vox Domini præparantis ceruos & reuelabit condenſa : & in templo eius omnes dicent gloriam.

ἐπίλυσις, deductione veluti generis in ſpecies, & contenti, quæ continentur explicatione. Ponit autem ſpeciem vnam ceruarum, ἐλάφων, pro feris, & condenſa, ſaltus, δρυμοὺς, qui pars ſunt deſerti, pro arboribus omnibus, & rurſus feras ipſas, & ſaltus, pro omnis generis hominibus : quorum

corda immanitate efferata, & vepribus obſita, promulgatione pœnitentiæ cicurantur, repurganturq́; : & donati Spiritu ſancto ad agnitionem Dei deducuntur. Sermo Domini tremere, parereq́; facit ceruas, & ſaltus detegit. De ceruarum partu ſciendum eſt, illos eſſe difficillimos : itaq́; commemoratione terroris innuitur, eas tonante cœlo metu perculſas fœtus eijcere: quo ſignificatur, homines lege diuina concuſſos, operum, quibus confidebant, tumore liberari: vt expeditiores, & nudi quaſi Chriſtum nudum ſequi poſſint.

Et in templo) Explanatio, ſed breuis, σύνδομος, eorum, quæ hactenus ἀλληγορίαις inuoluta dixit. Verbi diuini inuulgatione ad vim Dei, maieſtatemq́; colendam, venerandam, ac laudibus proſequendam excitati in domum diuinam mortales vniuerſi confluent.

X.

Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum.

ἐξεργασία ἀλληγορική, qua modus deſignatur: quo initiatos recipit in ciuitatem ſuam Dominus, Deusq́; noſter Ieſus Chriſtus. Dominus in diluuio ſedet: conſtituit Dominus genus mortale ſub vndis Eluere, & toto nimbos demittere cœlo: manet Dominus rex in omnem æternitatem. Diluuij, κατακλυσμοῦ, appellatione intelligit, vt dictum eſt, baptiſmatis, cuius ui credentes obruti ſeruantur, lotionem: quæ non eſt corporis
1. Pet. 3. ſordiũ detractio, ſed bonæ conſcientiæ teſtificatio ad Deum per Ieſu Chriſti reſurrectionem. Tu reconciliatus miſereberis noſtri, confectis noſtris criminibus, & proiectis in profundum maris
Mich. 7. noſtris omnibus peccatis. Michæas.

XI.

Dominus virtutem populo ſuo dabit:

dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Concluſio per ἀπαρίθμησιν, enumerationem eorum bonorum, quæ ex verbo diuino ad credentes redeunt: quæ ſunt: inuicti animi robur, & pax quam eandem bonam conſcientiam appelles licet: quibus corde minimè trepidamus: ſed per Christum ad Deum accedimus: & neq; illecebris peccati, neq; Satanæ inſidijs, neq; terrore deniq; mortis de gradu conſtantis in Dei infinitam miſericordiam fiduciæ deijcimur. Dominus robore augebit populum ſuum, & virtute, & potentia: Dominus gentem ſuam felicitabit: & diuina pace, opibusq; cœleſtibus, & ſempiternis exornabit.

PSALMVS XXX.

DEDICATIO DOMVS, ſeu gratiarum actio.

ADuerſarius hominum, vexatorq; perpetuus, cui nomina mille, mille nocendi artes, impreſsionem in eos, qui ſe, ſuaq; omnia Deo conſecrarunt, facere, &, quibus euertat, tendere illis ſolet inſidias, mortis periculo, inopia, contemtu, mœſticia, angore, diurno, nocturnoq; metu, animi imbecillitate, deſperatione, & quæ ſunt eiuſdem generis igneis telis: quibus ille inſtructiſsimus, noſtra verò imbecillitas omnibus minimis momentis expoſita eſt. A quibus, quòd manus Dei potens, & excelſa clementer ipſum protexerit: gratias agit hoc hymno Propheta: ſimulq; conſolatione dulciſsima animos perturbatos, & imbecilles permulcet: cùm oſtendit, breuem eſſe itam Dei, nec miſerijs illum, pernicieq; noſtra lætari:

tiones ſalutem conſequantur. Autor lib. Sap. Non delectaris per-
Sap. 1. nicie noſtra, & poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt
Tob. 3. lachrymas, & fletum læticiam abunde affers. Sara. Breui ſpa-
cio te dereliqui, & prolixa miſericordia te colligam: momen-
tanea ſæuitia tibi paulisper vultum meum ſubtraxi: & æterna
clementia tui miſerebor, ait vindex, & redemtor tuus Dominus.
Eſa. 54. Eſaias. Breuis, leuisq; noſtra calamitas, incredibile dictu, quàm
ſempiternam, quamq; grauem nobis gloriam pariat, non ſpe-
2. Cor 4. ctantibus ea, quæ cernuntur, ſed quæ non cernuntur. Paulus. Ca-
ſtigatio omnis dum premit, non voluptatis, ſed doloris eſſe, &
moleſtiæ cernitur: verùm tandem ſuauem, & ſalutarem iuſticiæ
Heb. 12. fructum reddit ijs, qui per eam ſunt exercitati. Autor ad Heb.

Dei benefacere proprium: qui ſi grauis
Eſt vltor in ſcelera, alienum opus facit,
Vt facere, quod ſeruare, poſsit proprium.

Non enim vult mortem peccatoris: ſed vt conuertatur, &
Ezech. 33 viuat, inquit Ezechiel. Ira Dei noſtræ iniquitatis eſt meritum,
vita verò noſtra, voluntatis eius eſt donum. Fulgentius. Volun-
tas Dei conuerſio noſtra. Bernhardus.

VI.

Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum.

ὑποστροφή. Pertexit .n. narrationem inſtitutam: ac cauſam oſtendit, qua factum ſit, vt in diſcrimen vitæ, ac ſalutis vocaretur nimirum animi reb. ſecundis nimiũ ſibi præfidentis, ſecuritatem. Tanta eſt enim naturæ, quæ à primo generis noſtri parente in nos profluxit, corruptelæ vis: vt rebus proſperis, & ad voluntatem fluentibus, maiores ſibi Spiritus ſumant homines: faſtidioq;, quod Ezechiæ oſtendit hiſtoria, et contumacia elati, in Dei præcepta minùs intendant animos, frenumq; cupiditatibus laxent. Vt igitur equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus ſolemus tradere, vt his facilio-

ribus

ribus vti poſſimus: ſic, ne in omnis generis vicia præcipites ruant, & prorſus ſalutis faciant iacturam, effrenatos ſecundis rebus ſanctos ſuos Deus aduerſario dedit vexandos: vt calamitatibus, & ærumnis, tanquam in gyrum ſpiritu diuino illuſtratæ, & lumine cœleſti incenſæ rationis, quæ eſt fides, ducti, virium ſuarum imbecillitatem perſpiciant: & in ſolo Deo diſcant acquieſcere. Cùm commodè mecum ageretur, & tranquillus eſſet rerum mearum ſtatus, non dubitabam ſic mecum apud animum verba facere: Equidem nunquam labefactabor. Cùm profligatis hoſtibus, & regno pace, legibusq; firmato potens eſſem, & beatus, ſic mecum cœpi cogitare demens: Præclarè ſeſe habent res meæ, nunc ſanè fortunam aduerſam nunquam experiar: caſus nullus rerum mearum tranquillitatem perturbabit.

VII.

Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: auertiſti faciem tuam à me: & factus ſum conturbatus.

Ratio per παρένθεσιν μεταφορικήν. Nam pro bonitate tua præſtiteras robur monti meo: tuo fauore, & liberalitate regnum meum montis inſtar firmaueras. Montem vocat imperium & rerum ſuarum felicem ſtatum: quem ita ſtabiliuerat Deus, vt inſtar rupis firmiſſimæ haberet.

Auertiſti) *Talia igitur cum animo meo cùm loquerer, tu vultum tuum abſcondiſti, & ſum perturbatus: auertiſti oculos, atq; illico & animo mihi cœpit malè eſſe & incredibilis rerum mearum facta eſt commutatio. Loquitur de peccatis ſuis cæde & adulterio.*

VIII. IX. X.

Ad te Domine clamabo : & ad Deum meum deprecabor.

Quæ vtilitas in ſanguine meo? dum deſcendo in corruptionem : Nunquid confitebitur tibi puluis : aut annunciabit veritatem tuam?

Audiuit Dominus & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adiutor meus.

Dicit ad precationem ſe confugiſſe in ærumnis, & calamitatibus ſuis. Oratio enim, & imploratio Numinis vnicum eſt rerum incommodarum remedium: in quibus vana, inanis, & nullius momenti ſalus, & tutela hominis, vt alibi Propheta loquitur. Pſal. 60. *Vnde etiam D. Iacobus: Affligitur veſtrum aliquis, inquit, ſupplicet. Nam hæc vis grata eſt Deo: ſi, licet iratum ſibi eum non ſana mentis ratio proponat ob oculos, fidenter ad illum precibus, obſecrationibusq́; confugias: & ab illo leuationem miſeriarum flagites. Vtitur autem* μιμήσει, *& quibus verbis vſus ſit, cùm ſalutem à Domino precaretur, exponit. Proſtratus, & perditus lachrymas, vocesq́; fundens lamentabiles ſic te ſum deprecatus: quidnam vtilitatis redibit ad te, ſi ſalutis ſpe abiecta ad exitum vitæ vocer: & vſura lucis huius amiſſa ante annos, primoq́; extinguar in æuo? Nunquid te puluis ornabit laudibus, fidemq́; tuam prædicatione extollet? Nunquid redactus ad interitum dilapſam religionem conſtituere, & quæ ad maieſtatem tuam colendam conferunt, introducere potero? Multum de tua detrahetur gloria, ſi periero: neq; enim nomen tuum laudibus efferre, atq; alios ad cultum nominis tui potero cohortari. Audi igitur Domine, & miſericordiam*

cordiam mihi tribue. Domine reconciliatus mihi, excipe voces meas: nec rogantem ſuppliciter, & extrema ferentem omnia à te reijce: præbe te mihi defenſorem, & ſalutem miſero reſtitue.

XI.

Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: concidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.

Precationis effectus imagine illuſtratus: qua oſtendit obſecrationes, & vota ſua exaudita eſſe, ſeq́; ope, auxilioq́; diuino fuiſſe recreatum. Pondus habuerunt apud te Domine preces meæ: nam mœrorem meum vertiſti in chorum, pro ſordidoq́; ſacco gaudijs veſtitus ſum. Pro lugubri mœrore læta gaudia, pro fœditate veſtium ſqualentium togam dediſti candidam. Saccus pullam, & lugubrem veſtem, ſeu amiculum nigellum notat: quo quia induebantur lugentes apud Hebræos, factum eſt, vt ſacris in literis pro luctu, & ſqualore vſurpetur. Vnde συνεργὸς, *inquit Baſilius,* εἰς μετάνοιαν ὁ σάκκος ταπεινώσεως ὑπάρχων σύμβολον. *Subſeruit Saccus pœnitentiæ, vt qui nota ſit humilitatis.*

XII.

Vt cantet tibi gloria mea & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Concluſio finalem cauſam, τὸ τελικὸν αἴτιον *continens, cur vt à miſerijs, & ærumnis nos vindicet Deus, petere debeamus: nimirum, vt liberati gratias illi agamus, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & honore* Pſal. 50. *afficies me. Quare in omni vita honorificè te cantabo Domine*

mi

mi Deus: te ſemper celebrabit cithara mea: neq; vllum vnquam tempus eſt futurum, quo de tuis laudibus lingua mea conticeſcat. Gloriam, δόξαν ſuam linguam, & Pſalterium intelligit, quòd ea Deo honos afferatur.

PSALMVS XXXI.

ECSTASIS.

GRatiarum actio perpetua,& generalis coniuncta cum precatione,& conſolatione: expoſita perſona Ieſu Chriſti ſeruili forma ad ſuppliciũ, mortemq; rapti, & ſanctorum omnium: qui, quàm diu miſeram in terris, & ærumnoſam vitam degunt, intrinſecus pauoribus, & animi triſtis, demiſsiq; abiectione, extrinſecus infeſtis hoſtium incurſionibus,conuicijs, & contemtu propter doctrinæ ſalutiferæ profesſionem oppugnantur. Verùm benignitate tandem diuina, ex malis, calamitatibusq; liberantur: &,ægritudine ſublata, periculisq; propulſatis omnibus, cœleſti conſolatione excitantur, & confirmantur.

I.

In te Domine ſperaui: non confundar in æternum, in iuſticia tua libera me.

Propoſitio ratione præmiſſa. Qui omnia poteſtate infinita complecteris, Domine,affer mihi ſalutem: Domine opitulare triſtiſsimis curis vexato, & confecto: ne erubeſcam. Nam valere iuſsis præſidijs humanis, repudiatis viribus, opibusq; proprijs, reiecta deniq; ſapientia, iuſticiaq; vniuerſa, in te ſpem ſalutis omnem fixam, & locatam habeo. Te ſolo nitor

Domi-

Domine: tibi vni confido: ne permitte, pudore vt afficiar: ſed pro tua benignitate, & clementia ex periculis ereptum defende, & tuere. Iuſticia, δικαιοσύνη, hoc loco fidem Dei ſignificat: qua promiſſa præſtat, & propugnat fortiter pro omnibus, qui ſe præſidio ipſius, & tutelæ committunt: maximè autem pro Chriſto, de quo edita voce cœlitus dixit: Hic eſt filius meus chariſſimus, qui mihi gratus eſt & acceptus. Matth. 3.

II.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me: Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.

ἐπανάληψις, *propoſitionis repetitio. Pateant aures tuæ querelis meis: & ſine mora accelera, & ab exitio me, & interitu eripe. Eſto mihi prærupta rupes & inuia, munita domus, tutum aſylum ad perniciem à ſalute mea depellendam. Rupem, & domum refugij,* καταφυγῆς οἶκον, *pro defenſione, & propugnatione poſuit,* κατὰ μετάληψιν.

III.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

Rationis iteratio, tranſumptione & ipſa expoſita. Tu mihi petra es, & propugnaculum: tu arx editiſſima, firmiſſimaq́; ſpem ſalutis in tuo præſidio, auxilioq́; totam repono.

Propter nomen.) *Alia ratio. Libera me propter famam nominis tui: ne, ſi me deſeras, conuicium tibi faciant impij:*

impij: & verborum contumelia gloriam tuam lacerent. Rogo, vt me nominis tui ergò ducas, atq; perducas. Forma orationis ſumta eſt ab imperatoribus ductantibus exercitus.

IIII.

Educes me de laqueo quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

Ἀφηγημάτιον, *narratiuncula: qua, imagine ſumta à venatoribus, inſidias fieri ſibi oſtendit, cum iteratione petitionis: qua magnitudo periculi indicatur: quo coactus ſermonis forma mutata, idem ſubinde à Domino poſtulat. Extrahe pedes meos ex reti, quod occultè tetenderunt contra me hoſtes mei. Periculum, quod creant mihi inimici mei, mortis propulſa: quoniam tu es defenſor, & propugnator meus.*

V.

In manus tuas commendo Spiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Συντομία, *qua breuiter comprehenſa repetit, quæ dixit omnia. Totum me tibi, quantus ſum, commendo, & trado: quicquid ſum & animo, & corpore, permitto fidei tuæ tibi vindici, parentiq; ſalutis meæ in manum iſtam rerum omnium præpotentem, & fidelem. Spiritum, animam, & vitam meam depono. Præſens pro futuro, & eſt apud 70.* παραθήσομαι. *Hæc vltima fuiſſe verba Ieſu Chriſti Domini, & liberatoris*
Luc. 23. *noſtri in cruce vitam exhalantis Lucas Euangeliſta ſcribit, cum inquit. Ieſus clamans ingenti voce dixit: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum: Et Stephani lapidati. Domine Ieſu*
Acto. 7. *accipe Spiritum meum. Ex quo apparet, quod dictum eſt initio,*

rectè

recte hunc Pſalmum ad Chriſtum Dominum, & pios omnes accommodari. Addit autem rationem Propheta. Nam me redimis Domine Deus fidelis, & verax: nam aliâs quoq; laboranti opitulatus es: & oppreſſo ſalutem attuliſti. Vt Deus mentiatur, fieri non poteſt, Autor epiſt. ad Hebræos. Quod promiſit Deus non mentitur. Hieremias. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, nec eos cruciatus attingit. Autor libri Sapientiæ. Heb. 6. Sap. 3.

VI.

Odiſti obſeruantes vanitates: ſuperuacuè: ego autem in Domino ſperaui.

Alia ratio. Nam odi obſeruantes vanitates fruſtra. Iniquus ſum omnibus, qui nituntur rebus inanibus, fallacibusq;: ex quibus non modò fructus nihil colligunt: ſed plurimum quoq; accipiunt detrimenti. Vanitates, ματαιότητας, intelligit cum ſuperſtitiones, & quibus pietas apparens religioſa iactat ſeſe, ceremonias nugatorias, & à Dei cultu vero alienas: quales ſunt, de quibus inquit Chriſtus: Fruſtra me colunt docentes doctrinas, & mandata hominum: tum iuſticiam, ſapientiam, potentiamq; mortalium vniuerſam. Matth. 15.

VII. VIII.

Exultabo & lætabor in miſericordia tua: quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.

Nec concluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.

προσέρχ.

πρόῤῥησις ἐπαγγελτικὴ de liberatione futura, & animi grati et ſalutis acceptæ memoris promiſſione. Exultabo lætícia in miſericordia, & clementia tua: qui reſpectum habueris ad inopiam meam: qui cognitis animi mei angoribus ad meas ærumnas vultum tuum clementer conuerteris: nec me libidini inimici, & hoſtis permiſeris, explicatis pedibus, & in loco ſpacioſo, & patente greſſibus meis firmatis. Venit huius mundi princeps, nec habet in me quicquam. Chriſtus. Locum ſpacioſum, & liberum, εὐρύχωρον, laqueis opponit, retibusq; aduerſariorum.

Ioh. 14.

IX.

Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

ἐπανάληψις, repetitio propoſitionis, amplificata narratione, καὶ διατυπώσει, dolorum & ærumnarum ſuarum. Miſericordiam tribue mihi: animo enim malè eſt, adeò etiam vt præ mœrore omnia membra contabuerint. Immenſo quibus premor, peccatorum pondere vires animi fractæ ſunt: nec vel oculi, vel animus, vel venter, aut vlla deniq; pars corporis mei officium ſuum facit: quid multis? in tanto animi dolore ſum, vt emoriar. Ægritudo animi, & mœſticia, quæ vocatur, Spiritus & mentem, & oſſa, adeoq; ipſas medullas conficit. Summa plaga triſticia cordis. Siracides. Mens hilaris iuge conuiuium eſt: at ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Et: Vt tinea pannum, & teredo lignum: ſic hominis triſticia mentem lædit. Solomon. γῆρας λῦπαι τίκτουσι, καὶ πρὸ τῶν χρόνων, Prematuræ ſenectutis cauſa mœrores. Theologus. Oculus συνεκδοχικῶς facies.

Sir. 25.
Prouer. 17. & 25.

X.

Quoniam defecit in dolore vita mea:

mea: & anni mei in gemitibus: infirmata eſt in paupertate virtus mea & oſſa mea conturbata ſunt.

ἐπιμονὴ, expolitio, commoratioq́;. In dubium venit præ ægritudine, & gemitu vita mea: deficit ætas: dum afflictus hunc ad modum vitam in tenebris traho, & luctu,

ætatis facta eſt quanta ruina meæ.

Omne robur & animi, & corporis concidit: computruerunt oſſa mea: Periculoſe ægrotanti propter peccata, dubia ſpe vitæ omnes vires carpi, omnia membra cœperunt conſeneſcere. Paupertas, πτωχεία, peccata ſunt hoc loco, & iniquitates. Etſi enim Chriſtus expers fuit criminis, & ab omni peccato immunis: coniecit tamen Dominus in eum omnium noſtrum crimina: &, vt Paulus loquitur: eum, qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum. 2. Cor. 5.

XI. XII.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valdè: & timor notis meis: qui videbant me foras fugerunt à me.

Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde: factus ſum tanq; vas perditum.

Amplificatio à circumſtantijs. Adhæc mala accedit cùm hoſtium in calamitates meas inſultatio, tum amicorum fuga. Omnibus inimicis meis riſui, & oſtentui ſum: vicini, & familiares quaſi maculam gentis, & labem, ignominiamq́; ciuitatis abominantur me. Huc referri debet, quod ſcribit Euangeliſta:

nis, & eripiam eum, & glorificabit me. Facies, πρόσωπον, Dei fauorem diuinum ſignificat. Hoc ſibi deſtitui videntur, qui in calamitatum tenebris verſantur. Dicendo, In tua miſericordia, negat meritum ſuum. Caſsiodorus.

XVII. XVIII.

Domine non confundar quoniam inuocaui te: Erubeſcant impij & deducantur in infernum.

Muta fiant labia doloſa: quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & abuſione.

ἀρά, imprecatio: qua malam exoptat non tam ſuis, quàm diuinæ gloriæ hoſtibus. Inanis ſit ſpes impiorum, & compeſcantur ipſi inferno. Obmuteſcant labia mendacia, quæ arroganti faſtu, & ſuperbia inſolenti congerunt crimina in innocentem. Iuſtus, δίκαιος, Chriſtus: quia via, veritas, & vita. Iniquitas, ἀνομία, conuicia aduerſariorum. Peccator, Samaritanus eſt, habet dæmonium, Cenſum vetat Cæſari dari, & quæ ſunt eiuſdem generis.

XIX.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abſcondiſti timentibus te: perfeciſti eis qui ſperant in te: in conſpectu filiorum hominum.

ἐκφώνησις, qua conſolatur ipſe ſe in ærumnis, & viam quaſi muniens ad gratiarum actionem interminatam Dei beneficentiam admirabundus extollit. Bona, quæ à peccatis auerſis

thesauro

theſauro quaſi conſtructa recondidiſti, præmia, quæ agnoſcentibus te apud homines, & ſe, ſuaq; omnia tutelæ, & miſericordiæ tuæ committentibus in domo cœleſti conſtituiſti, gaudia ocij, & quietis, qua fruentur humanis miſerijs liberati, ſe tibi qui conſecrarunt, talia ſunt, ac tanta, vt præſtantiam eorum nec oculus hominis viderit, nec auris audiuerit, nec animus cogitarit. Qui me confeſſus fuerit apud homines, confitebor ego eum apud Patrem meum cœleſtem, inquit Chriſtus. Et Apoſtolus: Non ſunt pares afflictiones huius temporis, gloriæ, qua ſumus afficiendi. Ad quæ verba rectè Carpentoractenſis: Omnes huius ſeculi moleſtiæ, omnes ærumnæ, incommoda omnia non ſunt idonea ad tantum promerendum, quantum illis incommodis præmium propoſitum eſt: quandoquidem collecta, & coaceruata in vnum, ſi in contentionem futuræ gloriæ deducantur, illius magnitudine, & felicitate longè inferiora ſunt. Matt. 10. Rom. 8.

XX.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ: à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

Expolitio. Quid? quòd in hac quoq; vita mortali
Subtrahis abſconſos iræ, furijsq; malorum:

in adytis, & intimis conclauibus abſtruſos vultu tuo ab iniurijs, & importunitatibus hominum defendis: in latebris domus tuæ, & tegumento habitaculi abdis: vt tuti ſint ab ijs, qui malicia agunt cum pijs, & fraudibus eos, dolis, & calumnijs premunt. Reſpicit cum ad hiſtoriam Moſis, qui tutus fuit, cùm fugiſſet ad tabernaculum, tum ad illud: Locus eſt apud me, & ſtabis ſuper petram: cumq; tranſierit gloria mea, ponam te Exod. 32.

PSALMVS XXXII.

INTELLIGENTIA.

EXcellit carmen hoc inter ea Dauidis cantica, quæ à doctrina, inſtitutioneq; διδασκαλικὰ appellantur. Docet enim, & explanat, tum quid ſit peccatum, tum qua via, & ratione ſolui eo, & execratione, qua ſumus deuincti, liberari, ac criminibus, inquinamentis, & ſordibus omnibus obliuione ſempiterna ſepultis, in gratiam cum Deo venire, & iuſticiæ, innocentiæq; laudem valeamus conſequi. Ratio humana, quæ, circumfuſa tenebris, quàm diu orbata eſt lumine diuino, ſemper errat, quæ vis ſit peccati ignorat: & perperam, ac ſceleratè facta, à ſua cura, induſtriaq; profectis, bonis actionibus ſe compenſare poſſe autumat. At verò Pſalmus iſte pronunciat, etiam ſanctiſsimos quosq; peccatores eſſe: nec alia re vlla cum Deo poni in gratiam, & ſempiternam miſeriam declinare poſſe: quàm ſi cognoſcant, & ſyncerè confiteantur, atq; ex animo, ſe impuros, & peccatorum maculis contaminatos exiſtere: ac certò ſibi perſuadeant, ſine vllis ſuis operationibus, ſola Dei miſericordia, & ignoſcentia iuſtos eſſe. Omnino iuſticia noſtra in eo ſita eſt, vt nobis condonet peccata noſtra Deus, ſeu, vt loquitur Dauides, culpas non imputet: ſed tegat eas, hoc eſt, & ab oculis remoueat, & diſsimulet. Quid enim verbis his clarius: beatos eſſe, non qui nulla peccati macula, nullo pædore ſcelerum ſunt infecti: (quis enim eſt talis ex genere hominum vniuerſo) ſed quorum peccata miſericordia Dei ſunt abſcondita, obliterataq;: Hoc nihil eſt aliud, quàm ſanctos omnes peccatores & eſſe, & manere: iuſtos verò, & in-

& innocentes fieri ideo, quòd, motus innatæ clementiæ, gratuitæq; bonitatis abundantia Deus, peccatorum illorum rationem non ducat: ſed offenſionem ex ijs obliuione perpetua deleat. Vt hac ratione nihil inter ſanctos ſit diſcriminis, & nocentes (nam vtriq; ſunt peccatores, & culpas contrahunt quotidie) niſi quòd eorum, quæ committunt qui in gratiam cum Deo reconciliati ſunt ſancti, ratio non habetur: ſed velo quaſi obtenſo occuluntur: nocentum verò, qui in peccatis adhuc ſunt inuoluti, admiſsa ad rationem reuocantur, & patent. Illorum plagæ fomentis gratiæ, & fauoris diuini mitigatæ ſunt, & obligatæ: horum verò vulneribus medicamenta nulla impoſita; re tamen vera vtriq; & ſaucij ſunt, & peccatis contaminati. Sumus iuſti, non quaſi peccatum non habeamus: (ſingulis enim momentis opus habemus hac precatione, Remitte nobis debita noſtra) ſed quòd peccata, quæ habemus non imputantur, ſed propter fidem in Chriſtum condonantur. Hagnon.

I.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Propoſitio. Beatus eſt, cui condonata ſunt delicta, cuius velatum eſt, & coopertum peccatum: felix cuius cœleſti venia, clementiaq; deleta, & ſepulta eſt iniquitas: cuius crimina tegmine gratiæ diuinæ cælantur. Philoſophi ſaniores felicitatem hominis in operatione virtutis conſtituunt: & rectè quidem illi, & legi cœleſti conuenienter: ſi talis eſſet natura noſtra, quæ virtutem numeris omnibus abſolutam præſtare poſſet. Nunc in hac contaminatione naturæ, ex primorum parentum

V 5 pecca

peccato ad omnem illorum propaginem deducta, fieri nequit, quin omnium aſpirantium ad eiuſmodi felicitatem conatus, labor, & induſtria ludatur. Neq; enim quisquam eſt, qui in vllo officiorum, virtutumq́; genere ad ſummum peruenire, itaq́; ſuis ſeſe actionibus à peccato aſſerere, & integritatis, iuſticiæq; laudem poßit adipiſci. Beati igitur ſunt, non, qui culpam nullam commiſerunt: qui ſe nullo adſtrinxerunt ſcelere, ſed quorum peccatis miſericordia Dei veniam tribuit. Tribuit autem ijs, qui agnoſcunt impuritatem animi ſui, eamq́; deteſtantur: ac ſpem abſtergendæ illius in ſola miſericordia Dei propter, qui vniuerſum orbem terrarum expiauit, & in diuinam gratiam reſtituit, Ieſum Chriſtum ponunt. Nemo poteſt eſſe beatus, niſi, qui iuſtificat impium, à Deo. Hieronymus. Pro eo, cui remiſſa eſt iniquitas: ex Hebræo quidam transferunt: leuatus iniquitatem: vel, cuius crimina portantur: qua loquendi forma reſpexit Propheta, tum ad illud, quod Moſes prius dixerat:
Gen. 3. Nonne, ſi bene egeris, erit leuatio? tum quod poſtea clariùs
Eſa. 51. expreſſerunt, Eſaias: Verè dolores noſtros tulit, & peccatum
Ioh. 1. portauit. Et: poſuit (coniecit) in eum Dominus iniquitatem omnium noſtrum. Et Baptiſta: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Hic eſt, hic generis qui delet crimina noſtri
1. Pet. 2. Innocuus, verusq́; agnus diuinus. Et Petrus: Peccata noſtra ipſe pertulit corpore ſuo ſuper lignum (ſuo corpore ſuſtulit in patibulum.) Tecta ſunt) cooperta, & inuoluta non humanæ, vt quidam ex Apoſtolo malè intellecto, interpretantur, ſed Dei caritatis velo. Nemo enim tegere ſeſe: nemo fœditatem naturæ propriarum virium, virtutumq́; tegumento conueſtire poteſt: ſed iuſticia Chriſti & innocentia, qui autor eſt, effector, & Princeps ſanctitatis vniuerſæ, inuolui neceſſe omnes habemus: vt, quemadmodum Iacob ille pro Eſao, ſub aliena veſte, quæ fratrem referebat, patri acceptus fuit: ita &
Gen. 27. nos Patri cœleſti ſub filij ipſius iuſticia, et ſanctitate placeamus:

&

&, pro germanis liberis agniti hæreditatem regni ſempiterni cernamus. Paulus. quotquot baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Remiſsione peccatorum opus habemus, etiam cùm bona opera habemus. Illa autem remiſsio ſemper apprehenditur Fide: ita Chriſtus manet Pontifex, & Mediator. Phœnix Apologia. Gal. 3.

II.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Διατριβὴ *iteratio, expolitioq́; propoſitionis* κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. *Beatus homo, cuius admiſſorum memoriam depoſuit Pater cœleſtis, nihil ſibi de criminibus illius conſtare affirmans: cuius peccatum induxit ſublatum quaſi de tabulis rationum: cuius de aduerſarijs ſuis debitum deleuit: obliteratoq́; chirographo, omne nomen condonans iuſticiam ei tribuit ſine operibus. Hanc eſſe mentem Prophetæ confirmat* Matth. 18.
D. Paulus in ea epiſtola, quam ad Romanos miſit. Ei, qui ope- Coloſ. 2.
ratur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum Rom. 4.
debitum: ei verò, qui non operatur, ſed credit in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſticiam: quemadmodum & Dauid explicat beatitudinem, μακαρισμὸν, *hominis, cui Deus imputat iuſticiam abſq; operibus: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Qui ſunt beati, inquit hoc loco Epiſcopus Hipponenſis? Non, in quibus non inuenerit peccatum: nam in omnibus inuenit: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur: remanet, vt non ſint beati, niſi quorum remiſſa ſunt peccata. Ex veteribus ſacrarum literarum conſultis, quos Theologos vſurpamus, ſunt, qui tres peccati ſpecies his verſibus à Propheta deſignari exiſtiment: quorum inſitum naturæ crimen,*

men, ac primæua, ac princeps noxa, Originale quod vulgo dicitur peccatum, quo nos primus parens noſter infecit, remittatur: ignoſcibile verò, quod veniale, tegatur: Mortiferum, & letale non imputetur. Nulla eſt enim peſtis tanta, immanitasq́; viciorum, nullus tantus aceruus ſcelerum, quem non agenti pœnitentiam, & adiungenti ſe per fidem ad Chriſtum condonet miſericordia diues Deus, & obliuione ſempiterna deleat. Ieſu Chriſti ſanguis mundat, & purgat nos ab omni peccato.
1. Ioh. 1. Apoſtolus Iohannes. Facis omnia Chriſte ſanguine munda tuo, Arator.

Nec eſt in Spiritu.) Cuius in intimo mentis receſſu fraus, & dolus non eſt:

Vt fucos, tacitumq́; nefas ſub pectore condens
Perditus, adijciat veteri noua ſemina culpæ.

Intelligit Propheta non contingere felicitatis beatitudinem niſi ijs: qui primùm confitentur ex animo ſeſe peccatorum ſordibus inquinatos, ideoq́; morte, & exitio ſempiterno dignos eſſe: deinde ſtatuunt ſeſe in gratiam poſitos apud omnium rerum præpotentem Deum, propter ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: & mera eius bonitate, & miſericordia nullis interuenientibus prorſus vel antecedentium, vel conſequentium, vel comitantium virtutum meritis iuſtos eſſe. Dolus eſt, quam ὑπόκρισιν vocamus: quæ eſt, ſe iactantium eſſe, vt loquitur Auguſtinus, quod non ſunt, ſimulatio pietatis, & venditatio, oſtentatioq́; virtutis, orta ex φιλαυτίᾳ, amore noſtri: quo ſibi quiſq; aſſentatur, neq; ſincere propter ipſum Deum, ſed ſui commodi, emolumentiq́; gratia ad mandatorum cœleſtium præſcriptiones vitam, & mores conatur conformare. Iam cum id agant hypocritæ, non vt ſint, ſed vt habeantur boni, & propter incurrentem in oculos hominum iuſticiæ ſpeciem, gloriam ſibi innocentiæ impudenter arrogent, & venia ſibi, condonationeq́; peccatorum minimè opus eſſe arbitrentur: Deo reſpicienti ad inopes, animoq́; fractos, & diui-

diuina edicta formidantes placere nullo modo poſſunt. Domino enim placet, qui ſibi diſplicet, inquit Caßiodorus.

Picti inſidias pectoris, osq́; ſubæratum
Recti reminiſcens opifex abominatur.

III.

Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea : dum clamarem tota die.

Ratio ἀπὸ τῆς δοκιμασίας ἤδε ἐμπειρίας, *à periclitatione propria. Conſtare iuſticiam remißione, condonationeq́; peccatorum vſus me docuit, & experientia ipſa. Videbam quidem integrum me, & ab omni criminum labe purum non eſſe: ſed tamen cum blandirer ipſe mihi, & amplexarer quaſi, exoſcularerq́; meas viriculas, quibus fieri poſſe mihi perſuadebam, vt me vendicarem ab iniuſticiæ nota, nec gratuitæ miſericordiæ Dei liberationem à peccato acceptam referre vellem: adeo conſiſtere animo non potui, vt in tantas etiam miſerias detruderer: vt fatigatus, mentis pariter corporisq́; doloribus macie miſerandum in modum conciderem,* κακία σιωπηθεῖσα νόσος ὕπουλός ἐστιν ἐν τῇ ψυχῇ. *Malitia ſilentio dißimulata morbus ſupputridus in anima. Baſilius.* ἡ ἁμαρτία ὁμολογουμένη ἐλάττων γίνεται, μὴ ὁμολογουμένη δὲ χείρων. *Peccatum confeßione prolatum minus fit, non prolatum, peius. Chryſoſtomus. Peccatum originis ſemper tegit ſuam deformitatem: Cuius quidem vim nemo hominum ſatis cogitando poteſt aſſequi. Hagnon.*

IIII.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.

ἐπι-

ἐπιμονῇ. *Manus me tua dies, noctesq́; vrgebat adeo: vt qui ſucciplenus ſorem antea, magis aridus redderer, quàm ariſtæ ſunt in meſſe:*

mihi feſſa graui tabebant membra dolore,
Oßibus & medijs defeſſus inaruit humor:
Maturas veluti cùm vis coquit ignea meſſes,
Et teretes calami, & flauæ torrentur ariſtæ. *Manum Domini,* τὴν χεῖρα τοῦ κυρίου, *vocat animum malè ſibi conſcium: qui iratum nobis Deum ante oculos proponit, & pacata, tranquillaq́; mente nos eſſe minimè patitur. Vtitur autem imagine à terra ſumta, quæ calore temporis æſtiui*

Fiſſaq́; agit rimas, & ſuccis aret ademtis.

Vt enim cum ſolis ardore exuruntur arua, pratorum herbeſcentiumq́; frugum viriditates pereunt,

Pabula caneſcunt, cùm frondibus vritur arbos:

ſic, qui iræ diuinæ feruoribus torretur: eius & animum, & corpus ſucco exhauſto contabeſcere, & deformari affirmat: idq́; contingere omnibus, qui, cùm naturæ conſceleratæ labes, & impuritatem vitæ ſuæ animaduertunt, non in ſolam Dei miſericordiam omni animi ſenſu recumbunt: ſed ſuis ſibi actionibus, & meritis conſcientiæ pacem, tranquillitatemq́;, & aſcenſum deniq; in cœlum pollicentur. Eiuſmodi enim homines dies, ac noctes Dei, qui dißimulationis integumento occultantes peccata ſua ferre non poteſt, prementem manum ſentire, & peccatorum cruciatu vexari eſt neceſſe. Duo igitur præcepta, quæ ad conſequendam faciunt beatitudinem, Propheta tradit: vnum, vt ſtatuamus ex mera, gratuitaq́; bonitate propter promiſſum patribus, nobis verò exhibitum filium propitiũ eſſe patrem cœleſtem: Alterum, vt morte peius vitemus exitioſam illã peſtiferamq́; perſuaſionem, qua omniũ hominum animi ſunt imbuti: vt exiſtimemus fieri poſſe, vt opibus proprijs animi labes & maculas peccatorum eluamus. Omnino ex lege Dei opera ſancta, præclaraq́; perficere nos omnes par eſt et pro virili dare

operam

operam, ne turpitudine vitæ numinis in nos iram incitemus: ſumus enim ad vitæ ſanctitatem, bonorumq́; operum ſtudium conſtituti à Deo, & deſignati: verùm opera, actionesq́; omnium, quamuis honeſtæ, præſcriptoq́; legis conuenientes, nec gratiam nobis Dei, nec felicitatem, ſalutemq́; conciliant: ſed ſalutis noſtræ cauſa eſt vnica, patris cœleſtis fauor, & beneuolentia: quæ miſericordiam nobis tribuit, turpitudine ſcelerum deleta propter, cuius ſanguine, ac morte ſumus illi reconciliati, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam & vnus, & ſolus expers peccati ſanctus fuit, & innocens, ac numeris virtutum omnium abſolutiſſimus: noſtra verò natura contaminata eſt, & vicio primorum parentum, quorum corruptela in omnem propagata eſt poſteritatem, ita deprauata, vt præſtantiſſimæ etiam actiones ſordibus peccati conſpurcatæ, ideoq́; inchoatæ tantùm ſint, & imperfectæ. Nemo igitur ſua vita, ſuisq́; ſtudijs obtinere iuſticiam, & ſalutem ſibi comparare poteſt:

licet ille ſacræ ſe deſtinet aræ
Sponte ſua, & ſæuos torrendum iactet in ignes:

ſed ſolius hoc eſt ignoſcentis, & gratuitò condonantis, inſtinctu, & afflatu Spiritus ſancti doctrinæ cœleſti credentibus peccata: & propter Chriſtum ſua nos miſericordia complectentis Dei munus, & beneficium: in quo pios læta, pacataq́; mente per omnem vitam decet acquieſcere.

V.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſticiam meam non abſcondi: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſticiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pecca-

Peccatum igitur meum tibi expoſui: flagitij deformitatem aperui: animi labes confeſſus ſum, culpam te meam latere nolui. Explicat vates ſanctus, quid fecerit, cùm ex verbo Dei, Spiritus ſancti ductu, intelligeret, quantum ſibi calamitatis ſilentium ſuum, diſsimulatióq; attuliſſet: docens exemplo ſuo omnes, qui Deum ſibi expetunt propitium, vt, in dolore ex recordatione flagitiorum, apertè, & ingenuè confiteantur ei de peccatis ſuis παραδειγματίζοντες, καὶ θριαμβεύοντες, τὴν ἁμαρτίαν, ὡς ἀξίαν ὕβρεως, *in peccatum edentes exemplum, idq́; triumphantes, vt dignum contumelia quemadmodum inquit Theologus. Quod ſi fecerint, experientur, fidenter ad Dei miſericordiam confugientibus medicinam eſſe ſalutarem confeſſionem. Nihil enim rerum omnium melius, nihil ad Dei fauorem, beneuolentiamq́; conciliandam magis conducibile: quàm agnoſcere deprauationem, fœditatemq́; turpificatæ naturæ: &, diuino ſplendore colluſtrata, fide bonitati clementiæq́; diuinæ totam iuſticiæ noſtræ laudem aſsignare. Si confitemur peccata noſtra, ille ita fidelis, & iuſtus eſt, vt nobis peccatorum veniam det, noſq́; ab omni culpa expiet, Iohannes.* οὐδὲν οὕτως τὸν θεὸν ἵλεων ποιεῖ, ὡς τὰ οἰκεῖα

1. Ioh. 1. ὁμολογεῖν ἁμαρτήματα. *Nihil æquè Deum propitium facit, atq; propria peccata confiteri. Chryſoſtomus.*

magna eſt medicina fateri,
Quod nocet abſcondi: quoniam ſua vulnera nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti. Sedulius.

Accuſet te Deus, & lex diuina: tu verò te non excuſa: ita pax erit, & animæ & oſsibus tuis. Taulerus. Talis confeſsio, quæ fit Deo, eſt ipſa contritio. Phœnix Apol.

Dixi) μίμνησις. *Quia didiceram magno meo malo naturæ humanæ vires, & actiones virtutum, quantumuis præclaras adeò nihil momenti habere ad obtinendam ſalutem, vt, qui earum nitatur fiducia, in odium Dei potiùs incurrat, quàm conſequatur gratiam: nihil prius faciendum mihi putaui:*

quàm

quàm vt, abiecta omni cunctatione, contaminatum me vicijs, & inquinatum criminibus eſſe ad Deum confiterer: & in clementiæ, benignitatisq́; cœleſtis portum penetrarem, optima ſpe de miſericordia diuina concepta. Quæ quidem adeò me fruſtrata non eſt, vt nulla mora facta non modo mihi animi impietatem, flagitiaq́; omnia condonares: ſed ſceleribus etiam debitas, quas iurè à me poteras repetere, pœnas remitteres. Quam velociter placauit iram Dei? promittit ſe pronunciaturum iniuſticiam ſuam: & iam illi dimittitur. Vox eius nondum in ore, ſed auris Dei iam in corde erat. Paratus eſt ſemper Deus peccata noſtra indulgere, ſi non tardauerimus ad eum reuerti. Auguſtinus. Ex hoc verſu ſumſit Theologus ἀπόφθεγμα, *ſed non ſatis tempeſtiuè ad enumerationem peccatorum,* ἀπαρίθμησιν τῶν καθ᾽ ἕκαστα παραπτωμάτων, *cum inquit,* οὐ δεῖ κρύπτειν ὄφιν ἐν φωλεῷ τῆς καρδίας. *Serpens in cauerna cordis, & latibulis animorum minimè occultandus.*

VI.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno: veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Ab exemplo totius Eccleſiæ, & ſanctorum omnium. Neq; verò ipſe agnoſcendo naturæ ſordes, & immundiciem, ac ingenuè de erratis confitendo in ſola Dei miſericordia ſpe ſalutis poſita condonationem peccatorum ſum conſecutus: ſed eandem & adepti ſunt, & adipiſcentur omnes, qui pietatis, ſanctitatisq́; cenſebuntur nomine, nulla via alia, quàm quòd ad miſericordiam Dei ſuppliciter confugientes in hunc tutiſſimum, tranquilliſſimumq́; confeſſionis portum ſeſe tempeſtiuè receperunt.

runt. Probant hoc ex loco, qui religionem Chriſtianam quæſtui habent, enumerationem hiſtoriæ erratorum ad aurem ſacerdotis: & ſanctum intelligunt confeſſionibus audiendis præfectum flaminem: qui oret pro communicante cum ipſo peccata ſua: quod quàm ineptè fiat, καὶ τυφλῷ φασὶ δῆλον. Et quidem conſuetudo deferendi ſe flamini piatori, aut cucullioni, cuius in aurem ſentinam quaſi turpiter actæ vitæ exoneres, præcepta literis Euangelicis non eſt: & in Eccleſiam videtur illata, & intruſa audacia eorum, qui ſibi regnum, non Chriſto parauerunt: praua procul omni dubitatione gentium imitatione: apud quos, vt in Samothracia initiandos, conſulenteſq; oraculum eloqui iubebant Hieromyſtæ, quód quiſq; in vita factum maximè ſceleſtum perpetraſſet: vbi (inquit Anaſtaſius Quæſtor) occurriſſe appoſitè ferunt Lyſandrum hoc ſciſcitanti ſacerdoti. Dixiſſe enim. Vtrum me hoc facere oportet te, an Dijs iubentibus? Cum reſpondiſſet autem Sacerdos, Dijs. At tu, inquit, à me diſcedas, tum illis narrabo. σὺ τοίνυν ἐκποδὼν μοι κατάστηθι κ᾽ ἐκείνοις ἐρῶ. Tempus opportunum, καίρον εὔθετον, intel-
Eſa. 55. ligit tempus, quo inueniri poteſt Dominus, vt loquitur Eſaias,
2. Cor. 6. hoc eſt tempus gratiæ, & quod D. Paulus tempus acceptum vocat. Nemo non eſt in ea opinione, vt exiſtimet tum demum ad ſupplicandum Deo idoneum ſeſe, & accommodum eſſe, cum ita ſe comparet: vt animo ad diuinam legem compoſito, ab omni crimine purus ſit. At hoc in loco Propheta diuerſum ſtatuit: nimirum precandi, votaq; faciendi tempus aptiſſimum illud eſſe, quo in memoriam redimus miſeriarum noſtrarum, & erratorum. Tum enim non modò miſericordia, indulgentiaq; diuina vel maximè opus habemus: verùm Deus etiam ipſe nullo tempore libentius ad implorantium miſericordiam ipſius pre-
Eſa. 66. ces, & clamores aures ſuas accommodat, iuxta illud Eſaiæ. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, &
Pſal. 51. formidantem ſermones meos. Et Pſalmi. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

deſpicies. μὴ ἀπογίνωσκε, μηδὲ ἀφίςασο τῆς εὐχῆς: ἀλλὰ πρόσελθε ἁμαρτωλὸς ὤν: ἵνα δοξάσῃς σου τὸ δεσπότην, ἵνα δῷς αὐτῷ τὴν οἰκίαν φιλανθρωπίαν, ἐν τῇ συγχωρήσει τῶν ἁμαρτημάτων ἐπιδείξασθαι. Ne in deſperatis habe, nec abijce precandi ſtudium: ſed accede, quamuis peccator: vt gloria afficias Dominum tuum: & præbeas ei occaſionem, vt conſuetam ipſi placabilitatem in condonatione tuorum peccatorum oſtendat. Chryſoſtomus.

Veruntamen) Expoſita, explicataq; vera iuſticia, & beatitudine, atq; ea cum experientia propria, tum exemplo totius Eccleſiæ comprobata: nunc ab effectu eandem, fructus illius commemorando, commendat.

Hæc ſecura pijs requies, ignota prophanis,
Quaſſatis ſtatio eſt hæc vnica fida carinis:
Hic placidæ ſternuntur aquæ: non horridus Auſter
Truxue Eurus ciet emoto ſæua æquora vento.

Vtitur imagine à Noano diluuio ſumta: quam explanat, & interpretatur Apoſtolus Paulus: Fide iuſtificati pacem habemus Rom. 5. cum Deo, per Dominum noſtrum ieſum Chriſtum: per quem habemus aditum, & acceſſum per fidem in gratiæ hoc beneficium, in quo ſtamus, & diuinæ gloriæ ſpe gloriamur. Quid verò eſt pax aliud, quàm tranquillitas conſcientiæ: quæ non ex aliquo operum noſtrorum merito exiſtit, neq; oritur ex nobis: ſed ſola contingit fide: quæ in Dei miſericordia, & clementia acquieſcit, &, animo in Chriſtum conuerſo, bonitati ſeſe diuinæ permittit? Intelligit igitur Propheta nos, cum in Dei gratiam reſtituti ſumus, etiam cum maxima tempeſtas, atq; eluuio calamitatum, periculorumq; extiterit, incolumes, & ab omni detrimento ſaluos permanere. Quid autem perturbet, quæ res de ſtatu fidei conſtantis deijciat eos: qui apud animos ſuos ſtatuerunt, ſeſe verè cum Deo, morte Filij ipſius in gratiam reconci- Rom. 8. liatos eſſe: num calamitas, an anguſtia, vexatio, an periculum,

Rom. 8. *aut mors deniq; ipſa. Si enim Deus à nobis eſt, quis contra nos? qui ſuo ipſius filio non pepercit: ſed eum pro nobis omnibus tradiderit: poteſtne non vnà cum eo nobis omnia largiri? quis electos Dei accuſet? Deus eſt, qui abſoluit: quis eſt, qui damnet? Cùm tranſieris per aquas tecum ero: & flumina te coopertum non ſubmergent. Eſaias.* Eſa. 43.

VII.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

ἀλλολογία κατ' ἀποστροφὴν, qua orationem ad ipſum conuertit Deum: &, quid diluuio aquarum, κατακλυσμῷ ὑδάτων intelligat, exponit: res nimirum anguſtas & aduerſas, ex quibus diuina benignitate liberetur. Tu apud quem ſecurus ſim, & ab omni periculo tutus, latebra es mihi, & refugium: tu in rebus triſtibus, & calamitoſis, cum conclamatum de me videtur eſſe, pro me propugnans, meq; ex
2. Tim. 3. *ſtrage media eripiens, facis vt lætitia, & plauſu voces ad ſidera iactem. Qui volunt in Chriſto Ieſu piè viuere, infeſtabuntur, & perſecutionem patientur, διωχθήσονται, inquit Apoſtolus. Neq; enim quietam agere vitam, & expertem periculorum mundus, & diabolus patiuntur eos: qui acquieſcentes promiſſis diuinis ſpe pleni hærent in eo, qui fallere neſcit fiduciam credentium: verùm præſtò eſt illis cœleſtis benignitas: & ereptis ex periculis omnibus gratias agendi æterno Numini copioſam materiam ſubminiſtrat.*

VIII.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Inducit μιμήσει, ſeu allocutione reſpondentem Deum, & cum ea, quæ de beatitudine docuit hactenus, comprobantem: tum confirmantem animum Prophetæ promiſſo: quo pollicetur, curaturum ſeſe verbo, & Spiritu ſuo, vt quam mentem habeat, eam retineat ſemper: neq; vnquam de tam ſalutari doctrina, & recto vitæ curriculo declinet. Ad pietatem informabo te: &, qua via eundum ſit, tibi demonſtrabo: oculo meo, ſollicitæ parentis inſtar reſpectum habentis ad liberos, ſingularem tui curam gerens, tibi conſulam: & ita quidem certè, vt ſpes tua, qua tibi de me polliceris omnia, nunquam te fallat. Nam & verbo animum confirmabo tuum, vt læta, & pacata mente conſiſtas: & ſpiritu meo gradienti tibi per vias vitæ periculoſas, & difficiles dux ero fidiſſimus: eò te deducens, vbi talibus, tantiſq; bonis fruaris: quæ neq; oculis vſurpari, neq; auribus percipi, neq; vlla cogitatione adumbrari, & comprehendi poſſunt. Peccatores non habent intellectum, niſi Dominus eum conuerſis propitiatus indulſerit. Caſſiodorus.

IX.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus: in Chamo & freno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

παρακέλευσις, adhortatio imagine perpolita: qua alloquitur eos, qui aut iræ diuinæ ſecuri, labes animorum, & conſceleratas vitæ impuræ actiones non agnoſcunt, aut, ſi quando ipſis memoria ſcelerum obijcitur, tanta inflati ſunt arrogantia, vt ſponte ſua, viribuſq; proprijs animi maculas, & vitæ turpitudinem eluere ſe poſſe confidant. Ne vos effrenatis beſtijs ſimiles præbete: nolite ſimiles eſſe equis, & mulis: qui de-

ſtituuntur ratione, quorum maxillæ frenis, & lupatis cohibendæ ſunt, & cohercendæ: ne ferocitate exultantes impetum in aliquem faciant. Comparat brutis animantibus omnes, qui præſidentes ſibi, nec à Deo peccatorum condonationem expetunt: nec ſeſe, ſuaq; omnia diuinæ voluntati gubernanda permittunt, omni cura, cogitationeq; in ea tantùm defixi, quæ ante oculos ſunt, & in ſenſus incurrunt, humanisq; viribus queunt confici: ideoq; minatur fore. niſi ad bonam ſe frugem recipiant, vt nihil commodiùs habituri ſint, quàm equi, & muli: qui frenorum duricia cohiberi ſolent, ne in obuios inuadant. Chamum, κῆμον, & frenum, χαλινὸν, intelligit omnis generis ærumnas, miſerias, & calamitates: quæ & in vita præſenti, &, niſi calamitatibus emendentur, Manaſsis, & Chaldæi regis exemplo, ad Deum redierint, æuo futuro impijs, conſceleratisq; hominibus ſunt expectandæ. Equus natura eſt indomitus, & ſuperbus: Mulus ſtolidus: vterq; libidinoſus. Vtitur Auguſtinus huius verſus autoritate, contra tum eos, qui exæquant pecudum animas, & hominum, tum μετεμψύχωσιν Pythagoricam. De vera Fide ad Petrum.

X.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

ἐπιφώνημα κατ᾽ ἀντίθεσιν: qua piorum, impiorumq; ſortem, & conditionem inter ſe componens, quantum inter eos ſit diſcriminis, explanat. Multis doloribus conflictabuntur impij: impijs multi dolores venient: qui verò ſpem ſalutis ſuæ omnem ponunt in Domino, benignitate circumfundentur:

Scilicet omnipotens genitor ſcuticamq; coruſcat,
Ipſius & nulla eludit mens auia dextram.
Aſt quicunq; libens illum ſectatur, & eius
Se dicat arbitrio, atq; vni confiſus inhæret:

Ille

Ille ſibi per cuncta bonum, per cuncta benignum
Sentiet, & diti ſpe non fruſtrabitur vnquam.

Videmus ſanè quidem, qui cœlitus edito verbo, miſſoq; Filio palam fecit ſeſe, Dei cultores vexari calamitatibusq;, & ærumnis varijs affici: verùm promittit ijs Propheta, ſi ſolùm Deum intueantur, colant, precibus implorent: in rebus triſtiſsimis fauorem, & beneuolentiam Numinis: qua circumdati, & quaſi circumuallati, tranquillo eſſe animo, & malis tandem omnibus ſuperiores poſsint euadere: cùm contrà futurum ſit, vt de Deo ſentientes malè, ſuæq; ſapientiæ, iuſticiæq; præfidentes, adeoq; impij, & conſcelerati omnes cum viuentes furijs conſcientiæ etiam in fortuna florentiſsima exagitentur: tum mortui æternis ſupplicijs mactentur.

XI.

Lætamini in Domino & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Clauſula, qua cohortatur eos, qui naturæ ſuæ fœditatem agnoſcentes, ad Dei confugiunt miſericordiam, atq; ita, fide in Chriſtum iuſticiam, beatitudinisq; felicitatem conſecuti, mentis ſpiritu renouari incipiunt: vt primùm quidem diuino fauore, beneuolentiaq; læti gaudio exultent: deinde beneficium Dei tacitum non habeant: ſed prædicatione ſua diuulgent: vt nota fiat, & teſtata alijs quoq; miſericordia Patris cœleſtis, & clementia. Læticia exultate cum Deo in gratiam reconciliati, & magna teſtantes voce læticiam veſtram ouate vniuerſi nouum hominem induti, conditum diuinitus, cum iuſticia, veraq; pietate: Et Domini latè populis iactate fauorem. Qui gloriatur, glorietur in Domino. Apoſtolus. Quicquid boni in te inuenis, illi tribuas, à quo omne bonum eſt. Bernhardus.

PSALMVS XXXIII.

PROVIDENTIA.

EFfert hic Pſalmus laudibus procurantis res humanas præſentiam Dei, eiq; gratias agit pro bonitate, benignitate, & clementia paterna: qua pios, ſuiq; numinis colentes proſequitur, & præſtò in periculis omnibus deſertos eſſe minimè patitur. Nam cum potentiæ ſit infinitæ, res aduerſas, calamitatesq; ſuorum poteſt ſubleuare: & cum bonitatis gloriam habeat interminatæ: fidem pijs, dextramq; vult porrigere. Illam rerum conſtitutio probat, & conſeruatio: hanc confirmat promiſsio, quæ extat in capite
Exod. 20. Deut. 5. legis: Ego ſum Dominus Deus tuus: qua quid ſignificatur aliud? quàm adeſſe, conſulere, prouidere, vitam dare, & ſalutem ſuis, ac tandem, depulſis malis omnibus, bona eis impartiri ſeculorum ætatibus omnibus duratura. Præcipuè verò prædicatione extollit immenſam vim, potentiamq; Numinis: qua regum, & principum motus animorum, minas, & furores, pro ſuo, non ipſorum arbitratu gubernat: ac, quę conceperunt animo, ſcelerata conſilia facit irrita: maximamq; partem molitiones in bonorum perniciem machinatas, in autorum capita iubet recidere: quos ſanè euerſos dedecore notat, & ignominia ſempiterna. Quod certè fieri non poteſt, quin incredibili conſolatione pios permulceat: vt animo forti, & erecto contra minas tyrannorum conſiſtant. Quos quidem tyrannos furiæ ſcelerum de ſanitate, ac mente depellunt adeò, vt ſibi non euerſionem modò ſanctorum: ſed Dei quoq; de cœlo deturbationem auſint polliceri. Verùm comprimit nefarios, perditosq; conatus

natus Deus : vt ſpe ſua fruſtrati, turpiter in medijs aggreſsionibus, præter opinionem omnium dicto citius fulmine deiecti fundo voluantur in imo : cuius rei fidem faciunt Sodomitæ, qui vexabant Lothum : rex Aſsyriorum, qui oppugnabat Ezechiam : & tyrannorum ætatis noſtræ exempla plurima.

I.

Exultate iuſti Domino : rectos decet collaudatio.

Exordium μετὰ προτροπῆς, qua hortatur cum Deo in gratiam reconciliatos Propheta, vt laudibus celebrent bonitatem Numinis, clementiamq́; diuinam grata animi voluntate & prædicatione debita proſequantur. In Domino, qui omnia ſempiterno imperio moderatur, omnia prouidet, intuetur, intimosq́; etiam animorum receſſus inſpicit, recepti in gratiam diuinam, amicitiamq́;, gaudete : eiusque potentiam, bonitatem miſericordiamq́;, & ad omnes mundi particulas permanantia beneficia iuſtis laudibus extollite : quibuscunq; enim pietas cordi eſt, eos decet cunctarũ rerum principi laudem omnem, & honorem tribuere. Gaudete in Domino ſemper, & iterum dicã, Phil. 4.
gaudete. Paulus. Non eſt honeſta laus in ore peccatoris. Sira- Sir. 15.
cides. καρδίαις ἐν διαστρόφοις ἡ σύνεσις τοῦ θεοῦ οὐκ ἐπιπρέπει. *Nulla eſt inter mentes diſtortas, & laudes diuinas conuenientia. Baſilius.*

II. III.

Confitemini Domino in cithara : in Pſalterio decem chordarum pſallite illi.

Cantate ei canticum nouum : benè pſallite ei in vociferatione.

Repetitio exprimens Prophetæ affectum : cui enim quanta ſit Dei bonitas, & clementia, qua conſulit rebus humanis, nec ſolùm vniuerſis, ſed etiam ſingulis exploratum eſt, non poteſt non prædicare de illa apud alios : & ad agnoſcendam, celebrandamq; illam cunctos homines & verbis, & factis excitare. Credidi enim, inquit alio loco, ideo loquor. Orna te laudibus Dominum cithara : Dominum nablo concinite decem chordarum : canite Dominum nóuo carmine, alacritate maxima ſcitè fidibus vocem iungentes. Baſilius, vt etiam Hieronymus, & ante eum Arnobius, δεκάχορδον τὰς δέκα ἐντολὰς *intelligit : in quæ qui reſpicit,* ἐπιβλέπων, *ac veluti harmoniam, ac concentum quendam viuendo efficit : is demum nablo decem chordarum Deum canit : Nouum carmen* ᾆσμα καινὸν, *doctrinæ eſt Euangelicæ nouo ſpiritu, non in veteribus literis, Dei celebratio.*

Pſal. 115.

IIII. V.

Quia rectum eſt verbum Domini : & omnia opera eius in fide. Diligit miſericordiam & iudicium : miſericordia Domini plena eſt terra.

Narratio explicans cauſas quare laudes diuini Numinis ſint prædicandæ : eæ ſunt : Fides, Conſtantia, & æquitas. Deus verax eſt, iuſtus & benignus : Domini verba recta, dicta ſacroſancta, facta integra ſunt. Quæcunq; loquitur iubet, & mandat Deus, quæcunq; molitur, præclariſſimè habent ſeſe : quæ pollicetur, præſtat fideliter : Iuris amans, æqui ſeruans eſt Deus, & miſericordia ſua communiter quidem, & promiſcuè aduerſus omnes mortales, ſeparatim verò aduerſus pios, & iuſticiæ amantes : iudicij verò ſeueritate in impuros vtens, & omnibus ſceleribus coopertos. Domini benignitate plenus eſt,

eſt, quàm latè patet orbis terrarum: qui bona non tantùm præſentia donat,

Sed ventura etiam, longiſq; intermina ſeclis

Promittit: nec promittit ſolùm, verùm etiam præſtat. Sed neq; quicquam eſt, inquit Baſilius, in tota vniuerſitate rerum, vel ἄτακτον, *vel* εἰκῆ γενόμενον, *vel* ὡς ἔτυχε φερόμενον. *Quæ omnia reprehenſoribus verbi diuini opponuntur: qui ratione duce ſemper habent, quod calumnientur in doctrina cœleſti, & gubernatione Dei. Verbum Hebræis non voces ſolùm notat, quibus certa ſententia exprimitur: ſed res etiam ipſas, & facta. Quid autem iuſticia propriè ſignificet, & iudicium, petendum ex dicto Euangeliſtæ eſt. Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, Iuſticia, & iudicio.* Ioh. 6.

VI.

Verbo Domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.

Παρέκβασις, *ſeu digreßiuncula, de vi verbi diuini, quæ in rerum molitione, productioneq; maximè cernitur. Ad genitoris, & effectoris omnium, quæ cœlo, terraq; continentur, dictum, & mandatum facti ſunt ex nihilo cœli: & ad eiusdem oris Spiritum omnes eorum copiæ nulla ex antegrediente materia extiterunt. Idem dicit Propheta, quod libro originum Moſes: Iußit Deus, vt fieret lux. Et Euangeliſta. Omnia per verbum facta ſunt: & ſine verbo factum eſt nihil, quod factum eſt. Quibus in locis verbo,* λόγῳ, *qui eſt Filius vnigenitus Dei, cœlum, & terram, quæq; in ijs continentur, vniuerſa condita eſſe fides Christiana intelligit. Verbum Dei eſt Filius Dei Patris, per quod omnia facta ſunt. Hugo Victorinus. Verbum, & Spiritum oris Dei,* τὸν λόγον, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ στόματος θεοῦ, *pro eodem poſuit: quanquam alij Spiritum ſanctum* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τελεσιουργὸν τῆς τῶν ἁπάντων ποιήσεως

Gen. 1.
Ioh. 1.

σεως, vt loquitur Damaſcenus, qui eſt diuinitatis perſona ter-
Hiob. 26. tia, malunt intelligere : quæ ſententia & ipſa pia eſt, & à religione noſtra minimè aliena. Sic enim Hiobus. Suo Spiritu cœlos ornauit. Quare etiam hoc loco Baſilius. ποῦ οἱ τὸ πνεῦμα χωρίζοντες ἀπὸ τῆς δημιουργικῆς δυνάμεως, ποῦ οἱ τῆς πρὸς πατέρα, καὶ υἱὸν συναφείας αὐτὸ διατέμνοντες, Vbi ſunt, qui ſeparant à Spiritu potentiam opificem ? vbi, qui vinculum patris, & filij diſſoluunt? πάντα τὰ ἔργα ὅσα ἐστὶν ἅμα ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος γεγένηται.
Gen. 1. Quotquot ſunt opera, ex Patre ſunt, Filio, & Spiritu ſancto. Epiphanius. Virtus, δύναμις, ſeu exercitus cælorum, cum angeli ſunt, tum etiam,

Qui cœlo radiant ignes, & ſidera certo
Fœdere, & æthereis orientia ſigna maniplis.

VII.

Congregans ſicut in vtre aquas maris : ponens in theſauris abyſſos.

Maris vndas in cumulum quaſi aceruauit : & vim aquarum patentem in immenſum, vnum in locum coëgit, & in cellas veluti condidit: mare quaſi immenſo vtre collegit, & in ſedes effuſum abditas concluſit. Iuſsit Deus, vt aqua, quæ ſub cœlo eſſet, vnum in locum conflueret : vt appareret arida.
Gen. 1. *Moſes. Quis cohibuit mare valuis, cum erumperet, quaſi de v-*
Hiob. 38. *tero ? Nonne dixi : Huc vſq; peruenies, & non vlterius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Hiobus. Theſauri ſignificatio à reponendo eſt, condendo.* ἄβυσσος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ ὕδωρ πολὺ οὗ τὸ τέλος ἀκατάληπτον ἀνθρώποις. *Abyſſus nihil aliud, quàm immenſa vis aquarum, quarum terminum humanum ingenium non capit. Damaſcenus.*

VIII. IX.

Time-

Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem conmoueantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniã ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt.

παρένθεσις παραινετικὴ, καὶ εὐθετικὴ, adiuncta ratiuncula: vt propter vim, poteſtatemq; verbi Deum auguſtè, ſanctéq; colant, reuereanturq; mortales vniuerſi. Domini metu afficiantur omnes terræ: Dominum reformident, quicunq; orbem incolunt: quod enim ipſe dicit, id fit: quod iubet, ſine mora exiſtit. αὐτὸς εἶπε, καὶ ἐκτέλεσθαι ἅπαντα *Apollinarius.*

Ipſe iuſsit, & creata,
Dixit ipſe, & facta ſunt
Terra, cœlum foſſa ponti,
Trina rerum machina:
Quæq; in his vigent ſub alto
Solis & Lunæ globo. Prudentius. Si Deus quod dicit, id fit, & quod iubet exiſtit, id quod ex nihilo molitio rerum, & inſtitutio teſtatur: quæ ſocordia & animi tarditas, quæ tanta tenaci duricies in corde riget, ad credenda ea, Filius quæ nobis Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Patris in nos beneuolentiſsimæ voluntatis inductione enunciat?

X.

Dominus diſsipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.

Con-

Continuatio narrationis, de certa rerum omnium ad-
miniſtratione: qua regit, ſuſtentat Deus, & procurat
cuncta, & cum reliquis mortalibus, tùm præcipuè pijs conſulit:
proq́; Eccleſia ſua propugnans, conſilia hominum conſcelera-
torum irrita facit, & furores tyrannorum in nihilum ſinit re-
cidere. Dominus gentium conſilia diſſoluit, cogitata, machi-
nasq́; demolitur: principum eorum, qui delere cultores Dei
nituntur, reddit conatus irritos: non eſt enim ſapientia, non
prudentia, non conſilium aduerſus Dominum: id quod exem-
pla declarant, Pharaonis, Aßyriorum, Antiochi, Neronis, Iuli-
Iudith. 16. *ani. Semper enim verum eſt, quod canit Juditha: Væ genti in-*
Matth. 10. *ſurgenti ſuper populum meum: Dominus enim omnipotens*
Luc. 12. *vindicabit in eis: & cùm duo paſſerculi aſſe væneant, tamen*
nullus in obliuione eſt apud Deum: nullus eorum cadit humi
ſine patris cœleſtis voluntate: at noſtrum etiam capilli capitis
omnes numerati ſunt. ὅταν ἀκούσῃς τινὸς ἀπειλοῦντος με-
γάλα, καὶ ἀπαγγελλομένους σοι παντοδαπὰς ἐπάξειν
κακώσεις, ζημίας, ἢ πλήγας, ἢ θανάτους, ἀπόβλεψον εἰς
τὸν διασκεδάζοντα βουλὰς ἐθνῶν, καὶ ἀθετοῦντα λο-
γισμοὺς λαῶν. *Si quando audieris aliquem magna, & præ-*
clara minantem, & damna, plagas, ac mortes intentantem,
reſpice in dißipantem conſilia gentium, & populorum cogita-
tiones irritas reddentem. Baſilius.

XI.

Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

Ἀντίθεσις, *ſeu ratio potius. Ideo reddit irrita conſilia malorum Deus: quia decretum ſuum de conſeruanda Eccleſia non mutat.* βουλὴ δ' ἀθανάτοιο διηνεκέως ἐπιμίμνει. *Domini conſilium ſibi conſtat in ſempiternum:*

Domini

Domini mentis cogitata fixa ſunt, & perpetua: quæ apud animum ſuum ſemel conſtituit Dominus, ea in alias, atq; alias ætates durant. Conſilium meum ratum eſt, & quicquid volo facio. Eſaias. Eſa.46.

XII.

Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem ſibi.

Προσφώνημα narrationi interiectum. Beatiſsimi ergo, non qui affluunt diuitijs, qui opibus, copijsq́; florent, qui in ſedem aliquam dignitatis, & honoris aſcenderunt, qui perfruuntur voluptatibus corporis: ſed quos æterno conſilio ex genere humano collegit ſibi Deus: vt eorum præcipuam curam gerat. Felix gens, cuius Dominus Deus eſt: fortunatus populus, quem ille ſibi poßidendum

toto mundi de corpore ſumtum
Elegit, propria & ſolum ſibi ſorte creauit.

XIII. XIIII.

De cœlo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo ſuo: reſpexit ſuper omnes qui habitant terram.

ἐπεξεργασία, qua latiùs explicat ea, quæ dicta: & ſimul oſtendit, Deo ita curæ eſſe res humanas, vt, quæ geruntur, omnia nutu, ditioneq́; Numinis adminiſtrentur: quod quidem non ſolùm qualis quisq; ſit, ſed etiam quid in ſe admittat, quid mente agitet, quid cogitatione complectatur intelligat: nimirum, cui lumina mille

mille

mille videndi acies, quem nil latet horum,
Quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ ſerò deinde futura.

Itaq; confutat Propheta prouidentiæ diuinæ obtrectatores: qui negant quicquam Deum nec alieni curare, nec ſui, nullamque habere piorum, impiorumq; rationem. Dominus æthere ſummo

Deſpiciens mare veliuolum, terraſq; iacentes
Littoraq; & latos populos de vertice cœli,

genus mortalium intuetur vniuerſum: Dominus è firmiſsima domicilij ſui ſede, qui incolunt terrarum orbem, omnes contemplatur.

X V.

Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

Qui hominum, qui nec temerè, nec fortuitò, ſed mente, ac conſilio Numinis ſingulari ſati ſunt, ſedem cogitationum omnium introſpicit, & arcana vniuerſa intelligit. Docet Deum omnia agere in omnibus, Dei omnia plena eſſe, omnia videre, omnia intelligere: & quia perſpeculatur cordium penetralia: cum ea, quæ mente agitant impij, cognita habere, tum piorum calamitates, ærumnaſq; aſpectu ſentire:

Et latebras quærant ſcelerati turpiter auſis,
Nec metuant oculos incurrere cuncta videntis?

Pij verò non animo maximè tranquillo, & quieto in rebus omnibus conſiſtant? qui enim formauit aurem, non audiat: qui finxit oculum non videbit? certè, inquit alibi vates, tu vides laborem, & dolorem: tu Deus es, qui ſcrutaris renes, & corda. Ob oculos poſitas habet Dominus vias hominis, & eius
Pſal. 94. *greſſus librat omnes. Solomon. Deo mortalium omnium facta*
Sir. 39. *patent, neq; licet eius oculos latere. Siracides. Nulla res Deo obſcura eſt: ſed omnia aperta, expoſita, & reſupina ſunt eius*

oculis

oculis, non aliter, quàm in victimis mactatis, & nudatis pelle intus conſpicua ſunt omnia. Autor ad Hebræos, & Chryſoſtomus. Heb. 4. *Hæc verba :* qui intelligit omnia opera eorum, ὁ συνιεὶς εἰς πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν : *quibuſdam hoc modo videntur explicanda. Qui facit, vt homines opera ſua intelligant. Id eſt. Qui promulgatione legis ad agnitionem ſui deducit homines : vt infirmitatem virium ſuarum cognoſcant : & intellecto, ex doctrina ſalutari, quæ eſt Euangelij, extra nos, cùm ſalutis in primis, tum actionum bonarum, & felicium cauſam poſitam eſſe : in ſola Dei bonitate, clementiaq; diſcant acquieſcere.*

XVI.

Non ſaluatur Rex per multam virtutem : & Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.

ἀντίθεσις, *Contentio : qua diuinæ potentiæ vires componit humanas : & nihili eſſe oſtendit, quæcunq; vel ingenij molitur induſtria : vel vis humani roboris facit, ſi ad omnia moderantis Dei Numen, & maieſtatem conferantur : itaq; docet neq; vires, & acrimoniam ingenij, neq; robur, firmitatemq; corporis, aut etiam opes, copias, & potentiam prodeſſe quicquam : ſed à ſola Dei miſericordia, ignoſcentiaq; vitam, & ſalutem omnium pendere. Non regem vis potentiæ ſuæ defendit : non bellatorem roboris præſtantia vindicat.* ἀσθένεια, καὶ ἀδυναμία πάντα ὁμοῦ τὰ ἀνθρώπινα πρὸς τὴν ἀληθινὴν δύναμιν παραβαλλόμενα. *Omnia humana fragilia, imbecilla, & nullius ſunt momenti ad veram potentiam comparata. Baſilius.*

XVII.

Fallax equus ad ſalutem : in ab-

undantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

ἐπιμονή. Commoratur enim in ſuperioris verſus ſententia, vt extenuando magis abijciat virium humanarum robur: Dei verò potentiam prædicando altiùs extollat. Fallit ſpem equus ad defenſionem, propugnationemq; comparatus: neq; ſui roboris viribus ex diſcriminibus liberat,

ἵππος ἐνὶ πολέμοις ἀχρήϊος ἄνδρα σαώσει.

Nonnus.

Regum in terris potentia maxima eſt, & equorum operæ in prælijs memorabiles ſunt: verùm & illorum opibus miſerabiles, tragiciq; tyrannorum interitus gloriam firmitatis detrahunt: & equus quidem, inquit Solomon, paratur ad pugnæ diem, ſed Domini eſt victoria. Prouer. 21.

XVIII. XIX.

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

Diuinæ miſericordiæ, beneuolentiæq; munus eſſe, ſalutem, liberationem, fortunatum in officij cuiusq; munere ſucceſſum, & quicquid eſt præſentis, ac futuræ felicitatis. Contingere autem ea non quibuslibet, ſed, cum ſeueritatis diuinæ iudicium reformidantibus, ideoq; toto pectore in eam curam dantibus operam, vt ab omni labe puros, & integros ſeſe exhibeant: tum de ſuarum virium robore, opum firmitate, actionumq; præſtantia deſperantibus: bonitate verò, clementiaq; diuina ita niten-

nitentibus: vt nulla ſcelera, aut maleficia tam magna eſſe in animum inducant, quin clementia, ignoſcentiaq́; Dei partibus ſit infinitis maior. Coniungit autem cum liberatione futura, & donatione vitæ perpetuæ, etiam præſentis temporis commoda: quæ quidem & ipſa dari à Deo, & impartiri hominibus pijs, Abrahami, Iſaaci, & totius populi Iſraelitici exempla declarant: & Apoſtolus quoq́; confirmat, cùm inquit. Pietas promiſsiones habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Oculis quidem certè ſuis Dominus Numinis ſui timentes, & ſpem, fiduciamq́; omnem in miſericordia cœleſti conſtituentes intuetur: vt animam illorum à morte, vitam à famis periculo liberet. ἐπὶ τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ ἐλπίζει, ὁ μὴ πεποιθὼς ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀνδραγαθήμασι, μηδὲ προσδοκῶν ἐξ ἔργων δικαιωθήσεσθαι, μόνην ἔχει τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας ἐπὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ θεοῦ. *Sperat, & expectat miſericordiam Dei, qui nec ſuis actionibus præclaris confidens, nec expectans ex operibus iuſtificationem, ſpem ſalutis in benignitate diuina reponit. Baſilius.* 1. Tim. 4.

XX. XXI.

Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt.

Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto eius ſperauimus.

Concluſio. Quæ cum ita ſint, expectet anima noſtra Dominum adiutorem, & protectorem noſtrum. Tanta igitur cùm ſit maieſtas, & potentia cœlum, terrasq́; tuentis, & regentis DEI, *proq́; ſuis, quos habet cariſsimos, inuicta*

manu propugnantis: omni cura, cogitationeq́; in infinitam eius clementiam, bonitatemq́; recumbamus: in ſpe certiſsima, & poſſe illum, & velle nobis ſalutem dare, nosq́; à periculis, & malis omnibus ſartos, & tectos conſeruare: non enim fallere poteſt is, in quo gaudemus, cuius ſacro nomine nitimur, cuius fiducia exultamus lætìcia, cuius ſanctiſsimum numen ſpectamus, neq; vllum aliud habemus refugium.

XXII.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

Clauſula προσευκτικὴ: vt Deus miſericordiam tribuat populo, ſpem ſalutis in ipſius clementia ponenti. Domine proſequere nos, vti ſperamus, tua benignitate: impartire nobis clementiam tuam, quemadmodum facturum te minimè dubitamus.

PSALMVS XXXIIII.

GESTVS IMMVTATVS.

GRatiarum actio: qua liberationem ſuam exemplum proponit pijs omnibus Propheta, vt diſcant primùm, quàm & clementer gemitus, precesq́ ſuorum exaudiat Deus, & alacriter opem ferendo, ex omnibus eos calamitatibus, ærumnisq́ eripiat: deinde niſi Dei numen, maieſtatemq́, nihil rerum omnium eſſe extimeſcendum: ideoq́ cauendum nobis à doctrina impia, & in Deum contumelioſa, ab animo intoleranter dolente, à conuiciorum, quibus in Deum inuadunt ſcelerati, petulantia: dandam verò o-

rò operam, vt æqua mente, quicquid nobis obijcitur rerum incommodarum ferамus : & cum hoſtibus, quiq; inſectantur nos, bene potiùs, quàm malè precemur : tum beneficia pro maleficijs rependamus : ac, quantùm in nobis ſitum eſt, fraternam habeamus cum omnibus conſtitutam neceſsitudinem : & conſociato corde noſtro cum fratrum corde vnum quaſi ſenſum cum illis coeamus : eoſq;, non ſecus ac nos ipſos, diligentes, procuratione vtilitatis illorum nihil habeamus antiquius. Ita enim conſtitutum eſt, inquit, & deſignatum à Deo, vt bonorum mala ſint plurima : quare paret animum ferendis miſerijs, & ærumnis neceſſe eſt, qui ſeſe piè, ſanctéq; in ſeruitutem Deo dicauit : neq; tamen non & hoc fixum eſt, ratumq;, quod ex omnibus malis liberet ſuos Deus : adeò quidem, vt ne vnum de oſsibus illorum frangatur : nimirum quorum etiam capilli capitis ſint numerati. Occaſionem huic carmini dedit periculum Palæſtinum : de quo extat in hiſtoria 1. Reg. 21.
Regum. Cum enim fugiſſet Dauides ad Achin, qui & Abimelechus, regem Gethæum, & non ſatis commodos de ſe aulicorum ſermones excepiſſet, ex quibus periculum ſibi imminere colligeret : metu perterritus, & ἐπιλήπτος quodammodo factus, geſtum mutauit : &, ſtulticiam ſimulans, in porta oſtij impegit, ſaliuamq; in barbam deliquauit : itaq; factum eſt, vt, pro inſano eiectus, diſcederet.

I. II.

Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus eius in ore meo.

In Domino lætabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.

Propoſitio, appoſita ratione, qua innuit debere nos, vt ait Baſilius μεγάλων, καὶ μικροτέρων πραγμάτων ἐπὶ τὸν θεὸν ἀναφέρειν τὴν ἀρχὴν, *maiorum pariter, & minorum rerum initia ad Deum referre. Laudabo Dominum: Deo gratias agam, cuius ope, & auxilio è maximo periculo, & diſcrimine extremo ſum liberatus: Faciam autem id omni & loco, & tempore: & non minus rebus triſtibus, & aduerſis, quàm ſecundis, & ex animi ſententia fluentibus, miſericordiam, clementiamq́; diuinam prædicatione extollam. In Domino gloriabor: de Domino me iactabo: non mea calliditate, non meis viribus, ſed Dei fauore, & præſidio ex præſentiſſimo ereptus periculo. Hoc igitur beneficium acceptum referam Patri cœleſti, eiq́; pro ſua bonitate gratias agam: vt, eo audito, lætentur inopes, miſeri, & calamitoſi: ac ſibi etiam optima quæq; de miſericordia diuina polliceantur.*

1. Theſ. 5. *In omnibus Deo gratias agite. Et: Qui gloriatur, glorietur in Domino, inquit Apoſtolus.* (1. Cor. 1.) *Ad hæc verba,* omni tempore, *pertinet hoc Ambroſij. Siue manducamus, ſiue bibimus, Chriſtum annunciemus, Chriſtum rogemus, Chriſtum cogitemus, Chriſtum loquamur: in corde noſtro ſemper, ſemper in ore ſit Chriſtus. Et qui rogat, ſemper precetur, & ſi non ſemper precatur, paratum habeat ſemper precantis affectum. & Baſilij:* ἐσχρὸν εὐλογεῖν μὲν ὑμᾶς ἐπὶ τοῖς χρηστοτέροις: σιωπᾷν δὲ ἐπὶ τοῖς σκυθρωποτέροις, καὶ ἐπιπόνοις πράγμασιν: ἀλλὰ τότε καὶ πλέον εὐχαριστεῖν δεῖ, εἰδότας, ὅτι ὃν ἀγαπᾷ κύριος παιδεύει. *Turpe eſt, bona quidem dicere in rebus ſecundioribus, tacere verò triſtioribus: cùm propter illas par erat potiùs nos gratias agere: vt, qui ſciamus, caſtigari à Domino, quem is diligit.*

III.

Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipſum.

ἀποστροφὴ πρὸς συνελκὴν ad Eccleſiam: qua compellat pios, & ad laudes ſecum Deo canendas, munificentiamq; Numinis extollendam excitat, & cohortatur. Magnificè prædicate Dominum, eiusq; nomen vnanimi mecum voce extollite.

IIII.

Exquiſiuit Dominum & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Ἀφηγημάτιον, narratiuncula: qua cauſam exponit, propter quam Deo gratias agat ipſe: &, vt idem pij omnes ſuo exemplo faciant, cohortatur. Cùm in ſummo verſarer diſcrimine, cùm ageretur vita mea, rerum omnium præpotentem patrem deprecatus ſum: & exoratus ex omnibus me calamitatibus vindicauit. Exquirere Dominum, ἐξετάζειν τὸν κύριον, precibus eſt adire Deum, & opem illius, auxiliumq; petere: quod facere in periculis, & diſcriminibus omnibus debemus: neq; enim eſt malum ex quo Dei manus præpotens non poſsit nos eripere: ſi fidenter opem illius imploremus.

V.

Accedite ad eum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.

[illegible] infert ad amoliendam obiectionē tacitam de προσωποληψίᾳ, conſtans promiſsione: quod fieri non poſsit, quin exaudiantur à Deo, quicunq; ſumma

ſiducia ad miſericordiam illius confugiunt : itaq; fore etiam, vt cum è tenebris errorum, ignorantiæ, & calamitatum, miſeriarumq; eripiantur : tum ſpe ſua potiti, nunquam afficiantur pudore. Ad hunc qui reſpicient, huic ſuis in miſerijs negocium qui faceſſent, obtundentes quaſi illum aßiduis quiritationibus: lætitia perfuſi, hilaritatem tandem vultu præ ſe ferent, nihil quicquam erubeſcentes. τὸ φωτίζεσθαι, illuminari, à Moſis facie ſumtum videri poteſt : quæ ex colloquio diuino radiabat, vt

Exod. 24. eſt in libro Exitus de Ægypto. Fide acceditur ad Deum : quam cordis conſtat eſſe, non corporis. Auguſtinus.

VI.

Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

Confirmatio ab exemplo proprio. Huius inopis, & deſerti ab omnibus, diuinam opem cùm imploraret, preces admiſit Dominus : & ex omnibus eripuit eum anguſtijs. Loquitur de ſe per commutationem, ἐτέρωσιν, perſonæ. Afflictum me, & deſtitutum omni humano præſidio Deus precantem audiuit, & omnibus ærumnis vindicauit.

VII.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

ἐξεργασία, Expolitio modum explicans, & rationem, qua ſui colentes ſeruat pater cœleſtis : & cuius ad eam rem miniſterio vtatur : Angeli nimirum : per quem cum ipſum Dei filium intelligit, iuxta illud Patriarchæ. Angelus, qui me eripuit

Gen. 48. *à omni malo : tum [illegible] ſpiritus, qui ad miniſterium legantur propter eos, qui ſalutem*

ſunt

ſunt adepturi, vt loquitur autor epiſtolæ ad Hebræos. Sepit Domini angelus, & ex omni parte circummunit quaſi metuentes Numinis: eosq́; defenſos ab inſidijs hoſtium tutos præſtat, & ex malis, periculis, & incommodis omnibus eripit. Heb. 1.

ἄγγελος ἀμφιέπων θεῷ ἵξεται ἔνθα, καὶ ἔνθα,
κυκλόθεν εὐσεβέων ἀνδρῶν σφέας ὄφρα σαῶσι.

Angelus vt ſeruet nos, hinc, & circuit illinc,
Si iuuat eſſe pios. Apollinarius.

Angelos piorum curam agere, & non ſanè leuiter, & numero exiguo, ſed instructi exercitus inſtar pro nobis excubare, nosq́; defendere contra hoſtis diaboli inſultus, & malorum omnium aggreſſione: oſtendit hiſtoria Lothi, quem eripiunt genij ex incendio Sodomitico: Iacobi quem tuentur angeli metuentem ſocerum ſuum, & fratrem: Iſraelitarum, quorum domus, caſtra, & exercitus tuta ſunt præſidio angelico: Heliſæi, magnis Syrorum copijs in vrbe Dotha circumſeſſi: Hieroſolymitanorum, quos obſidione liberat angelus percuſſis de exercitu Aſſyriorum centum octoginta quinq́; millibus. παντὶ πεπιστευκότι εἰς τὸν κύριον ἄγγελος παρεδρεύει, ἐὰν μή ποτε αὐτὸν ἡμεῖς ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξωμεν. ὡς γὰρ τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει, καὶ τὰς περιστερὰς δυσωδία ἐξελαύνει, οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον ἡ πολύδακρυς, καὶ δυσώδης ἀφίστησιν ἁμαρτία. *In Chriſtum credenti angelus aſſiſtit, niſi illum peccatis abigamus. Vt enim apes fumus, & columbas fœtor, ſic cuſtodem vitæ peccatum fugat. Baſilius.* Gen. 19. 31. 32. Exod. 14. 2. Reg. 6. 19.

VIII.

Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.

παράκλησις παραμυθική, μεταφορική: *qua ad con-*

ſiderandam Dei bonitatem pios cohortatur, & conſolatione animos illorum erigit: vt optima quæq; de diuina ſibi munifi-centia polliceantur. Guſtate & periculum facite, quanta boni-tas ſit Domini, quamq́; felix, & fauſtus ſit illis, qui omnem ſpem in clementia diuini Numinis fixam habent, & locatam: ego guſtaui, & reipſa reperi, nihil ſuauius eſſe, nihil benignius, ni-hil clementius parente cœleſti: guſtate vos quoq;, & pericu-lum diuinæ bonitatis facite. Suauitas, bonitas, χρηστότης καὶ φιλανθρωπία Dei præcipuè elucet ex conſtitutione rerum, hominis lapſi ab exitio miſerabili receptu, Filij recentatoris in mundum miſsione, venia, impunitateq́; peccatorum, Spiritus ſancti donatione, & vitæ deniq; immortalis promiſsione.

IX.

Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Promiſsio. Reuerentiam, cultumq́; debitum maieſtati di-uinæ adhibete vos eius ſancti: nam nihil deeſt quicquam Dei
Matth. 5. *timentibus. Huc illud. Quærite primùm regnum Di, & iuſti-ciam eius, & cætera omnia adijcientur vobis, Cœleſtia quærite regna,*

Iuſticiamq́; Dei: ſpontanea cætera currunt. Iuuencus.

O breuis ſententia, ô immenſa promiſsio. Poſſunt aliquid age-re, quibus diuitiæ, quibus ſalus corporis, quibus regna tribu-untur: ſolus ille nulla re indiget, qui timore Domini ditatus eſt. Caſsiodorus. Paſcit Deus credentes in media penuria, & famem cum ſaturitate commutat. Hagnon.

X.

Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Ἀντίθεσις. *Qui omnia ponunt in pecunia, penuria, & ſame laborant: at Dei colentes nullo bono deficiuntur.*

Qui ſe cunq; Deo coniunxit, & altius hærens
Illum habet, omnia habet, nulliusq; indigus vltra eſt.

Quid habeant, qui Deum non habent? Caßiodorus. Hebræis diuites, πλούσιοι, leones ſunt hoc loco: qua voce homines intelliguntur tyranni: qui animis ſumtis propter opes, quibus circumfluunt, per vim opprimunt tenuiores: & rapinis, vſuris, ac monopolijs omnia ad ſe conuertentes rem familiarem amplificant.

XI.

Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos.

Ἀποστροφὴ *ad Eccleſiam, & ſanctos omnes, quos filios nominat.* ὁ γὰρ παρά τινος τὴν μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας δεχόμενος, οὗτος οἱονεὶ διαπλάττεται παρ᾽ αὐτῷ, καὶ εἰς σύστασιν ἔρχεται. *Qui ab aliquo pietatis formam accipit: is quaſi fingitur ab eo, & in lucem educitur, inquit Baſilius. Diducit autem in partes timorem Dei, ad quem cohortatus fuerat: & quibus in rebus Numinis diuini cultus, quem* συνεκδοχικῶς *timoris vocabulo intelligit, ſit poſitus, explicat. Adeſte mei nati: non quidem prauarum opinionum labe adſperſis, non defenſoribus mendaciorum, & comtu quodam ea, & cincinnis quaſi ſpecioſè ornantibus, non dolis, ac fraudibus virtutis opinionem, & gloriam captantibus, non morem maiorum, & multis ſeculis conſuetudinem inueteratam iactantibus: ſed ex ſincero & ab omni admixtione falſitatis puro verbo Dei docenti mihi præbete aures: & de metu diuino, qui caput eſt ſapientiæ, vos inſtruenti auſcultate. Domini metus fons eſt vitæ, ad mortis declinandos laqueos. Salomon. Timor Domini parens eſt obœdientiæ, obœdientia paci, fides tolerantiæ, felicitatis, & ſalutis autor ſempiternæ. Hagnon.* Proner. 14.

Appel-

pellatio filiorum ex altera parte parentes reſpicit: de quibus memorabile eſt illud Chryſoſtomi: οἱ τῆς τῶν παίδων κοσμιότητός τι, καὶ σωφροσύνης ἀμελοῦντες πατέρες παιδοκτόνοι τυγχάνουσι, καὶ χαλεπώτερον ἢ ἐκεῖνοι, ὅσῳ καὶ πρὸς ψυχὴν ἡ ἀπώλεια, καὶ ὁ θάνατος. Qui parentes non dant operam, vt ad decus, & modeſtiam educentur liberi ſui, parricidæ ſunt: idq; tantò grauius, quantò propius pernicies ipſa ad animam attingit.

XII.

Quis eſt homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

προσέχεια ἐρωτηματική, qua excitat auditorem narraturus rem maximi operæ precij. Quis eſt homo vitæ amans? quis dies felix cupit eſſe longos? quis eſt, cui vita, quæ propoſita eſt nobis in cœlo, felix, ac beata fauſtitas cordi eſt? αἱ τοῦ αἰῶνος τούτου ἡμέραι πονηραὶ, καὶ νῦν μὲν οὐκ ἐσμὲν ἐν ζωῇ, ἀλλὰ ἐν θανάτῳ. Huius vitæ dies mali ſunt: ac nunc quidem ſumus, non in vita, ſed morte. Baſilius.

XIII.

Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

ἀπόκρισις εἰσαγωγική. Sunt partes timoris, ſeu cultus Dei duæ. Fuga doctrinæ falſæ, peſtiferæq;: &, prioribus vitæ inſtitutis, beneficio diuino relictis, ad meliora conuerſio, quæ pœnitentia appellatur. Nec ipſe contumelioſas in Deum opiniones animo, & cogitatione comprehende: nec ſpargendo voces Pſal. 15. aſperiores in vulgus alios corrumpe. Hoc alibi dixit, loqui ve- 1. Pet. 3. ritatem in corde ſuo, & non operari dolum in lingua ſua. Citat Eph. 5. hos verſus Petrus Apoſtolus. Et: Omnis ſermo malus, inquit Paulus

Paulus, ex ore veſtro non prodeat. Lingua ignis eſt, mundus malorum, & ſcelerum. Iacobus. Lingua loquitur, quod credit cor. Credit autem perſuaſum à ſerpente cor illud: Eritis ſicut Dij. ὁ δὲ δόλος ἐστι κακοποιΐα λαθραῖα ἐν προσποιήσει τῶν βελτιόνων τῷ πλησίον προσφερομένη. *Dolus verſutia eſt occulta, qua ſpecie boni ad decipiendum proximum vtimur. Baſilius.*

XIIII.

Diuerte à malo & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

Tempera ab omni malo, & fac bene: amans concordiæ, cum omnibus pacem ſerua: ſtudijs malis nequaquam ſis deditus: impietatem vitæ abijce: ad manſuetudinem da te, & lenitatem animi. Iubet, vt, in gratiam diuinam reſtituti, à morum prauitate nos ipſi reuocemus, animo ad rectius viuendi ſtudium confirmato: & pace diuina nixi, quæ exuperat omnem mentem, & cuſtodit animos, & cogitationes noſtras in Chriſto Ieſu, tolerantiamq; exercentes, cum patienter feramus, quæ à Deo nobis immittuntur: tum cauſſas diſsidiorum, offenſionumq; fugiamus: ac pacem cum omnibus omnium generum hominibus colamus: adeò etiam, vt, ſi quando illi nos vel ſtudio, vel imprudentia læſerint, eis ignoſcamus: reddentes pro conuicijs laudationes, & beneficijs maleficia compenſantes. ἀρχὴ πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν καλῶν ἡ ἀναχώρησις τῶν κακῶν. *Receſſus à vicijs initium ad bona acceſſus. Et:* χριστὸς ἐστὶν ἡ εἰρήνη ὑμῶν. *Pax noſtra Chriſtus. Baſilius.* ἄριστον μάθημα τὸ ἀπομαθεῖν τὰ κακά. *Pulcherrima doctrina vitia dediſcere. Socrates. Hunc, & priores duos verſus explicat Auguſtinus de verbis Domini Tr. 39. Vbi inter cætera: Quotidie quæruntur in iſto ſeculo dies boni, vbi non inueniuntur: & nemo vult ſic viuere, vt eò perueniat, vbi inueniuntur. Vide eius Hom. L. Hom. I.*

XV.

Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum.

Promiſsio conſolationem ſingularem continens, ad excitandos à mœrore animos eorum quibus res minùs ſunt ſecundæ. Vertit clementes oculos, & faciem benignam ad innocentes Dominus, eorumq́; curam gerit, ne vlla re deficiantur: quòd ſi quando calamitate affecti opem, & auxilium illius im-
Sir. 15. *plorant: precibus illorum faciles aures applicat. Dominus coniectos habet oculos in ſui metuentes. Siracides. Oculi Domini reſpectus gratiæ diuinæ intelligitur. Hugo Vict.*

XVI.

Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.

ἀπειλὴ, conſceleratis, impijsq́;, licet florentiſsima vtantur fortuna iram diuinam, & extinctionem nominis denuncians. At vultu toruo ſpectat Dominus, qui illum non latent, impios: vt memoriam ipſorum ex animis omnium deleat. Vultum Domini, πρόσωπον κυρίου, *qua ira ſignificatur, oculis diuinis,* ὀφθαλμοῖς κυρίου, *quibus fauor notatur, & beneuolentia, opponit. Vt enim, quos charos habemus eos placidis oculis aſpicere, ſic à quibus animum gerimus alienum, toruo vultu ſolemus intueri.*

XVII.

Clamauerunt iuſti & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Repeti-

Repetitio expolitioq́; promiſsionis: quæ etiam reſpondet obiectioni tacitæ de cruce, ac calamitatibus: quib. vitam piorum videmus omnibus minimis momentis eſſe expoſitam. Ad piorum preces aures benignas, & faciles adhibet Dominus: & ex omnibus eos malis, miſerijsq́; vindicat. Qui in genus, & nomen filiorum Dei venerunt, calamitatibus quidem, & ærumnis premuntur plurimis: ſed quia confugiunt tamen ad Numinis miſericordiā, inuocantes eos exaudit Dominus, et ex omnib. anguſtijs eripit. Eripit autem non vno modo. Interdum enim vel in præſenti vita ex rerum difficultatibus, et periculis liberat, vt Hebræos ex Ægypto, Ionam ventre belluæ marinæ: Azariam cum ſocijs camino ardente: vel prorſus malis depulſis, & calamitatibus omnibus ad æternas beatorum ſedes transfert: interdum quibus in rebus triſtibus eſſe expedit, eorum & vires animis, & robur membris ſufficit, quo res miſeras & ærumnoſas perferre poſsint. Nemini ex animo petenti clauſæ ſunt fores diuinæ benignitatis: quare datum cui hoc eſt, ad miſericordiam Dei ſuppliciter confugiat, clamet & Numinis fidem imploret: idq́;, eò ardentius, quo triſtiora ſunt, & malis magis infeſta omnibus tempora. Hagnon.

XVIII.

Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit.

Præſens adeſt pro genuina ſua bonitate Dominus mente concuſsis, & perditis calamitatibus: ac in mœrore propter impuritatem naturæ ſuæ, & recordationem criminum iacentibus, ſi miſericordiam diuinam ſuppliciter implorent, libentiſsimè opitulatur. οἷς κραδίη τέθραυσται ἀεὶ θεὸς οἶδεν ἀρήγειν. *Nonnus. huc illud: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Psal. 51. *Et: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego recreabo vos.* Matth. 11. τῇ ἑαυτοῦ ἀγαθότητι πᾶ-

σιν

σιν ὁ κύριος ἐγγίζει: μακρίνομεν δὲ ἑαυτὸν ἡμεῖς διὰ τῆς ἁμαρτίας. Bonitate ſua Dominus adeſt omnibus: verùm peccatis cum nos procul à nobis remouemus. Baſilius. Vt Deus aliquid faciat ex te, redigaris in nihilum. Eccardus.

XIX.

Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

ἐπιμονή, qua obiectionem de cruce expolit, & exornat. Sunt quidem multa bonorum mala, ſed ex omnibus eos Dominus liberat: pijs quidem mala cadunt plurima, ſed Deus ex omnibus eos ærumnis eripit. In mundo afficiemini cruciatu, ſed bono eſte animo, ego vici mundum. κοσμὸν ἐγὼ νίκησα.
Iohan. 16. Chriſtus. Qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem pati-
2. Tim. 3. entur, vt eſt apud Apoſtolum. Et: Quos diligo, arguo, inquit
Apocal. 3. Dominus, & caſtigo: ſed adeſt calamitoſis Deus, eorumq́; ærumnas mitigat, ac tandem liberatos in integrum reſtituit. Hoc ita habere ſeſe, & exempla oſtendunt calamitatum, ac liberationum: & dies ille declarabit, cùm absterget Deus omnem lachrymam ex oculis ſanctorum, neq; mors erit amplius, neq; luctus, neq; quiritatus, neq; labor, vt loquitur autor libri
Apocal. 21. abſconditi. ὁ παρὼν πόνος ὀλίγος, ὁ δὲ προσδοκώμενος μισθὸς πολύς. Præſens labor exiguus, ſed quæ expectatur, merces multa. Ignatius.

XX.

Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur.

Neq; vero animorum ſolummodo ſanctorum rationem habet Deus: ſed corporum quoq; curam gerit, membra ſic ſer-

uans, vt ne minimum quidem ex eis frangatur. Confirmat ſpem reſurrectionis: & ,licet diuerſo ſuppliciorum genere miſerrimis modis pij homines ſæpenumero pereant, reſtituendos tamen affirmat in vitam, cum

Ipſa olim deleta vndis, abſumta ſenecta,
Temporeq; extremo vitai credita flammæ
Corpora in effigiem veterem ſe, & priſtina fingent,

retinente Deo ſemina fructificaturi corporis in redhibitione mortuorũ,vt verbis vtamur Tertulliani: cuius etiam hoc dictum eſt. Fiducia Chriſtianorum reſurrectio mortuorum. Vbi ad Ieſum ventum eſt, vt eum iam viderunt mortuum, non fregerunt eius crura. Iohannes. Iam ſi cuſtodit, & ſeruat Dominus omnium ſuorum oſſa: quid faciunt concinnatores reliquiarum hominum à perſonatæ Eccleſiæ tyranno cœlo conſecratorum? quaſi verò ad Chriſtum cooptatorum, qui vitam cum morte commutarunt oſſa auguſtiora ſint auro, & argento incluſa, quàm manu Domini comprehenſa. Iohan. 19. φροντίζει ὁ θεὸς οὐ μόνον τῶν ζώντων ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν τεθνεώτων. *Curam gerit Deus non viuorum ſolùm, ſed etiam mortuorum. Theophilus.*

XXI.

Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum delinquent.

ἀντίθεσις, *quæ & ipſa reſponſionem continet ad obiectionem tacitam. Florent quidem impij, & diuitijs aucti, honoribusq; florentes putantur, & fortunati: ſed perimet illos tandem improbitas, & ſuo quaſi gladio iugulati euertentur ad extremum, & in æternos cruciatus abijcientur. At enim reſtituentur in vitam & ipſi? Reſtituentur quidem,ſed in eam vitam, quæ mors erit ſecunda, & in qua nihil erit præter flere, dolere, queri,*

Cùm ſe præcipites dantes in tártara condent.

Impijs mors initium eſt malorum. Hagnon. οἱ ἄνθρωποι πί-

ρας τιμωριῶν νομίζουσι τὸν θάνατον : ὧν δὲ τῷ θείῳ δικαστηρίῳ μόλις ὄντως ἐστὶν ἀρχή. *Exiſtimant homines mortem finem eſſe malorum, at illa in iudicio diuino vix dum eſt initium. G. Nyß.*

XXII.

Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

Clauſula ἐπιφωνηματικὴ. Redemtas à peccato ſuorum animas Dominus adſeret: & quamuis cum ab hoſtibus, tum à carne infeſtabuntur propria: tamen nemo eorum euertetur, qui omnem ſpem, fiduciamq́; in Deo fixam, & conſtitutam habent. Huc illud: πανταχοῦ τὸ θεῖον τοῖς ὀρθῶς βιοῦσι πάρεσται. *Deus omnibus piè recteq́; viuentibus ſemper praſtò eſt.*

PSALMVS XXXV.

SYCOPHANTAE.

COnqueſtio Prophetæ de ijs, qui in aulis regum, & principum adulationibus, aſſentationibusq́; gratiam, & fauorem potentium aucupantur: & commodi ſui, emolumentiq́; gratia ad ſenſum, ac voluntatem, adeoq́; vultum, atq́; nutum eorum, qui ad rerum gubernacula ſedent, conuerſi, omnia & loquuntur, & faciunt: neq́; id ſolùm, verùm bonos quoq́;, & ſanctos homines, veritatisq́; ſimplicis ſtudioſos calumnijs, & obtrectationibus in inuidiam vocare, ijsq́; periculum creare minimè dubitant. Viderat nimirum vir ſanctus, quid ipſi in aula Sauli accidiſſet ab ijs, in quos non modo genus nullum liberalitatis, beneficentiæq́; prætermiſerat: ſed quorũ gratia cum rebus

rebus vterentur minùs ſecundis in luctu ſæpenumero fuerat, & ſqualore. Ideoq; excitat quaſi nos, & animo bono iubet eſſe contra impios: qui, quorum opera creuerunt, ac dignitatis aliquem gradum ſunt conſecuti, in bonorum perniciem dies, noctesq; intenti ſunt: ac manibus, pedibusq; obnixè faciunt omnia, vt maximis, impudentiſsimisq; mendacijs bonorum & doctrina, & actionibus apud Reges, principesq; deformatis, opes ipſi, & honores amplos conſequantur. Neq; enim par eſt, velle nos conditione eſſe meliore, quàm quemuis piorum ætatum omnium: aut ipſum etiam, ad quem non ineptè accommodari poteſt hic Pſalmus, Filium Dei: cuius verba ex alio Pſalmo repetita apud Euangeliſtam hæc ſunt: Qui mecum cibum capit, is me conculcat pedibus. Pſal. 41. Ioh. 13.

I. II. III.

Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.

Propoſitio, quæ verſibus aliquot, alijs, atq; alijs verbis iterata affectũ Prophetæ iniurijs aduerſariorum violati, indicat, orationis forma, à foro, & reb. bellicis deſumta, ac prælijs. Iudica Domine iniuriã mihi factam: contentionẽ ſuſcipe cum ijs, qui mecũ

contendunt: bellum fac ad arma coeuntibus aduerſum me: pugna cum meis oppugnatoribus: fer ſuppetias mihi, & hoſti meo, clypeo armatus obſiſte:

Corripe tela, ferens clypeumq́; haſtamq́; trementem,
Robore, quoq́; potes, rem gere, quoq́; ſoles.
Vertere in arma, furenti hoſti teq́; obijce, & ecce,
Ecce tibi venio, dic mihi, certa ſalus.

Malos, & impios iudicare, dãnare eſt. Qui impugnat, ſuperare contendit. qui expugnatur, omnino victus eſt. Caßiodorus.

IIII. V. VI.

Confundantur & reuereantur: quærentes animam meam: auertantur retrorſum & confundantur: cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam puluis ante faciem venti: & angelus Domini coarctans eos.

Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.

Execratio, ἀρὰ εἰκαστίαις imaginibus illuſtrata: qua ardore animi, iuſticiæ cœleſtis ſtudio, cuius autor eſt Spiritus ſanctus, inflammati. malum exoptat hoſtibus non tam ſuis, quàm, Dauidis per latus quod ſauciabatur, Numinis diuini. Eſt autem eiusdem cum propoſitione ſententiæ. In quos enim pro pijs arma capit Deus, ab ijs non procul abeſſe peſtem, perniciemq́; certum eſt. Quærere alterius animam, ζητεῖν τὴν ψυχὴν, inſidiari eſt alteri, eiq́; moliri exitium. Conſequatur eos triſtis nota ignominiæ, qui meum exitium animo habent propoſitum:

vertant

vertant terga fugacia, qui malum mihi, damnumq́; cogitant: Vt turbo latè puluerem atrum diſijcit: ſic agitentur, perſequente eos angelo Domini, nulloq́; conſiſtant loco: quicquid tentant, moliuntur, & inſtituunt, cedat illis infeliciter: ſit eorum via tenebricoſa, lubricaq́; agitante illos genio cœleſti. Hoc alibi dicit: Erunt tanquam puluis quem proijcit ventus. Et: Obſcurentur oculi eorum (caligent oculis) ne videant. Deſtituantur Pſal. 79. *conſilio, & ratione: afficiantur amentia, cœcitate, ſtupore cordis: vt, veluti cæci, in tenebris palpent, & improſperas vias habentes, rerum ſuarum neq; initium, neq; exitum idoneum inueniant. Angelum Domini malum genium intelligit: qui voluntatem habet nocendi, ſed non poteſtatem.*

VII.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.

τῆς ἀφηγήσεως μόριον, particula narrationis, quam interiectis verſibus aliquot poſtea pertexet. Nulla à me verborum contumelia lacerati, nulla affecti iniuria rete pedibus noſtris obtendunt: & in foſſam quam excitarunt, depulſum ex viuorum numero conantur exturbare:

Tale nihil merito fallentia retia tendunt:
In cœcosq́; parant præcipitare lacus.

Translatio ſumta eſt à venatoribus: qui foueas excauant, & retia occulta tendunt: in quæ, quòd prouidere illa feræ nequeunt, non opinantes incidunt.

VIII. IX. X.

Veniat illi laqueus quem ignorat: & captio quam abſcondit, ap-

prehendat eum, & in laqueum cadat ipſum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

ἐπεμβολὴ, qua primion execrationem repetit: deinde gratiarum actionem attexit, exornatione ducta ab aucupibus. Vtitur verò numero ſingulari: vt intelligatur loqui de ipſo rege: in cuius gratiam aulici Dauiden oppugnabant. In improuiſum, nec opinatum malum conijciatur: ſuis artibus intereat: capiatur ſuo laqueo: retorqueatur hoſtis conatus in caput ipſius: crudelitas inimici in verticem ipſius deferatur. Quod ſimul atq; acciderit, tum verò animus meus incredibili lęticia perfuſus de Domino exultabit lętus, & alacer: quòd ſalutem ſibi dare Deus ſit dignatus: tunc omnia mea membra tales voces mittent Domine, quis tibi comparandus? qui inopes à valentioribus, pauperes à tyrannis, quibus prædæ ſunt, & direptioni, tueris, & defendis? Vtitur granditate verborum intimos animi affectus exprimentium, quos in gratiarum actione explicaturum ſe promittit.

XI. XII.

Surgentes teſtes iniqui: quæ ignorabam interrogabant me.

Retri-

Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.

Regreſsio ad narrationem: ſe falſo inſimulari ab hominibus conſceleratis affectati regni, & inſidiarum, quas Saulo ſtruat. Me iniqua teſtimonia hominum mendaciſsimorum premunt: qui eorum me, quorum mihi conſcius non ſum, poſtulant: nimirum, vt malum pro bono reddant innocenti: ac tandem derelictum ab omnibus vita expellant. Quod Dauidi contigit, idem Chriſto Domino accidit: aduerſus quem, vt Euangelica habet hiſtoria, principes ſacerdotum, & totus conſeſſus quærebant falſum teſtimonium, vt eum occiderent. Sterilitatem, ἀτεκνίαν, *animæ calamitates intelligit, & ærumnas: quod proiectus eſſet ab ijs, qui pro meritis, & beneficijs, quæ acceperant, perfugium ipſi præbere, & ſolatium debebant afferre. Quare cum repræſentarit Dauides ſuorum temporum hominibus moribus, & factis autorem vitæ, & ſalutis noſtræ Ieſum Chriſtum: non abſurdè faciunt, qui Pſalmo hoc intelligunt in humana forma, & habitu latentem Filium Dei conqueri de contumelijs, vi, & iniurijs cum Iudaicæ gentis pontificum, ſcribarum, & ſenatorum populi: tum noſtri ſeculi hypocritarum, Anomiorum, & quicunq; vel inueterata vicia defendunt, vel vaſtitatem religioni, & Eccleſiæ diuinæ inferunt.* Matth. 26.

XIII.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent: induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo conuertetur.

ἐκθέσει *exponit ſua erga aduerſarios merita, & beneficia. Atqui cũ affecta vterentur ipſi valetudine, et corporis doloribus oppreſsi in vitæ periculo verſarentur: veſtitus ingrediebar cen-*

tione, affligebam corpus inedia, ſine intermiſſione pro illorum ſalute preces ardentiſſimas fundens. Appellatione Cilicij, σάκκȣ, reſpicit ad morem, conſuetudinemq́; populi Iudaici, apud quos qui in magnis erant calamitatibus, ſaccis, & centonibus veſtiebantur, & capita puluere, & cineribus conſpergebant. Oratio in ſinum conuertitur, εἰς κόλπον ἀποστρέφεται, cùm quis contentus Deo teſte, tacitè ſecum, & remotis arbitris quiritatur: &, affectionibus, ægritudinibusq́; animi expoſitis, Dei fidem, clementiamq́; implorat.

XIIII.

Quaſi proximum & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

Amplificatio. Neq; verò ſi quando calamitas eis accidiſſet, preces tantum, & vota faciebam: verùm mœſticiam animi, ægritudinemq́;, quam ex ærumnis illorum capiebam, vt in amici, & fratris periculo, ac diſcrimine, aut funere etiam matris cariſſimæ ſqualore totius corporis declarabam.

XV. XVI.

Et aduerſum me lætati ſunt & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella & ignoraui: diſſipati ſunt nec compuncti.

Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

ἀντίθεσις, qua depingit ἐπιχαιρεκάκων hoſtiū ſuorum malitiam:

malitiam: & oſtendit, q̄ gratiā ſibi pro ſua humanitate repoſuerint. At illi in calamitate mea efferuntur lætitia, & concurſant. Concurſant in me, quibus nulla à nobis orta eſt iniuria, homines claudi, qui proſcindunt, & non ſilent: homines deriſores, qui frendent contra me dentibus: & ſine intermiſſione contumelijs omnibus me vexant: Vocat aduerſarios ſuos claudos, qua voce intelligit Hypocritas, qui geſtu corporis genuumq; inflexionibus pietatem, & virtutem oſtentant: & cùm maximè nocent pijs, ita tamen ſe comparant, vt boni viri videantur: vocat deriſores placentæ, hoc eſt paraſitos, & gnathones: qui de voluntate, & nutu potentiorum faciunt omnia ventris cauſa: præterea frendere affirmat dentibus ſuper innocentibus: quòd in perniciem, euerſionemq; bonorum intenti ſunt, communicatis conſilijs cum ſuæ farinæ hominibus: vt ita ſublatis de medio aduerſarijs, mendacijs, furtis & conuaſationibus, in altiorem dignitatis locum aſcendant.

XVII.

Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

Δέησις ἀγανακτικὴ orta, non ex incredulitatis triſticia, ſed fidentiæ infirmitate conueniens cum pſalmi propoſitione. Quouſq; Domine conniuebis in hoſtium meorum ſceleribus? quouſq; immemor eris noſtri, tuum mihi vultum ſubtrahens? retrahe vnicam hanc, & derelictam ab omnibus animam à violentia eorum, qui immanium leonum inſtar in me faciunt impetum.

XVIII.

Confitebor tibi in Eccleſia ma-

gni : in populo graui laudabo te.

παρεμβολὴ promiſſionem gratiarum actionis continens : quæ cauſam complectitur τελικὴν, cur cupiat ſe defendi: nimirum vt Dei gloria ſermonibus omnium exornetur. Diuulgabo nomen tuum in conuentu ingenti : te in magna hominum frequentia celebrabo : neq; vllum ex ore meo verbum exibit, quod cum tua laude non ſit coniunctum.

XIX. XX.

Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

ἐπανάληψις, ſeu precationis repetitio. Non planè deprecatur Dauides ſannas, riſus, dicteria & ſcommata inimicorum : ſed, intra modum vt cohibita, ad extremam ipſius perniciem ne cumulentur petit. Effice ne voluptatem capiant, qui mihi nullo meo merito ſunt hoſtes : ne miſeri fortunis illudant, qui me ſine cauſa oderunt : qui non loquuntur pacem, ſed bella : qui cum animo ſuo fraudes concinnant, & inſidias contra conantem vitam traducere ſine vlla contentione, dimicationeq;. Annuere oculis διανεύειν ὀφθαλμοῖς, eſt nutu gaudia ſua teſtari, & geſtu, vultuq; in alicuius calamitates inſultare.

XXI.

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum : dixerunt euge euge viderunt oculi noſtri.

Δια-

Διατύπωσις, notatio, qua geſtus inimicorum exprimit, μιμήσει addita verborum: quibus in ærumnas afflicti, & perditi inuadebant. Diducto contra me ore, & lingua proiecta ita dictitant: Euge, quod iam pridem votis omnibus expetiuimus, iacentem te, proſtratumq; tandem cernimus.

XXII. XXIII. XXIIII. XXV. XXVI.

Vidiſti Domine ne ſileas: Domine ne diſcedas à me.

Exurge & intende iudicio meo Deus meus: & Dominus meus in cauſam meam.

Iudica me ſecundum iuſticiam tuam Domine Deus meus: & non ſupergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus ſuis euge euge animæ noſtræ: nec dicant deuorabimus eum.

Erubeſcant & reuereantur ſimul: qui gratulantur malis meis: Induantur confuſione & reuerentia: qui maligna loquuntur ſuper me.

Concluſio, quæ iterationem habet propoſitionis, petitionis, & execrationis imagine explicatæ. Quia vides igitur, quàm geſtiant, quantiſq; propter miſerias, & ærumnas meas incedant leticijs: ne quæſo à me abſis longius: ſed excitans te euigi-

euigila: atq; ad iudicium mi Deus, & Domine conſurge, & in cauſa mea, barbaro, immaniq; hoſte damnato, pronuncia. Fer in cauſa mea ſententiam pro tua iuſticia: ne gratulentur ſibi impij conſceleratiq;, & malis meis exultent, ac triumphent. Ne ſic cum animis ſuis loquantur: Bene habet, ex animi noſtri ſententia res ſucceſsit: voti compotes facti ſumus: deuorauimus eum. Notentur infamia, qui læti ſunt meo malo, & damno: qui voluptatem capiunt ex meis ærumnis, pudore afficiantur: ignominia, ceu veſtimento, circumdentur: qui in ſe collocata putantes omnia, faſtu contra me, ſuperbiaq; efferuntur.

XXVII. XXVIII.

Exultent & lætentur qui volunt iuſticiam meam: & dicant ſemper, magnificetur Dominus qui volunt pacem ſerui eius.

Et lingua mea meditabitur iuſticiam tuam: tota die laudem tuam.

ἀντίθεσις cum repetitione promiſsionis de gratiarum actione. Gaudeant verò, exultentq; homines pij, Deiq; colentes: qui innocentiæ, iuſticiæq; meæ cupidi Deo gratias agunt, eumq; magnificandum eſſe prædicant: quòd pro cultore ſuo propugnat: & tranquillam vitam, ocijq;, & pacis plenam colere permittit. Mea certe quidem lingua nunquam de tuis laudibus conticeſcet.

PSALMVS XXXVI.

IMPIVS.

Depin-

DEpingit hoc Pſalmo vates prauarum diſcipli-
narum magiſtros, quos appellamus hæreticos,
& obtrectatores Eccleſiæ: qui fanaticas, quas animo
imbiberunt opiniones, & cum doctrina cœleſti pu-
gnantes diſseminando, vaſtitatem inferunt religioni.
Hos affirmat, verbo Dei contemto, ac nullo nume-
rò habito, metu Numinis, reuerentiaq́ ne minima
quidem tangi: ſed ſuperbia tumidos, quicquid ani-
mo fuerit collibitum, docere: tum ſeſe tantùm, ſuaq́
extollere, alios omnes verbis abijcere: ſe ſolos Dei
noticiam habere: ſolos ſpiritu agi diuino: ſolos cum
ſectatoribus ſuis amari à Deo, caroſq́ haberi. Qua-
lem verò doctrinam profiteri? Pernicioſam omnino
Eccleſiæ: vt qua oppugnent fidem, & gratiam, ac
cultum Dei nugatorijs ritibus conſtantem propa-
gando, in errorem, fraudemq́ illiciant imperitos:
idq́ ea obſtinatione animorum, vt nulli cedant,
nullius admonitioni locum relinquant: ſucceſſu qui-
dem certè adeò non carere, vt magis, magisq́ in dies
ſingulos inualeſcant, cancri, aut gangarenæ ritu do- 2. Tim. 2.
ctrina illorum ſerpente, & corrodente. In qua ſa-
nè ad memoriam poſteritatis propaganda maiore co-
natu, induſtriaq́ elaborant: quàm quiuis eorum, qui
veræ doctrinæ de Deo diuulgandæ ſtudent. Quid?
quòd furioſè debacchantur in eos, & omnis generis
iniurijs miſerrimos habent, quicunq́ vel mutire
tantùm contra doctrinam ipſorum audent, nocte,
dieq́ in ea cura, cogitationeq́ defixi, qua malum
creent, exitiumq́ aduerſarijs: vt quorum extermina-
tione cultum ſe Deo præſtare gratiſsimum arbitren-
tur. Hos igitur, & quicunq́ ſtudio religionis falla-
citer aſſumto, & pietate ad tempus ſimulata, & com-
poſita Deum colunt, precibus ſuis oppugnat Pro-
pheta:

pheta: & pios mortales, Deiq; metuentes admonet: primùm, vt ab eiuſmodi doctoribus ſibi caueant: deinde, vt magno excelſoq; animo conſiſtant. Nam cùm infinita ſit, & interminata Dei in Eccleſiam ſuam miſericordia, & clementia, fieri non poſſe: vt verbum, regnumq; diuinum malorum conſpirationibus vnquam euertatur: vt quæ manſura ſint, ac duratura, loco non mouenda, non aliter: quàm montes qui Dei manu ſtabiliti conſiſtunt, & Oceanus, qui exhauriri non poteſt.

I.

Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius.

Narratio, abſoluta, perfectaq; deſcriptione ideæ peccatorum conſtans: quorum duo ſunt genera: Vnum eorum, qui in lubrico vitæ mortalis curriculo prolapſi dedecus in ſe admittunt, ſed doctrinam tamen diuinam non contemnunt: qua admoniti ad bonam frugem conantur redire: Alterum eorum, qui animo prauo, maloq; ſine reſpectu Numinis æterni in terrenis inquinamentis, ſordibusq; volutantur: & tamen interim nihilo minus falſam imaginem virtutis, pietatisq; conſectantur. Atq; hos inimicos Domini, qui hunc ſequitur, Pſalmus appellat. Omnino perſuadet mihi improbitas, qui ſeſe dedit iniuſticiæ, ſcelerati, peruerſitas, qui legum diuinarum vetita per libidinem animi attingit, impij, teſtimonio quaſi confirmat animo meo, cordis mei ſenſus intimus dictat mihi, qui ex conſtituto peccat, impium non modò Dei, cuius ſimulat ſeſe teneri, metu non affici: ſed nullum prorſus putare in cœlo Numen, nullam vim diuinam exiſtere. Timorem Dei, φόβον θεῦ, intellectione pro omnibus virtutibus, quæ primo continentur mandato, poſuit,

hoc

hoc eſt obediéntia vniuerſa. Significat autem Propheta impium deleuiſſe ex animo omnem noticiam Dei, & prorſus eſſe ἄθεον, & Epicureum: licet ſimulatione ſanctitatis leges diuinas, Deiq́; nomen ſemper in ore iactet. Huc illa: Habent ſpeciem pietatis, ſed vim eius abnegarunt. Et: Deum ſeſe ſcire profitentur, ſed factis eundem negant. 2. Tim. 3. Tit. 1.

II.

Quoniam doloſè egit in conſpectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Expolitio à φιλαυτίᾳ ſeu σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίᾳ, ſui amore, & ſtudio nocendi alijs. Et ipſe mirificè ſibi adumbratam propter religionem blanditur: & ad circumſcribendum, decipiendumq́; alios, adminiſtros habet, qui cauſam ipſius prouehunt: quo puluere quaſi in oculos eorum, quibus cum verſatur, coniecto, plurimum detrimenti pijs importetur. Qui ſpecie, habituq́; falſitatem aſtutè miſcent cum religione, & cupientes videri Dei amatores, propriam quærunt vtilitatem: tradunt inter ſe operas mutuas: vt improbitati ſuæ ſpeciem opponant pietatis: & in inuidiam vocatis aduerſarijs, & calumnijs oppreſſis, ſua quàm latiſſimè propagent.

III. IIII.

Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere vt benè ageret.

Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

συναθροισμὸς intexta peruicacia impij, & obſtinatione, & πανουργίας repetitione. Doctrina eius pernicioſa eſt, & fraudulenta. Sermo iniquitatis plenus: veritatem ſophiſmatum obſcuritate obtegit, & inſidijs argumentorum obducit: malicioſa interpretatione adhibita, quaſi fallaci aliqua è vitro tranſenna obiecta, errorem ſimplicium cordibus offert: idq; contra animi mentem: quo fit, vt præceps actus eò prolabatur peruerſitatis: vt errores pœnitendo nunquam corrigat: nunquam ſe recipiat, & reformet: ſed opiniones ſemel conceptas obfirmata ceruice, & animo pertinaci defendat. Quin etiam, cum alij ſomno ſeſe dant, & quieti, ille cum animo ſuo cogitat, quonam pacto damnum, malumq; det aduerſarijs ſuis: & cum doctrinam, tum actiones ſuas quo iure, quaq; iniuria defendat. In malitioſum animum non intrat ſapientia. Autor Sapientiæ.
Sapient. 1.

V.

Domine in cœlo miſericordia tua: & veritas tua vſq; ad nubes.

παραμυθία, quæ eſt Pſalmi pars altera. At vero licet tanta ſit perditorum, profligatorumq; hominum improbitas: tua tamen bonitas Domine, qua ad ſcelera eorum conniues, & benignitas, ac lentitudo, qua ad frugem eos reuocas, cœlos tranſcendit: & veritas, promiſſorumq; conſtantia nubium ſuperat altitudinem. Extollit laudando Propheta miſericordiam Dei: eamq; ἀντιθέσει quaſi ſceleratorum peruerſitati opponens, immenſis partibus illa maiorem, amplioremq; eſſe pronunciat: vt qua flagitia malorum tanta lenitate toleret: &, pro verbo ſuo propugnans, in bonorum defenſionem ſine intermiſſione incumbat. Docet autem non impediri Deum improbitate impiorum: quò minus fauore ſuo, beneuolentiaq; omnes homines proſequatur: & nullis non ſceleribus coopertis benignè faciat. Quare & Chriſtus, eſtote, inquit, miſericordes, vt pater

pater veſter miſericors eſt: ille enim ſolem ſuum oriri facit in malos iuxta, ac bonos: & iuſtos pariter, iniuſtosq; compluit. Matth. 5. *Veritas eſt fides diuina, & promiſsionum conſtantia. Deus verax, omnis homo mendax. Paulus.* Rom. 3.

VI.

Iuſticia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa: homines & iumenta ſaluabis Domine.

Quid? quòd iuſticia tua æquat altitudine montes excelſiſsimos, iudicia maris profundiſsimi inſtar habent ſeſe. Tu quidem certè pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum Domine alis, ſuſtentas, & conſeruas. Iuſticiam, δικαιοσύνην, *iudiciumq;,* κρίματα *intelligit, cum conſilium, prouidentiamq; Numinis diuini ſumma ſapientia, bonitateq; res mortalium, & mundum vniuerſum adminiſtrantis: tum vel maximè quo nos propter Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſeſe morti dedidit pro nobis, innocentes pronunciat, fauorem illius, clementiamq; interminatam: hoſtes verò ſuos in perpetuam inferorum exuſtionem agit præcipites. Montes commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Eſaias.* Ἄβυσσος *immenſum eſt profundum, vel altitudo expers fundi. In Moſe eſt: Tenebræ erant ſuper faciem Abyſsi: vbi abyſſus ingentem, atq; immenſam aquarum copiam & voraginem ſignificat. Tranſlatum eſt hoc loco ad id, quod nequit inueſtigari. Tua iudicia nemo poteſt perſcrutari.* Eſa. 54. Gen. 1.

VII.

Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus: Filij au-

tem hominum: in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

προσφώνημα. Quæ præceſſerunt, maximam partem ad vniuerſos mortales, hæc ad pios tantùm, & Eccleſiam pertinent. Eſt igitur noua ἀντίθεσις, *contentio,* εἰκασία, *imagine illuſtrata in hanc ſententiam. Etſi vniuerſo generi mortalium benigniſsimè conſulit Deus, & prouidet: beneficentia tamen illius longè amplior, illuſtriorq́; erga ſui cultores exiſtit. Tam inſigni, & diuina præſtas clementia Domine: vt mortales ſub alarum tuarum vmbram confugiant. Vmbram alarum,* σκέπην τῶν πτερύγων, *pro defenſione poſuit, & patrocinio diuino: quo ſancti ab inſultibus, iniurijsq́; impiorum prohibentur, non aliter, quàm pulli ſub alis matrum ab inſidijs accipitris.*

VIII.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

ἀλληγορία. *Saturabuntur pinguitudine domus tuæ: tuæ domus abundantia circumfluent: tuarum deliciarum flumine perfuſi iucunditate immenſa, & voluptate inexplicabili perfruentur. Vbertatem, & pinguedinem,* πιότητα, *vocat doctrinam cœleſtem: in qua acquieſcentes euadunt Filij Dei: &, Spiritu ſancto afflati, etiam in hac breui, fugaciq́; vita maximis, puriſsimisq́; voluptatibus fruuntur. Domus,* οἶκος, *Eccleſia eſt, & futura conſociatio piorum, in vita cœleſti, & perpetua. Torrens voluptatum,* χειμάῤῥος τῆς τρυφῆς, *bona illa ſunt præparata in cœlo ijs, qui ſeſe, ſuaq́; omnia in Deum abdiderunt: quæ quidem talia erunt, & tanta, vt nulla hominum cogitatione queant adumbrari.*

IX.

Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Ratio. Penes enim te vena eſt vitæ beatæ, & immortalis: & in luce tua cernemus lucem. Fons vitæ, πηγὴ ζωῆς, Deus eſt. In illo enim viuimus, mouemur, & ſumus, vt loquitur Apoſtolus in libro Geſtorum: nec vlla pars eſt vitæ, quæ ſine ipſius fauore, gratiaq́; conſiſtat. In lumine Dei videmus lumen, ἐν τῷ φωτὶ θεοῦ ὀψόμεθα τὸ φῶς, hoc eſt, in Chriſto, qui Act. 17.

Splendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens
Lux lucis, & fons luminis
Diem dies illuminans, vt canit Ambroſius, lumen eſt, quod illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum. Illo enim agnito, & caligo, qua animi noſtri ſunt circumfuſi, reſoluitur: & calamitatum, ac miſeriarum tenebræ remouentur: vt clariſsimam, pulcherrimamq́; ſummi boni lucem intueri, eaq́; in infinitas ſeculorum ætates frui poſsimus. Ioh. 1.

X. XI.

Prætende Domine miſericordiam tuam ſcientibus te: & iuſticiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me.

Concluſio δεκτικὴ ratione adiuncta. Petit enim vt bonitate, qua omne genus hominum complectitur Deus, largius vtatur erga Eccleſiam: ne pij à vera doctrina, aut inſidijs improborum deficiant, aut deſciſcant offenſionibus. Extende clementiæ

quidem tuæ fauorem in eos, qui in gratiam tecum, amiciciamq́; recepti tui habent noticiam: iuſticiæ verò facilitatem, qui ſanctitati ſtudent, & innocentiæ: & ad normam voluntatis diuinæ omnes vitæ rationes dirigunt. Et quia vicijs, ac ſceleribus contaminatorum infinita eſt multitudo: ne permitte, vt à ſuperbis, qui adumbrata nituntur religione, conculcer: & manibus, qui virtutem ementiuntur, impiorum vexer: ne ſine ſtultis opinionibus inſlatorum, & dolis, fraudibusq́; virtutis gloriam captantiũ pedes ad me accedant propiùs, neue vis, & furor ſuperſtitionibus obligatorũ non forti me, & inuicta fide conſiſtere patiatur.

XII.

Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt nec potuerunt ſtare.

Clauſula imprecatoria: interitum denuncians, & exitium perpetuum hominibus ſceleratis, & nefarijs. In eum deijciantur locum, vnde non poßint ſurgere. Impij, qui diritate immani vexant nunc bonos: & omnibus iniurijs, contumelijsq́; afficiunt, iam iamq́;, quibus aucti erant, honoribus ampliſsimis exuti in maximas, & perpetuas proijciantur miſerias, ſupplicijs mactandi ſempiternis.

PSALMVS XXXVII.

PATIENTIA.

COnſolatur hic Pſalmus ſancta religione imbutos mortales: eosq́; cohortatur ad patientiam, animiq́; tranquillitatem: ne, cùm florere malos, & circumfluere omnibus copijs conſpexerint, in inuidentiam, indignationemq́; delabantur. Fieri quidem vix poteſt, in quorum animis minus fidei eſt, & roboris, quin iniqua mente malis bene, bonis contra malè

malè eſſe patiantur. Quis enim eſt, cui ſit tam cornea fibra, qui non dolorem aliquem capiat animo: cùm videat furorem, quo ſummi cum infimis incitati in omni genere ſcelerum, & flagitiorum volutantur? quis eſt, qui non elatus iracundia peſtem exoptet, & exitium impijs, & nefarijs aratoribus, opificibus, Centauris, tyrannis: qui non modo impune alios fallunt, fraudant, decipiunt, ludificantur, ſubditos expilant, prouincias diripiunt, Deo, & Eccleſiæ dicatis bonis manus afferunt, Chriſti cultores contemnunt, odio, inuidiaq; premunt, vexant, & nullis non iniurijs miſerrimos habent: ſed inſuper etiam diuitijs ipſi augentur, fortunis locupletantur, in manibus habentur, honoribus afficiuntur, coluntur, obſeruantur. Ratio ſanè, eamq; ſecuti in tradendis præceptis de officijs ſumma doctrina, autoritateq; philoſophi, νέμεσις, quam indignationem Latini interpretantur, virtutem eſſe putant: quæ, cum eodem ex fonte fluat, quo miſericordia, nempe ex iudicio boni, & amore illius, rectè, & cum laude doleat ſecundis rebus eorum, qui iniuria illis fruuntur. At verò Propheta non ſolùm virtutis nomen non tribuit dolori, qui ex felicitate malorum capitur: ſed vicioſum quoq;, ideoq; plane repudiandum pronunciat: itaq; regendum cœleſti doctrina animum, & fortunas, ſuperbiam, inſolentiam, ferociam, importunitatemq; ſceleratorum patienter ferenda: nec committendum, vt grauiùs commoti, occupatiq; iracundia aut malè precemur illis: aut obliquis oculis res eorum ſecundas intueamur potiùs, quàm ex Deo pendeamus: & illius arbitrio permittamus omnia: qui ſuo tempore impios ex illuſtri, & florente rerum ſtatu in maximas miſerias, & illas quidem perpetuas ſit deturbaturus.

I.

Noli æmulari in malignantibus: neq; zelaueris facientes iniquitatem.

Propoſitio. Ne ſtomachum faciant tibi res ſecundæ, & proſperæ eorum, qui non modo ſcelera, & flagitia ſua non cælant: ſed oſtentare etiam illa audent: ſéq; in dedecore, & turpitudine magnificè iactant. Ne grauiùs commoueare bonis rebus impurorum, & profligatorum hominum: neq; illis inuideas, quod domos habēt à pauore ſaluas, nec diuino verbere vapulant. Ne te torqueat, anxiumq; habeat, quòd flagitijs coopertorum penuaria altè referta ſunt ab alia annona in aliam: neq; praua æmulatione ſollicitatus neglectionis rerum humanarum Deum

Prou. 3. & 24. *incuſes. Noli ob malos indignari, aut impijs inuidere. Solomon.*

II.

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Ratio ſimilitudine compta & exornata. Nam, vt gramen, deſecabuntur: vt flos ſucciſus aratro morientur: vt herbæ exareſcent. Comparat impios florentes cum gramine, quod, hodie cum viget, cras in clibanum conijcitur, vt inquit Chriſtus.

Matth. 6. Prou. 24. *Non habebit malus poſteritatem: impiorum lux extinguetur. Solomon. Vt exortus cum ardore Sol herbam areſacit, eiusq; & flos decidit, & decora ſpecies interit: ita diues cum ſuis copijs*

Iac. 1. *marceſcet. Iacobus.*

III.

Spera in Domino & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſceris in diuitijs ejus.

Alia Propoſitio, quæ ἀποφαντικῶς expoſita ſuperioris eſt aduerſaria: eaq́; προσυνετικὴ conueniens cum illo Paulino: Præclara militia ſungere fidem habens, et bonam conſcientiam. 1. Tim. 1. *Sed de mandato cœleſti ſpem fixam, & locatam habe in Domino, & actionibus præclaris da operam: ſed omnes curas, cogitationesq́; in Deo conſtitue: & in ſanctitatis ſtudium couerſus tota mente in communi hominũ vſu, & functionis certæ officio ſine circumſcriptione, defraudationeq́; aliorum rem honeſtè & quære, & auge. Huc referri poteſt illud. Mane in conditione* Sir. 11. *tua, & in ea verſare: ac in opere tuo conſeneſce. Cum dicit, Inhabita terram, κατασκήνου τὴν γῆν, quaſi in rem præſentem deducens, in poſſeßione felicitatis pios collocat. Si Deo placere ſtudes, non eſt, vt ab hominũ frequentia te remoueas, et in ſolitudinem aliquam abdas: ſed in cœtu aliorum cum timore Domini officij tui munus cole: nec dubita, quin te, laboresq́; tuos felicitaturus ſit Deus. Paſcitur fide, qui perdius, & pernox totus in legis meditatione ſuis in actionibus omnibus ad diuinam reſpicit voluntatem. Quod quotusnam quisq; eſt hoc tempore qui faciat.*

Sic tribuli, & lolia implerunt, ſic omnia lappæ.

IIII. V.

Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.

ἐξεργασία, Expolitio, adiuncta promißione. Impij vanis, ac fallacibus bonis oblectantur: at tu Domino fruere: tu te oblecta Deo, qui & animi & corporis commoda tibi, quæ deſideras, & opportunitates abundè ſuppeditabit. Tu tantùm curas tuas ſpe, & patientia in Deũ conijce, eiq́; confide: ipſo .n. tranſigente res tuæ euentum optatum ſortientur. Si animus noſter nos non damnat, confidentiam habemus ad Deum: ac quicquid poſtulamus,

1. Iohã. 3. *id ab eo impetramus, Iohan. Apoſt. Iacta ſuper Dominum cu-*
Pſal. 55. *ram tuam, & ipſe te enutriet. Autor. Delectari in Domino, κατὰ ζυβᾶρ τοῦ κυρίου, eſt doctrinam cœleſtem habere in delicijs, &, ſpe collata in Deum, in gratia illius, & beneuolentia acquieſcere. Vias, τὴν ὁδόν, primùm turpitudinem viciatæ naturæ, & miſerias humanas: deinde negocia, res, rationesq; vniuscuiusq; intelligit: eas in Deum voluit, & reclinat, quicunq; ſub potentem ſeſe Dei manum ſubiectione humili ſubijcit: &, neq; loco, neq; tempore, neq; modo opitulandi præſcripto patri cœleſti, actionum ſuarum euentum ad diuinum confert arbitrium: &, conſilijs, viribus, & præſidijs humanis valere iuſsis omnibus, Dei de ſe decreti euentum in rebus ad hanc vitam, quam degimus in terra, ſpectantibus fidenter, patienterq; expectat,*
2. Reg. 15. *iuxta illud: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me: ſi verò dixerit, non places, præſtò ſum: faciat de me, quod ſibi bonum viſum fuerit. Omnem curam veſtram in Deum conijcite,*
1. Pet. 5. *quippe cui curæ ſitis. Petrus. Nemo Deum nimis amare: nemo Deo ſatis poteſt confidere. Quod ſi apud amicum conquereris de tuis miſerijs: cur non eaſdem in gremium quaſi Dei deponis, his verbis. Ipſe facies: vt qui multò promtior eſt, & paratior ad dandum, quam vllus mortalium ad accipiendum. Taulerus.*

VI.

Et educet quaſi lumen iuſticiam tuam: & iudicium tuum tanquam meridiem.

Interpretatio particulæ, quæ præcedit: & ipſe faciet. Tuam cauſam, innocentiamq; illuſtrem reddet: ius tuum ſic deteget: vt nulla lux ſit clarior, non quæ diem mediũ ſecat. Vtitur ἀλληγορίᾳ, qua res quidem triſtes, & aduerſas nocti, tenebrisq;, ſucceſſum verò meliorẽ diei, ac luci meridianæ conferens, pronunciat fore: vt maximè conſpicuam reddat probitatem piorum: & ad

ſupplicium vocatis improbis, è nocte quaſi ærumnarum, & calamitatum in lucem, & ſolem felicitatis propter res eorum educat. Sic à fratribus venditus in ſeruitutem, & proterua à Domina accuſatus, & in cuſtodiam datus Ioſephus tandem eruitur ex carcere: & princeps conſtitutus Ægypti,

Exilio regnum mutauit, principe ſeruum.

Sic Dauides inter fratres contemtus, in exilium à rege proiectus, à proceribus exagitatus, tamen ad poſtremum regno Hebræorum potitus, exemplo docet ſuo, innocentiam piorum luce euidentiorem, & ius meridie clarius effici.

VII. VIII.

Subditus eſto Domino & ora eum: Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua: in homine faciente iniuſticias.

Deſine ab ira & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.

Repetitio, iteratioq́; propoſitionis vtriuſq;. Sile Domino, & ſpera in eo: ne hac, & illac circumcurſando tumultueris more eorum, qui parum fidunt Deo: ſed expecta illum tacitus, neq; impatientius fer ſucceſſus eorum, qui ſcelere, & flagitio paſcuntur: animum freno quaſi iniecto rege: nec ſic incendaris iracundia, vt malorum exempla te ad perpetranda ſcelera, flagitiaq́; inducant. Tacere, & ſilere Domino eſt, quod ſeptuaginta reddiderunt, ὑποτάσσεσθαι τῷ κυρίῳ, & rationibus ſalutis omnibus, & perfugij in Deo repoſitis, αὐτάρκως πρὸς τὰ ἴδια ἔχειν, καὶ εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ, & tranquillo animo auxilium, defenſionemq́; cœleſtem expectare. In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra. Eſaias. Humiliamini ſub Eſa. 30.

1. Pet. 5. *manu potente Dei: vt vos extollat, cùm erit opportunum, Petrus.*

IX.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.

Iteratio rationis. Nam, qui florent, impij ſubuertentur: & ex felici pro ſperitatis ſtatu deturbabuntur: qui verò in calamitatibus, ærumniſq́; quibus premuntur, Dei manum patienter expectant, ijs hæreditario iure terra aſsignabitur. Huc illud: Beati mites, nam illi terram poßidebunt. Et: Non ſemper regnabunt impij. Solomon. Hæreditas, poſſeßioq́; terræ non ea intelligenda eſt, quæ in oculos incurrit: ſed qua animus præſentibus rebus, quæ dantur à Deo, contentus, quieta mente conſiſtit: & in nidulo ſuo pane alimentario fruitur: ac felices in officij ſui munere ſucceſſus habet, ſpe felicitatis, & beatitudinis ſempiternæ ſubnixus: cùm contra impius licet

Matth. 5.
Prouer. 20.

Terræ mariſq́; ſit potens,
Pulchramq́; nomen occupet

Felicis, vſq; ſit miſer, ad æterna ſupplicia condemnandus. Quod differtur, non aufertur. Arnobius.

X. XI.

Et adhuc puſillum & non erit peccator: & quæres locum eius & non inuenies.

Manſueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

Confir-

Confirmatio προκαλήψει *ornata, qua* τὸ ἀντίπιπτον *de felicitate impiorum breuiter diluit: & ad ſuſpendendum pauliſper iudicium hortatur. Apparet quidem nihil beatius eſſe, fortunatiusq; ijs, qui Dei metu vacui nequam dæmoni, qui eſt Diabolus, operas ſuas locant: ſed ſuſtine aſſenſum: &, quam exiguum ad tempus felicitas impiorum duret, paulò poſt fies certior: dicto enim citius nusquam erit impius: eiusq; locum ſi contemplere, nullum extabit veſtigium. At verò manſueti, pacem habentes, in cuius gratia ſunt, & amicitia, cum Deo, iucunditatibus perfundentur, bonisq; cumulabuntur cœleſtibus: & hæredes erunt Patris æterni, cohæredes autem Chriſti, cui data poteſtas omnis in cœlo, & in terra.* ἡ μέλλουσα τοὺς πραεῖς ὑποδέχεσθαι γῆ ἀθάνατός ἐστι. *Futura, quæ mites excipiet terra, eſt immortalis. Damaſcenus. Terra eſt non iſta mater ſpinarum, & ſerpentium, ſed illa, in qua æternitas regnat, fluens lac, & mel inquit Arnobius. Puſillum,* τὸ ὀλίγον ἢ τὸ μικρὸν, *breui temporis ſignificationem habet. Vt enim aliquanto diuturnior ſit felicitas improborum: tamen in collatione æternitatis ne minimi quidem momenti rationem habet: mille enim anni apud Dominum perinde ſunt, ac dies vnus. Quos autem ſupra ſuſtinentes,* ὑπομένοντας, *ſeu expectantes Dominum nominauit, nunc manſuetos,* πραεῖς, *appellat. Neq; enim animo quieto, tranquilloq; poteſt conſiſtere, niſi qui ſe, ſuaq; omnia Dei fidei, tutelæq; commiſit.*

XII. XIII.

Obſeruabit peccator iuſtum: & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

Dominus autem irridebit eum: quoniam proſpicit quòd veniet dies ejus.

λῦσις

λύσις, reſutatio nouæ ὑποφορᾶς παραμυθική. Sunt ſanè impij opibus inſtructi, ſunt potentia armati : ideoq; in omnes occaſiones, vt pijs damnum dent, Deiq; metuentibus, eosq; omnis generis iniurijs miſeros habeant, ſunt intenti : verùm nihil agunt quicquam. Odit enim Dominus eos, quòd diem ipſorum appropinquare videt. Inanes impiorum conatus Deus pro nihilo putat : vt qui iampridem conſtitutum, & deſignatum habeat apud animum : quo vſq; rabie, & furore eos graſſari ſit permiſſurus.

XIIII. XV.

Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum : vt deijciant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur.

Διατύπωσις, cui ſubijcitur πρόῤῥησις ἀπειλητική. Nam ſub oculos quaſi ſubijcit furores impiorum, imagine ſumta à gladiatoribus, iaculatoribusq; : & denunciat fore, vt pœnas luant, & ſua ipſorum impietate cadant. Nudant gladios impij, & adducto arcu conſiſtentes oculos pariter tendunt, & ſagittas : vt inopes deijciant, & pauperes, recteq; viuentes vita expellant : verùm incurrent in ſuos mucrones illi: eorumq; arcus frangetur. In impios recident, quæcunq; in bonorum exitium moliuntur. Comprimit Deus neſarios improborum conatus : & gladios à iugulis bonorum reiectos in ipſorum perniciem conuertit. Huc congerenda exempla Pharaonis, Abſolonis, Amani, Iudæorum, Neronis, Iuliani, & tyrannorum, hypocritarumq; omnium : qui cum Chriſto, & Eccleſia bellum neſarium gerunt.

Melius

XVI.

Melius eſt modicum iuſto: ſuper diuitias peccatorum multas.

προκατάληψις παραμυθικὴ collatione ἀντεξετάσει expoſita: qua fatetur pios non rarò in re eſſe tenui, ſed rurſus affirmat exiguam vnius iuſti hominis fortunulam præſtare immenſis opibus, copijsq́; multorum impiorum. Exigua bonorum commoda præſtantiora ſunt, quàm fortuna ampliſſima impiorum. Sententiam Patris approbat Filius, cum inquit: Præſtat cum iuſticia tenuitas, quàm multi prouentus abſq; æquitate. Solomon. κρεῖσσον πενία μὴ δικαίας κτήσεως. *Opibus iniquis iuſta melior inopia.* Prouer. 16. Δεινὸν πενία, χεῖρον εὐπορεῖν κακῶς. *Grauis eſt inopia, grauior impia copia. Theologus.* τὸ καλῶς ἔχειν ὀλίγα πολὺ τιμιώτερον τοῦ κακῶς ἔχειν πολλά. *Exigua inſtè partorum poſſeſſio præſtabilior eſt immenſis, quæ malè ſunt acquiſitæ, copijs. Gregorius Nyſſenus. Loquitur autem de occulta diuini fauoris beneuolentia, quæ benedictio vocatur: quæ verè iuſtos ditat, locupletesq́; reddit: qui etſi in diem quaſi victant: quotidie tamen ſuppeditat eis Dominus, vnde ſe, & ſuos poſſint alere: vt non aliter, quàm Manna quadam è cœlo ſuſtentari videantur.*

XVII.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iuſtos Dominus.

Ratio. Nam brachia, ſeu lacerti, (qui ſunt robur, & magnitudo pecuniarum, opum, potentiæ) animum ſcelere, & fraudibus ob cumulandas diuitias implicantium franguntur: at, qui propter fidem, gratiam apud ſe obtinent, iuſtos ſuſtinet Dominus. Innuit nullas opes, nullam potentiam impiorum

rum tantam eſſe, quæ non euertatur à Deo: contrà nullius, in gratiam cum Patre cœleſti, & amicitiam recepti, viri tam anguſtam eſſe rem familiarem, quem non fulciat quaſi, & ſuo fauore Dominus ſuſtentet. Huc Iſraelitarum in ſolitudinibus Arabiæ, & viduæ Sarephthanæ, aliorumq́; exempla accommodari poſſunt.

XVIII.

Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

Quia non latet Dominum, quibus ærumnis premantur, qui ſe, ſuaq́; omnia fide ipſi conſecrarunt: : ideoq́; conſulit eis: & rebus, rationibusq́; illorum ita proſpicit: vt hæreditas eorum duret in perpetuum. Hæreditatem, κληρονομίαν, *intelligit cùm ipſas, quantumuis tenues, & exiguas facultates piorum, in quorum poſſeßionem pronunciat, fore, vt poſteri etiam mittantur, cùm contrà malè parta ſemper peiùs dilabantur, nunquam enim non* τὰ κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτῃσιν: *tum vel maximè, quam neque lingua nuncupare, neq; cogitatio ſibi poteſt depingere, ſempiternam in cœlo bonorum poſſeßionem.*

XIX.

Non confundentur in tempore malo: & in diebus famis ſaturabuntur.

Occupatio. Non inuadet eos pudor apud Deum triſti, calamitoſoq́; tempore: & infeſtante regionem fame ſaturabuntur. Impediuntur quidem domeſticis malis, difficultatibusq́; boni, premuntur egeſtate, laborant inopia: verùm manum eis præbet Deus: eosq́; alit non ſecus, ac ſi longe vberior copia ſuppeditaret.

Quia

XX.

Quia peccatores peribunt: Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.

ἀντίθεσις εἰκασία exornata. Impij verò, & contaminati peribunt: diuinæ iuſticiæ obtrectatores, vt adeps agnorum, abſumentur, & in fumum euaneſcentes deficient. Quemadmodum agni opimi voraci flamma conſumti eunt in nihilum: ad eundem modum doctrinæ diuinæ contemtores, et ad ſuas voluptates, vtilitatesq; referentes omnia, de ſummo felicitatis gradu, in quem adſcenderunt, deiecti funditus interibunt. Pro adipe agnorum, alij precioſum agrorum, ſeu planicierum reponunt: vt conueniat cum verſu ſecundo huius Pſalmi, in hanc ſententiam. Omnes impios, tum, qui diuinæ iuſticiæ non ſubijciuntur, & tantùm in pietatis vmbra perſequenda ſtudium ſuum conſumunt, tum, qui ſub cœleſtis doctrinæ prætextu excurſum, & licentiam quærunt ſuis cupiditatibus, quales ſunt raptores, iniuſti, adulteri, ebrioſi, etſi ſint veluti pratum amœniſsimum, fore tamen, vt fumi inſtar euaneſcant.

XXI.

Mutuatur peccator & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur & retribuet.

Amplificatio, qua fauorem Dei erga pios commendat: & contra docet, cupiditatis ſitim, qua laborant impij, expleri, ſatiariq; nunquam poſſe. Semper enim auarus eget: & multa petentibus deſunt multa. Mutuatur impius, ſed nil reddit:

Impius

impius & re, & opera aliorum vtitur: ſed nulla officia repo- nit: bonus vero miſeretur, & alijs quibuscunq; rebus poteſt, gratificatur. Impijs etiam in maxima rerum abundantia quæ ſito opus eſt: ideoq; manus aliorum bonis tum fraude, tum etiam vi aperta afferre non dubitant: præterea ab omnibus ſibi inſeruiri volunt: ipſi rem gratam faciunt nemini: pijs verò diuina munificentia, quæ ſunt ad victum, cultumq; neceſſaria nunquam non ſuppeditant: adhæc in id ſedulò dant operam: vt proſint omnibus, damnum verò dent, aut malum ne inimicis quidem. τὰ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα. *Solomon. Semper cupit cupidus: at iuſtus largiri non parcit. Idem.*

Prouer. 12.

XXII.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.

ἐπεμβολή *rationis ex ſuperioribus repetitæ. Nam quos fauore, & beneuolentia ſua Deus proſequitur, terram poßidebunt: à quibus verò propter vitæ, & morum impuritatem animum gerit alienum, excidentur.*

XXIII. XXIIII.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam eius volet.

Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Continuatio eorum, quæ diuino fauore, & beneuolentia in gratiam cum Deo, & amicitiam receptis, & vitam diuinæ legis imitatione conformantibus contingunt. Eiusmodi hominis greſſus à Domino confirmantur, qui vitæ illius viam gratam

gratam habet. Deus hominibus pijs in hoc periculoſo vitæ curſu comitem ſeſe addit: illorumq; inceptis ita fauet, vt ſpei exitus reſpondeat: & extrema cum primis rectè contexantur. Quòd ſi quando contigerit, vt cadant: & non iudicio ſtabili, ſed per fragilitatem delicto anticipentur: peſſum tamen planè non eunt: in angore, & ſolicitudine conſcientiæ, & ancipiti rerum ſtatu, manum illis porrigente, & in gratiam recipiente, & inuitis omnibus in locum, de quo deiecti erant, reſtituente Domino. Huc faciunt exempla Dauidis, Petri, & aliorum: quibus lapſus ipſorum peccata pro benignitatis ſuæ abundantia condonauit Deus: cuius quanta maieſtas, tanta eſt etiam miſericordia.

XXV.

Iunior fui etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

A ſua experientia probat nunquam permittere Deum, vt filij ſui, niſi fortè Lazari ſint, hoc eſt, ex eorum numero, in quibus ſingulare aliquod exemplum ſtatuit ipſe, victu deficiantur. Puer fui, qui nunc ſenex ſum: neq; vnquam vidi in amiciciam cum Deo copulatum, & in functione muneris ſui, vtilitatum proximi nihil habentem antiquius procuratione, diuina ope deſtitutum, aut liberos eius fame confici.

Quondam puer, nunc ſum ſenex,
Nec interim iuſtum tamen
Vidi relictum, nec cibum
Sancti deeſſe ſemini.

In egeſtate quidem eſſe, & cum inopia, & ærumnis plurimis conflictari ſuos non rarò ſinit Deus: ſed tamen fame eos enecari non permittit: atq; ex calamitatibus tandem, miſerijsq; ereptis omnibus exigui temporis moleſtias æternis voluptatibus, & commodis compenſat. At de impijs Michæas: Tu comedes inquit, & non ſaturaberis. Contemplamini priſca ſecula, & con- Mich. 6.

ſiderate ecquis Domino fidem habuerit, & fuerit fruſtratus: aut quis in eius metu perſtiterit, & deſertus fuerit: aut quis eum
Sir. 2. *inuocauerit, quem ille deſpexerit. Siracides.*

XXVI.

Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.

Ratio, quinam fiat, vt bonorum liberis ad victum neceſſaria nunquam non ſuppeditura ſint. Quia bonus vir miſeretur quotidie, & benignè facit alijs: ideo progenies quoq; eius abundabit. Quia nullum diem præterire ſinit pius, quo indigenti de ſuis bonis non impertiat: ideo nepotibus etiam illius copioſe res domeſtica ſuppetit.

XXVII.

Declina à malo & fac bonum: & inhabita in ſeculum ſeculi.

Concluſio, quæ ποικιλίᾳ *iterata repetitionem habet Propoſitionis, cum cohortatione ad conſtantiam in colendis officijs humanitatis, & beneficentiæ. Quod cum ita ſit: animo diuinis promiſsionibus munito, incumbe toto pectore in eam curam, tum, vt agnita naturæ vicioſitate, & inſignitus iuſticia æterna, ab omni labe puram, & integram mentem exhibeas in quacunq; rerum aduerſarum acerbitate: tum, vt in muneris tui functione proſis omnibus, noceas nemini. Ita fiet: ſtabilis vt permaneas in æternitatem infinitam, vita potitus beata, & omnibus gaudijs affluente.*

XXVIII.

Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur: Iniuſti puni-

punientur: & ſemen impiorum peribit.

Ratio reuocata & ipſa ex ſuperioribus, per ἀντίθεσιν. Deus rerum humanarum curam gerit: & quia iuris amans eſt, & ordinis, non poteſt non ſalutis piorum rationem habere: ideoq; pro eis propugnat, à calamitatibus eos prohibet, ex periculis eripit, ac tandem felicitate perpetua muneratur: cùm impiorum contra ſemen excindatur, & deleatur funditus.

XXIX.

Iuſti autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.

Hoc ſuperiùs dixit. Expectantes Dominum ipſi hæreditabunt terram. Boni hæreditate terram poßidebunt: & ſedem in ea ſtabilem, domiciliumq; certum habebunt ſemper. Docet felicitatem, quam nemo non expetit, à Deo tantùm ſanctis contingere: nec fraudibus ad eam, periurijs, furtis, rapinis, & alijs malis artibus, quod vulgus putat hominum, ſed, Dei miſericordiam implorando, vigilando, agendo, proximi commoda procurando, poſſe perueniri. Quæſtus magnus eſt pietas, cum animo ſua ſorte contento. Paulus Apoſtolus. 1. Tim. 6.

XXX. XXXI.

Os iuſti meditabitur ſapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius.

Deſcriptio viri boni ex attributis proprijs: quibus ſeparat eum, & diſiungit à ſimulatoribus, & oſtentatoribus pietatis, qui iuſticiæ laudem falſò ſibi arrogant: Doctrina iuſti ſin-

vera eſt, & ab omni admixtione falſitatis aliena: vtpote, quæ ſit ipſum verbum Dei: lingua iuſti ius loquitur, oratio vera eſt, ſermo ſale conditus: & quia legem Domini, quam ima mente, Dei beneficio, repoſuit, cariſsimam habet: propterea fit, vt vitæ viam certam, rectamq; teneat: nec, quibus lucerna dicta cœleſtia, pedes eius vnquam labent: cum contrà, qui diſciplinas ſequuntur hæreſes, factionesq; conſtituentium, certo gradu ire non poſsint, in exitium præcipitandi ſempiternum.

XXXII. XXXIII.

Conſiderat peccator iuſtum: & quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.

Refutatio, λύσις τῆς ὑποφορᾶς, quæ conſolationem iterat ſuperiùs quoq; expoſitam. Omnes quidem nocendi vias, & rationes captat impius: quibus ſanctos, bonosq; & fama ſpoliet, &, quod non raro accidit, vita quoq; expellat: verum Deus vindex eſt nefariorum conſiliorum, factorumq;: & vel non ſinit ſui amantes iniurijs, calumnijsq; aduerſariorum nudari, & deformari, ſi quando in diſcrimen famæ, & fortunarum periculum deducantur: vel certè per vim, factionemq; oppreſſos, & obtruncatos in vitam reuocat beatam, & perpetuam.

XXXIIII.

Expecta Dominum & cuſtodi viam eius: & exaltabit te vt hæreditate capias terram, cum perierint peccatores videbis.

Epilogi, ſeu Concluſionis propter affectum iteratio, quæ iubet

iubet pios primùm benè ſperare, & animo tranquillo conſiſtere: ſi quando malis viderint omnia ſecunda, & proſpera contingere: deinde viam Domini tenere, φυλάσσειν τὴν ὁδὸν κυρίου, *& ad normam voluntatis diuinæ omnes vitæ rationes dirigere: ſic enim fore, vt vice verſa ipſis tandem bene ſit: impij contrà planè exterminentur. Omnem ſpem fixam, & locatam habe in Domini clementia, & miſericordia: & in muneris tui officio præceptorum eius curſum confice. Quod ſi facies, immittet te Dominus in omnium bonorum poſſeſſionem: impijs, quæ res maximam tibi læticiam in Domino afferet, funditus extirpatis.* πολλοῖς γὰρ ὁ δαίμων οὐ κατ᾽ εὔνοιαν φέρων μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματα, ἀλλ᾽ ἵνα τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας, *inquit Philoſophus, ad quod alluſit ille: Tolluntur in altum: vt lapſu grauiore ruant. In meis hoſtibus, quod volui, vidit oculus meus. Et: Tuis oculis adſpicies,* Pſal. 54. 91. *& impiorum pœnas videbis. Autor.*

XXXV. XXXVI.

Vidi impium ſuperexaltatum: & eleuatum ſicut Cedros Libani. Et tranſiui & ecce non erat: quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius.

κατασκευὴ παραδειγματώδης, *Confirmatio ab exemplis Sauli, Abſolonis, & Achitophelis: quibus probat florentem impiorum fortunam dicto citiùs in nihilum recidere. Vidi præfidentem ſibi impium, cui frondentis inſtar lauri, & virentis ad voluntatem fluebant omnia: & ecce breui mora interpoſita, quem ad animi intemperantiam res ſecundæ ſuſtulerant, cum tota poſteritate euanuerat. Laus, et triumphatus impiorum breuis, & gaudiũ hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſq; ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tangat: quaſi ſterquili-*

 nium

ſingi poteſt: quæ cum conſciæ mentis pauore, & lancinante animum anxietate comparari queat: vt rectè ille, licet ignarus Dei, dixerit: nihil eſſe miſerius, quàm animum hominis conſcium. Redditur autem moleſtia hæc maior, & intolerabilior: vbi aduerſarij quoque accedunt: qui cùm frigidam quaſi ſuffundunt: & de fauore Dei, & beneuolentia ſeſe contra bonos magnificè efferunt: fieri non poteſt, nulla ſtatim conſolatione Deo permulcente animum: quin terrificæ ſpecies, cogitationesque de ira diuina propter peccata animos perturbent. Docet igitur Propheta: vt in talibus ærumnis, & acerbitatibus nihil minus fingamus: quàm Deum eiecisse de nobis animum patris: ſed licet nos multis peccatorum maculis contaminatos eſſe inficias ire non poſſumus: & recordatione præterea peccatorum curis, & moleſtijs non ferendis miſerrimi habemur: firma tamen confiſione animi nos erigamus: &, in Dei promiſsionibus recumbentes, orationis præſidio fulti, bonitateque cauſæ confiſi, quas ſpirant minas pariter gloriasque mali fortiter contemnamus: Quòd hac vna ratione fidei conſolatione animi alleuari: & ad ſpem queant excitari meliorem. Neque enim confugientibus ad clementiam, miſericordiamque diuinam non poteſt non pater cœleſtis exorabilem ſeſe, placidumque præbere. φιλάνθρωπος γάρ ἐστι, καὶ ἐλεήμων, καὶ κατάπερ ἡ ὠδίνουσα ἐπιθυμεῖ τὸν ἔλεον ἐκχεῖν τὸν ἑαυτοῦ. Amator eſt enim hominum, & miſericors: & quemadmodum parturiens deſiderat fœtum edere: ſic & ipſe deſiderat ſuam effundere miſericordiam, inquit Chryſoſtomus. Titulus commemorationis, ἀναμνήσεως, celebrationem Dei notat. Numen enim diuinum laudare, & ſeſe accuſare, verè, & Dei, & ſui meminiſſe eſt.

Domi-

I.

Dominene in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Propoſitio precationis: quæ anguſtiæ, terroresq́; animi conſcientia peccatorum exagitati, & iudicium Dei, atq; iram formidantis exprimuntur. Non autem ſimpliciter pœnam recuſat, ſed mitigationem animaduerſionis, ne proijciatur à Deo, & hoſtium dedatur furoribus poſtulat. οὐ τὸν ἔλεγχον παραιτεῖται, ἀλλὰ τὸν μετὰ θυμοῦ: οὐ φεύγει τὸ παιδευθῆναι, δίχα δὲ ὀργῆς τῆς παιδείας τυχεῖν ἀξιοῖ. *Reprehenſionem non deprecatur, ſed ne cum furore arguatur: nec detrectat corripi: ſed abſq; ira emendari petit, inquit hoc loco Baſilius. Subijcit ſe quidem ſupplicijs (nam opus habent pij quoq; propter inſitum peccatum, vt rebus aduerſis vexentur: quò caro extinguatur, ſpiritus viuat: & oportet eos, qui ad fidem ſeſe Chriſti contulerunt, per multas miſerias in diuinum regnum intrare) verùm à ſe tamen deprecatur interitum ſempiternum. Id quod nobis, cùm in miſerijs ſumus, & dolores cruciatusq́; ſuſtinemus ob legem violatam, omnibus faciendum. Domine noli mecum iracundè nimis agere: noli me acerbè punire: ne in me omnes irarum habenas effunde: nec me in cruciatus præcipita perpetuos: ſed ad vindicandum mea peccata paternam ſeueritatem adhibe.*

II.

Quoniam ſagittæ meæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Narratio, continens triſtiſſimam querelam ingentium dolorum: quam commemoratione cauſarum, & circumſtantiarum dilatat. Tuis ſagittis ſaucius ſum: tua manu vrgeor:

Pectora vindicibus figuntur noſtra ſagittis,
Et tua me vaſto pondere dextra premit.

Sagittas, τὰ βέλη, *immutatione, quæ eſt* μεταφορὰ, *vocat ex dictatorum legis enunciatione ortos cruciatus ſummorum dolorum, & ſaucıantem corda ſenſum iræ diuinæ: de qui-*
Hiob. 6. *bus etiam Hiobus queritur. Omnipotentis ſagittæ in me ſunt: quorum indignatio ebibit Spiritum meum. Neq; vero ab his ſagittis abludit Paulinum illud: Mortis ſtimulus peccatum, & peccati potentia lex. Manus Dei,* ἡ χείρ τοῦ θεοῦ, *animus eſt*
1. Cor. 15. *malè ſibi conſcius: qui iratum Deum ante oculos ſibi proponens tranquilla mente hominem non patitur conſiſtere.*

III.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.

Amplificatio per interpretationem ἑρμήνειαν, *qua tribuit Deo laudem iuſticiæ: & ſeſe propter peccata ſua iurè affligi confitetur: aſsignans cauſam miſeriarum non Numini, quod ſeſe extra culpam omnem poſuit, ſed degeneri naturæ, & vicioſæ, à primo parente in omnes homines transuectæ, & transmiſſæ: qua fit, vt omnes morbo peccatorum grauiſsimo oppreſsi decumbamus. Nil toto corpore integrum: tanta tua eſt, quam merito meo experior, ſæuitia: nihil non vulneratum eſt in membris, propter ingerentis ſeſe animo momentis ſingulis peccati fœditatem: cuius ſanè lue peſtifera nulla mei pars intacta eſt, peruadente in oſſa vicioſitate, quæ corporis animiq; partes omnes infecit.*

In miſero non eſt pars, quæ ſit, corpore, ſana:
Non eſt pax trepidis oſsibus vlla meis.

IIII.

Quo-

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

εἰκὼν, ſeu imago, ſimilitudine ſumta à fluctibus, & mole ponderis immanis. Vt aquarum copia immenſa, atq; onere grauißimo, vi, & multitudine, quibus iram Dei, pœnamq́; mihi contraxi, peccatorum, & pondere delictorum obruti mens expugnata fatiſcit: & ſic quidem, vt nec corporis, nec animi vires oneri ferendo exiſtant.

Impoſito preſſus videor mihi monte tumentis
Et caput inuolui fluctibus Oceani.
Noſtræ non ſpecies alia eſt, aut ſortis imago,
De malè directa quàm qui rate deſilit altas
Naufragus in fluctus, proprio & ſe pondere merſat
Obrutus, exuperat caput vnda, premensq́; volutansq́;
Ille ſui rotat ambiguus: letalis amaror
Ora opplens ſpirare vetat, dum redditus auræ
Vix tandem, infeſto protendit brachia ponto,
Littoraq́; aſpiciens celſum ferit æthera votis.

V.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Continuatio querelæ, ἀπὸ τῶν αἰτιατῶν, effectibus. Non ſaneſcit vomica mea:

Vulnus in antiquum rediiſt malè ſana cicatrix

propter erroris mei inſaniam. Cicatrices, & vomicas, μώλωπας, intelligit μεταφορικῶς, quæ ſunt animæ vulnera, corruptæ, contaminatæq́; naturæ ſobolem, peccata. Inſipientiam, & in-

& inſaniam, ἀφροσύνην, appellat ſtultam animi perſuaſionem: qua ſanitatem ſibi arrogarit: nec animaduerterit, quamuis ad cicatricem videbantur tendere, ita putrida tamen, & corrupta fuiſſe ſua vulnera: vt peiore loco ſalus ipſius eſſe non potuerit. Niſi de mendacio ſerpentis Dij nobis videremur, hoc eſt ſtulti eſſemus, non peccaremus. πᾶν ἁμάρτημα κατὰ ἀφροσύνην γίνεται. Omne peccatum ſtulticia admittitur. Baſilius. πᾶσα πονηρία ἐξ ἀνοίας ἔχει τὴν ἀρχήν. Omnis improbitas ex ſtulticia habet initium. Chryſoſtomus.

VI. VII. VIII.

Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

συναθροισμὸς, congeries ſententiarum idem exprimentium: quibus & dolorem ſuum, ærumnasq; auget: & verè, & ex animo moleſtiam ſe de peccatis ſuis cepiſſe oſtendit. Valde afflictus ſum, & depreſſus vehementer: in mœrore iaceo, ſordibusq;, aſsiduè pullatus, macieq;, & ſqualore deformatus incedens: ilia mea plena ſunt ardore: renes, & affectiones animi refertæ ſunt fœditate: neq; ſanum, & integrum in corpore meo quicquam eſt: debilitatus ſum, & attritus vehementiſsimè: abeſt à me omnis iucunditas, dum leonis inſtar præ anxia, acerbaq; animi ægritudine rugio, fremoq;. Ilijs ſeu lumbis

ψιοῖς, cupiditates, & inclinationes, ac motus interiores non bonos notat: qui maximos ardores, & perturbationes in animis excitare ſolent. Carnem τὴν σάρκα, totum hominem accipit, conſtantem corpore, & animo: in quam ſententiam & D. Paulus inquit. Non habitat in me, hoc eſt, carne mea, quæ eſt natura hominis, bonum. Huic carni aduerſatur Spiritus: qui eſt ipſa gratia, & quicquid beneficio illius geritur in homine. Quid eſt autem tota die contriſtatum ingredi: niſi totius vitæ tempore peccatorum recordatione triſtari? Fulgentius. Rom. 6.

IX.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

ἐπεμβολή, interpoſitio, interiectioq́; , quæ conſolationis eſt, κατ᾽ ἀποστροφήν. Domine, deſiderium, in quo ſum, omnino tibi perſpicuum eſt: quid exoptem, quid expetam, quid ſuſpirem, non te latet. Deus in omnium mentes introſpicit, intimosq́; animi receſſus perſcrutatur. Eum igitur teſtem adhibet miſeriarum ſuarum. Quæ, quòd maiores ſunt, triſtioresq́;, quàm vt verbis eas queat exprimere: ideo in gremium quaſi Numinis vniuerſas exonerat.

X.

Cor meum conturbatum eſt: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

ὑποστροφή: redit enim ad contexendam miſeriarum ſuarum commemorationem.

Sollicito miſeri turbantur corda dolore,
Deſeruitq́; omnes penitus decor, & vigor artus:

Vires

Vires & animi, & corporis me deficiunt:
Nec lux eſt oculis, quæ fuit antè, meis.

In omnes quidem partes verſatur, & circumagitur cor meum: ſed qua me ratione ex miſerijs explicem, non reperio. Non poſſum quieta, & tranquilla mente conſiſtere: adeoq; propter & magnitudinem perturbationum, & lachrymas aſſiduas nec mens, nec oculi officium ſuum faciunt:

exſuccos caligine velor ocellos:
Obtendunt tenebræ iucundi luminis orbes.

XI. XII.

Amici mei & proximi mei: aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt: & qui iuxta me erant: de longe ſteterunt.

Et vim faciebant qui quærebant animam meam: Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Hactenus mala interiora recenſuit: nunc, quæ extrinſecus accedunt, commemorat: ἡ λύπη εἰς πολλοὺς διαμεριζομένη μετριώτερον δάκνει τὸν πάσχοντα: *in multos diſtributa ægritudo minùs dolentem mordet, inquit Chryſoſtomus: at ipſum non modo deſerunt amici: ſed obtrectatorum quoq; inuidorumq; odia, & inſidiæ premunt. Amici, & noti, ne in partem periculorum veniant, me deſerunt: quorum verò in me animi maleuolentia ſuffuſi ſunt, periculum mihi intendunt: deq; pernicie, & interitu mendacijs onerati, calumnijsq; ſine intermiſſione conſilia conferunt: vt quem tu afflixiſti, crudeliter perſequantur: & calamitatem calamitoſo addant. Neceſſarij quoq; mei*

mei receſſerunt à me. Hiobus. Diſcipuli omnes eo relicto fuge- Hiob 6.
runt. M.:tibæus. Matth. 26.

XIII. XIIII.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam : & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens : & non habens in ore ſuo redargutiones.

Patientiam ſuam in medium affert: quò magis ad miſericordiam alliciat Deum. Quia enim falſis, & iniquis inimicorum iudicijs obrutum veritas non poßit defendere, ſpem ſeſe malle in ſilentio fouere : quàm vociferatione, & tumultu omnia complere. Ego verò non magis quàm auribus captus illorum excipio conuicia : neq; magis os aperio, quàm elinguis : perinde ſum, ac is, cuius aures ſonum nullum capiunt : nec in ore obiectorum criminum diſſolutionem habet. Vbi audientia non
eſt, verba ne fundas. Siracides. Huc referendum eſt exemplum Siracid 32.
Chriſti : qui conuiciantibus conuicia non regerebat, iniuriam patiens non minabatur : ſed rem iuſtè iudicaturo committebat. φθέγγου μὲν εἴ τι κρεῖττον σιωπῆς ἔχεις: ἀγάπα δὲ ἡσυχίαν, ἔνθα κρεῖττον λόγου τὸ σιωπᾶν. *Loquere quidem, ſi quid melius habes ſilentio : tene verò linguam, vbi melius ſermone ſilentium. Theologus.*

XV. XVI.

Quoniam in te Domine ſperaui : tu audies me Domine Deus meus.

Quia

Quia dixi ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.

Precatio, cum cauſarum enumeratione: quibus in ſpem eam adducatur, fore vt impetret à Deo, quod orat. Prior ratio eſt. Quòd relictis, poſthabitisq́; rebus omnibus in eo vno ſpem omnem fixam habeat, & locatam. Altera: ne triumphent hoſtes, & leticia, gaudioq́; efferantur. In te Domine ſpem pono: cui tu reſpondebis Domine, mi Deus: ne ludibrio ſim hominibus nefarijs: ne caſu meo inſolenter gaudeant inimici, & victoria plaudant. Reſpondet ſpei bonorum Dominus: cum exaudit illorum vota: & compotes reddit eius, quod precibus ab ipſo contendebant.

XVII. XVIII.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Ratio tertia: qua mouet miſericordiam ab obœdientia ſua: quia nullum ſupplicium pro ſuis peccatis recuſet. Addit verò confeſſionem, quòd & agnoſcat peccata ſua: & moleſtia, ex illorum recordatione, maxima conflictetur. ἕτοιμος μαστίγων εἶναι λέγει. οἶδε γὰρ ὅτι ὃν ἀγαπᾷ κύριος, παιδεύει: μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν προσδέχεται. *Paratum ſe ad flagella dicit: nouit enim, quòd, quem diligit Deus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Baſilius.*

Ad pera

Ad perferendum quoduis ſupplicium promtus ſum, ac paratus, meo dolore mihi aſsiduè obuerſante. Meum vicium oſtendo iacens in mœrore, ac ſordibus ob meum peccatum. Agnoſco me peccatorem eſſe: & maculis fœdiſsimorum criminum contaminatum: ideoq; in continuo luctu, & ſqualore verſor. Huc illud: Iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum coram me eſt ſemper. Pſal. 51.

XIX. XX.

Inimici autem mei viuunt & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Quarta Ratio à ſolitudine ſua, & hoſtium multitudine, potentia, & fortuna florente. Atq; ego quidem confiteor liberè peccatum meum, quo te offendi: & propter illud angore, & ſollicitudine conſcientiæ conficior: hoſtes verò mei florent, & ſunt magna in potentia: ideoq; opibus muniti firmiſsimis odio pietatem, & innocentiam ſequentem nullo meo merito perſequuntur, maleficia pro beneficijs compenſantes. De quibus optimè ſum meritus, eos infeſtiſsimos habeo, nullam aliam ob cauſam: quàm quod integritati do operam: &, ſanctiſsimum tuum Numen metuens, aliorum commodis, vtilitatiq; pro virili conſulo.

XXI. XXII.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Cc In-

Intende in adiutorium meum:
Domine Deus ſalutis meæ.

Concluſio, qua petitionis ſuæ caput, ſummamq́; comprehendit: nimirum vt doloribus ex peccatorum conſcientia exortis cruciatum, & deſertum ab omnibus fauore ſuo, & beneuolentia complectatur Deus. Deſertus ſum, ſpretus, & contemtus ab omnibus: ſed tu ne deſere me Domine mi Deus, ne longius à me diſceſſeris: ſuccurre mihi Domine, fer opem mihi,

Qui ſolus noſtræ iura ſalutis habes:
Te pugnante ſalus, te defendente ſalutis
Pulchra comes niueis aderit victoria pennis.

Solus Deus ex eo, quod nihil fuerat, producere poteſt aliquid: quamobrem qui nondum factus eſt nihil, ex eo non habet, quod faciat Deus. Hinc ſequitur, illum niſi derelictorum ab omnibus curam non gerere: niſi ægrotos ſanitati non reſtituere: reddere viſum cæcis: mortuos in vitam reuocare, & peccatores donare iuſticia: ornare ſapientia ſtultos: quia multis & calamitoſis tantum fauere: & dolores ſuſtinentibus ob legem violatam tribuere miſericordiam. Quorum in numero quòd eſſe vates regius ſe confitetur: fauentem etiam, ac benignum Deum experitur: & ex miſerijs, atq; ærumnis omnibus liberatur.

PSALMVS XXXIX.

TOLERANTIA.

PRecatur à Deo Propheta, vt ab indignatione ipſum prohibeat: nec intolerantiùs ferre impiorum res ſecundas, ortamq́ ex ijs inſolentiam, importunitatemq́ permittat. Quanta ſit ſecuritas eorum, qui dedunt ſeſe iniuſticiæ, patet: qui quidem in curam cumulandarum opum, & conſectandarum voluptatum tanto incumbunt ſtudio: quaſi vitam in hoc mun-

mundo ſempiternam ſint acturi. Cum contrà, qui cum pietate vitam colunt periculis expoſiti, propter vicioſitatem, quæ reliqua eſt, naturæ, nullis non æru- mnis, & calamitatibus vexentur Optat igitur inijci ſibi à Deo eam mentem: vt apud animum ſuum, de exiguo, incertoq́; vitæ curriculo cogitet potiùs: quam impiorum more, ſine metu mortis, diuitiarum comparationi, venditationiq́; det operam. Non po- teſt ſanè non commoueri animus: cùm videt homi- nes ſceleribus contaminatos, & à religione alienos in lauta eſſe, & bene aucta parte: pios verò, & colentes Dei malis, & rebus aduerſis haberi miſerrimos: adeò etiam, vt ne panis quidem ater ex iure heſterno ipſis ſuppeditet. Sed exitus tandem oſtendit nihil optabi- lius eſſe homini peccatorum condonatione: & bene- uolentis, ac propitij Dei fauore, & clementia: qua ſui colentes vita muneratur, ac felicitate ſeculorum æta- tibus omnibus duratura.

I. II. III.

Dixi cuſtodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea: po- ſui ori meo cuſtodiam: cum conſi- ſteret peccator aduerſum me.

Obmutui & humiliatus ſum & ſilui à bonis: & dolor meus renoua- tus eſt.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet i- gnis: locutus ſum in lingua mea.

Exordium ὀδυρτικὸν, ὁμολογίαν habens, qua imago exprimitur litis, & certationis, quæ eſt Spiritui cum carne: quæ felicitate impiorum offenſa, prouidentiæ diuinæ conatur obtrectare. Dolet autem Propheta, & confitetur liberè: cùm, obfirmato ad tolerantiam, patientiamq́; animo, conſtituiſſet rebus ſecundis improborum offendi non velle: dolore tamen expreſſas ſibi voces: quibus manifeſtum fieret, nimis intemperanter ipſum animo angi, ac dolore affici. Stabat ſententia, tenere eum vitæ curſum, ne loquendo delinquerem: ſed iniecto quaſi capiſtro linguam conſtringerem: quàm diu impium florere conſpicerem, & in omnium rerum abundantia ſuperbire: obdurabam itaq; conſilio obſtinato tacitus, et os temperans à malis verbis linguam prohibebam. Sed nihil profeci: dolor enim ſilentio auctus fuit: adeoq́; mihi exarſit animus, & cumulatum eſt cor ira: vt violentia tandem doloris confringeret molem clauſtrorum, quam linguæ oppoſueram. φυλακὴ τοῦ στόματος, oris
Eph. 4. *cuſtodia, εὐφημία eſt, fauor linguæ, de qua etiam Apoſtolus do-*
Sir. 28. *cet. Verbis tuis trutinam, ſtateramq́; facias, & ori tuo portam, atq; clauſtrum. Siracides.*

IIII.

Notum fac mihi Domine finem meum: & numerum dierum meorum quis eſt: vt ſciam quid deſit mihi.

Precatio. Sed habeant ſanè ſuas ſibi opes opulenti, ſuas diuitias diuites, ſuas amœnitates, iucunditatesq́; voluptuarij: tu verò Pater rerum omnium, ne me permitte ſine metu tui Numinis, & ſollicitudine mortis viuere more ſceleratorum: qui nec vim, & maieſtatem eſſe cœleſtem credant: nec quàm incerta ſit, & breuis vitæ mortalis conditio conſiderant: nec pietati deniq; præmia, vicijs verò pœnas in ſeculo futuro propoſitas arbitrantur:

tur: ſed vanitatem, futilitatemq; huius æui conſideranti indica. & declara exitum, et vitæ quaſi demenſum ſignifica: vt me adeò non longæuũ eſſe intelligam: vt perpuſillum etiam cum labore corporis, & ærumnis animi exantlandum. mihi tempus reſtare cum animo recognoſcam. Enumerare dies noſtros tu nos doce: & offeremus cor ſapientiæ. Oſtende nobis ætatem noſtram metiri, vt mentem adhibeamus ſapientem. Moſes. Pſal.90.

V.

Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea tanq; nihilum ante te: Veruntamen vniuerſa vanitas: omnis homo viuens.

εἰκὼν, *imago: qua nihil breuius eſſe ſignificat, nihil fugacius vita humana: adeoq; ne minimi quidem momenti: ſi cum Dei æuo, quod nulla temporis metitur circumſcriptio, componatur Quam mihi conceßiſti vitam, palmaris eſt: imò nihil eſt apud te ætas mea.* ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου, *apud ſeptuaginta eſt: Palmos poſuiſti dies meos, id eſt, tam breues, quàm palmi ſunt. Eſt autem Palmus,* δοχμὴ, καὶ παλαιστὴ μεῖζον τεττάρων δακτύλων.

Veruntamen) ἐπιφώνημα. *Adeò omnino nil ſunt homines, etiam qui ſibi digito videntur cœlum attingere, quàm inanis vanitas: adeò futilis res eſt homo, etiam in fortuna florentißima & inanißimæ vmbræ ſimilis: adeò vniuerſum genus hominum inanitate ipſa eſt inanius. Huc illud vulgatum ſermone Græco prouerbium:* πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος. *Homo bulla, Homeri,* οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Tale hominum genus eſt, foliorum quale.

Æſchyli, τὸ βρότειον σπέρμα καπνοῦ σκιά. *Mortale genus fumi vmbra. Sophoclis,* ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα, καὶ σκιὰ μόνον. *Homo flatus eſt, & nil niſi vmbra labilis. Simonidis,*

 referente

referente Plutarcho, τὰ γὰρ χίλια, καὶ τὰ μύρια ἔτη στιγμή τις ἀόριστος, μᾶλλον δὲ μόριόν τι βραχύτατον στιγμῆς. *Mille, & decem annorum millia punctum ſunt, & momentum, ſeu exiguiſſima potius momenti particula. Ad puncti inſtar humanæ vitæ ſpatium. Hieron.*

Nulli certa dies, nulli eſt ſua certior hora:
Sic ſumus in ſtatu debiliore vitro. Fortunatus.

V I.

Veruntamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtra conturbatur: Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea.

Expolitio, adiuncta cupiditatum, laborumq; inutilium reprehenſione. Adeo imagini ſimilem vitam viuit homo: temerè tumultuando congerens, quorum quis ſit fructum percepturus, certum non habet. Homo veluti imago quædam eſt ſubitò euaneſcens: &, decurrens ſuam ætatem in ſimulachro, puncto temporis recidit ad nihilum. Ad quam miſeriam accedit hoc etiam: quod neſcit hoc quantulumcunq; temporis, quod illi conceſſum eſt, placidè, tranquillè, ac leniter, officij ſui rationem habens, traducere: ſed turbidis torquetur, ac temerarijs animi perturbationibus: ingerens ſeſe rebus, & negocijs, quæ ad ipſum nihil attinent. Quid? quòd impetu quoq; auariciæ, habendiq; cupiditate fertur ad diuitias: & in congerenda pecunia dies, noctesq; conſumit.

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:

Et facit ille quidem labore infinito luculentas opes, & pecunias: verùm ignorat infelix, cuinam illas aceruet. Homo muliere natus exiguo viuit tempore, & repletur multis miſerijs: ceu
Hiob. 14. *flos exortus carpitur, & velut vmbra fugit. Hiobus. Qui ſuas o-*
Prou. 28. *pes fœnore auget, & vſura, is eas congerit benefico in paupe-*

res.

res. Solomon. Opes vobis in cœlo congerite: vbi nec ærugo, aut tineæ corrũpunt, nec fures perfodiunt, aut furantur. Chriſtus. Matth. 6.

VII.

Et nunc quæ eſt expectatio mea: nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.

ἀντίθεσις. *Et illi quidem tumultuantur, quærunt opes, potentiam, voluptatesq́; conſectantur: ipſe verò in tanta inconſtantia, mobilitate, & temeritate rerum, qua fiducia tam in ſecundis rebus, quàm aduerſis nitar alia Domine: niſi vt in infinita tua miſericordia ſpem omnem fixam habeam, & locatam, conuertendo me ad te Parens indulgentiſsime: & ex te vno omni animi cura, cogitationeq́; pendens?*

VIII.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipienti dediſti me.

Alia precatio προκαταλήψει *attexta pro condonatione peccatorum, & defenſione: qua & reum ſeſe agit coram Deo: &, ad clementiæ diuinæ aram confugiens, miſericordiam ſibi tribui rogat: & prohiberi ſe à calumnijs impiorum, & dedecore, atq́; ignominia, ſuppliciter poſtulat. Neq́; verò non video Domine fore, vti hoc pacto, & ratione, nullo neq́; numero, neq́; loco habear: ſed enimuero, quia fauere te iuſtis nullus dubito, ſuq́;, deq́; habebo omnia: tu modo, in quo mihi ſunt vniuerſa, obliuione deleas commiſſa mea: nec permittas, vt, à recta viuendi ratione deflectens, fabula fiam ſtultorum, & ludibrijs impurorum exponar. Ne quis veſtrum afficiatur ſupplicio, vt homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut* ἀλλοτριοεπί-

σ҆κοπ@ (*alieni appetens*) : *ſi verò, vt Chriſtianus : ne pudeat eum : imò glorificet Deum in hac parte. Petrus Apoſtolus.*

1. Pet. 4.

IX.

Obmutui & non aperui os meum : quoniam tu feciſti.

Promittit ὑποχὴσει, ſe temperaturum ſibi ab animo intamperantiùs dolente propter ſecundas res malorum : & æqui, boniq; facturum, quæcunq; ſibi à diuina voluntate obijciantur. Obmuteſcam : me nemo querentem audierit, te cuncta adminiſtrante, tranſigenteq;. Quia perſuaſum eſt mihi, nihil neq; boni, neq; mali accidere hominibus, licet occulto, iuſto tamen, & certiſſimo conſilio, & voluntate tua poſſe : & proſpera fortuna ſceleratorum non dolebo : & quæcunq; mihi immittentur abs te, patienter feram.

X.

Amoue à me plagas tuas : à fortitudine manus tuæ ego defeci.

Iteratio precationis cum deprecatione iræ diuinæ. Tu modo abſtine Domine tuam manum : & deſine me ſæua verberare dextra : neq; enim ferendo ſum ampliùs cruciatibus, & tormentis : vt quem non vires ſolum, ſed vita quoq; iam iam deſtituat. Plagas, μαςίγας, intelligit pauores, & conſcientiæ æſtuantis metus in ſenſu vulnerum, quæ inflixit peccatum : quibus fieri non poteſt, quin miſerrimi habeantur animi in veris doloribus, qui ex recogitatione delictorum oriuntur.

XI.

In increpationibus : propter iniquitatem corripuiſti hominem : & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam

mam eius: veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

γνώμη γενική: qua explanat, quasnam plagas amoueri à ſe petat, ipſam nimirum iram Numinis: cuius, ſimul atq; ſemel exardeſcat, magnitudo ea ſit: vt nemo mortalium omnium tanta virtute, animiq; robore excellat, quem non in nihilum redigat illa: ſi non aperto ſemper, & in oculos quaſi incurrente ſupplicio, occultis certè diris execrationibusq;, quibus pedetentim conſumatur propter peccatum impius: non aliter, quàm veſtis aliqua eximia à tineis. Cùm de homine propter vicia, peccataq; ſupplicium ſumis: elegantiam eius tineæ inſtar depaſcis: adcò nihil ſunt homines, niſi manis vanitas.

ζώη μαψιδίη μεροπηΐου ἐστι γενέθλης,

Humani generis vita exiguiſſima. Nonnus.

Sicut veſtimentum comedet eos tinea, & veluti lanam deuorabit vermis. Eſaias. Eſa. 51.

XII.

Exaudi orationem meam Domine & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas: Ne ſileas quoniam aduena ego ſum apud te: & peregrinus ſicut omnes patres mei.

Concluſio: cui adiungitur ratio à breuitate vitæ, quam per imaginem confert peregrinationi. Quod cum ita ſit, adhibe aures propitias ad preces, & quiritatus meos Domine: neq; lachrymas miſeri ab oculis tuis repudia. Deſtitutus enim præſidijs humanis, & deſertus ab omnibus hoſpes ſum, & peregrinus apud te: deſiderans patriam potiorem, quemadmodum o-

3. Paral. 19. *mnes maiores mei. Eadem ſententia eſt in Paralipomenis. Peregrini ſumus nos apud te, & inquilini, ſicut omnes patres noſtri: eſtq; noſtra in terris ætas quaſi vmbra quædam inaniſſima.*

Terra domus non eſt animis accommoda noſtris,
Altius it noſtræ conditionis honos:
Hic ſumus extorres, alienaq; regna tenemus,
Sub grauis exilij, ſeruitijq; iugo.
Eſt illic natale ſolum, noſtriq; penates,
Regnat vbi in decimo maximus orbe Pater,
Mantuanus Baptiſta. Vide epiſtolam ad Hebræos.

XIII.

Remitte mihi vt refrigerer priuſquam abeam: & amplius non ero.

Significat ſeſe alacrem eſſe animo, & ſummo expetere deſiderio: vt antequam diem obeat vltimum, fauentem Deum, & propitium experiatur: quo ſpe nixus optima ad ſanctorum concilium è vita migret. Da mihi laxamenti aliquid, vt mentem vireſq; recipiam: ne, cruciatu ſummorum dolorum lucis huius vſura amiſſa, animo pariter, & corpore exemplo impiorum ad æterna ſupplicia condemner. Hic remitte Domine. Nam in inferno nec remiſſio, nec confeſſio. Hieronymus.

PSALMVS XL.

CHRISTVS REDIVIVVS.

INducit Propheta Filium Dei Dominum, & Parentem ſalutis noſtræ Ieſum Chriſtum conquerentem de tormentis, &, quas pro genere humano exhauſit, ærumnis ſuis: & rurſus gratias agentem

cœleſti Parenti, quòd ex morte ereptum, & excitatū ab inferis in vitam amplius non mortalem reſtituerit. Pronunciat autem apertiſsimè, planiſsimeq́ ſe ſolum obœdire, & parêre voluntati diuinæ, & lege perſungi: quemadmodum id teſtatum reliquerint monumentis ſcriptorum ſuorum Moſes, & Prophetæ. Quibus verbis tollit, & abrogat legem veterem, vnà cum ritibus, ceremonijs, & ſacrorum omnium vſurpationibus: vt quibus Dei voluntati ſatisfieri non poſsit. Ex quo conficitur, ſalutem, & beatitudinem ſempiternam nec à quantalibet ſanctitate, honeſtateq́ vitæ, nec vllis ſacrificiorum obſeruationibus, ſed à Filio Dei pendere: nimirum qui ſolus, & vnus faciat, & agat pro nobis, & in nobis omnia. Itaq́ promittit etiam promulgaturum ſe nouum pactum, & teſtamentum: quo in Eccleſia magna, hoc eſt, per vniuerſas terrarum oras longè, lateq́ propagetur fidei iuſticia: non ſacrificiorum, aut operum noſtrorum: quæ arrogantes facit, & falſi ſectatores. Eiuſmodi enim ſpe, fiduciaq́ in ſola Dei bonitate, & clementia minimè acquieſcunt. Ex quo fit, vt mendacijs innixi, & in pietatis vmbra perſequenda occupati, ipſi perniciem ſibi, & interitum perpetuum accerſant.

I.

Expectans expectaui Dominum: & intendit mihi: Et exaudiuit preces meas.

Incipit à narratione, quæ expoſitionem explicationemq́; habet ærumnarum, miſeriarumq́; ſuarum, & gratiarum actionem: quòd ex morte, in qua verſabatur, media ereptus ſit. Repetitio ex loco τῶν συζυγῶν ad exprimendum affectum facit:

facit: qua innuit, etſi differret auxilium Deus: ſeſe tamen fi-
Hab. 2. *de minimè vacillante ſpem de liberatione futura conſtanter re-*
tinuiſſe, iuxta illud Habacuci: Si moram fecerit, expecta eum. Tales, ac tantos dolores, & cruciatus ſuſtinens, quales, & quantos nemo vnquam neq; verbis exequi, neq; animo poteſt comprehendere, expectando expectaui Dominum: & exoratus mihi clementes ad implorationem meam aures adhibuit. Expectans expectat Dominum, ὑπομένων ὑπομένει τὸν κύριον, *qui neq; locum, neq; tempus, neq; modum, quibus ſubueniat, opituleturq; ſibi, Deo præfinit: ſed omnia in voluntatem, arbitriumq; Numinis reijcit, confiſione animi firmiſſima fore: vt tandem iuuetur, liberetúrq;. Obtulit in diebus carnis ſuæ (cùm mortalis ageret) precationes, & ſupplicationes apud illum, qui poterat ipſum à morte ſeruare, cum*
Heb. 5. *clamore, queſtuq; valido, & lachrymis. Autor ad Hebræos.*

II.

Et eduxit me de lacu miſeriæ: & de luto fecis: Et ſtatuit ſupra petram pedes meos: & direxit greſſus meos.

εἰκών, *quo modus liberationis explicatur. Eram in luto: hærebam in graui cœno, iam iamq;, qua lacus, putidæq; paludis liuidiſſima eſt, maximeq; profunda vorago, irrediuiuus demergendus: verùm extraxit me tanto ex periculo Dominus: pedesq; meos in rupem euexit: vbi maximis liberatus calamitatibus in tuto, ac tranquillo licet conſiſtere. Vtitur translationibus à lacu, quem tumultus, ſonitus & ſtrepitus nominat, hoc eſt voragine, lutoq; denſiore ſumtis: quibus cruciatus intelligit, & dolores anguſtiasq; mortis: & oſtendit, non longiùs abfuiſſe ſe ab interitus periculo: quàm ſi in altum puteum compulſus, & voraginem profundam demerſus eſſet.*

Euectione in rupem, & greſſuum confirmatione, tum reditus filij Dei ad corpus iam non patibile, & caducum, ſed inuiolabile, & immortale, tum ſeßio ſignificatur ad dexterum latus Patris in locis cœleſtibus: vt vnus ſit in omni æternitate & cœlo, & terra præpotens rerum omnium Rex, & noſter Sacerdos.

III.

Et immiſit in os meum canticum nouum: carmen Deo noſtro: videbunt multi & timebunt: & ſperabunt in Domino.

Et ori meo nouum ſingularis, exquiſitiq́; carminis genus ſubminiſtrauit: quo audito fiet vt multi Parentem cœleſtem piè, auguſteq́; venerentur: ſeq́; fidei illius, bonitatiq́; committant. Canticum nouum, ἆσμα καινὸν*, intelligit ipſam Euangelij doctrinam de rerum diuinarum amplitudine: & ſupplicijs ac morte Chriſti Domini: cuius merito in gratiam recipit Deus credentes. Ex quo ſequuntur effectus, pax, gaudium in Spiritu ſancto, inuocatio, gratiarum actio, & quæ ſunt eiuſdem generis.*

IIII.

Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.

ἐπιφώνημα *ex definitione beati viri* συνοιομαλικῆ *extructum, quo ſummam Euangelij comprehendit. Nam & in vna Dei bonitate, & clementia acquieſcendum eſſe docet, quod eſt fidei: & non reſpiciendum in vanitates, & inſanias falſas pronunciat, quod eſt pœnitentiæ, ſeu καινῆς ὑπακοῆς, nouæ obœdientiæ. Beatus, & expleta bonorum complexione cumula-*

cumulatus homo: qui ſpem ponit in Domino, & ſumma cum fiducia animi in miſericordiam illius recumbit: nec vel de opibus, & gratia pendet eorum, quibus fortuna, aut ſanctitas etiam vitæ facit animos: vel cogitationes ſuas confert in res vanas, & in Deum contumelioſas. Ἀμήχανον τοι τέλους ἐκπεσεῖν, τὸν ὅλῃ διανοίᾳ ἐπὶ τὸν θεὸν ἐλπίζοντα. *Fieri non poteſt, vt prorſus ſua ſpe excidat, qui tota mente ſeſe in Deum conſtituit. Baſilius. Quanta eſt vanitas, quantum mendacium, quanta inſania hominem mortalem ærumnoſam vitam mutabili ſpiritu, & carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus ſubditum, tot corruptionibus obnoxium, pœniſq; iuſtiſſimis deſtinatum, in ſe ipſo fidere, vt beatus ſit: quando ne illud quidem, quod habet in naturæ ſuæ dignitate præcipuum, id eſt, mentem & rationem poteſt vendicare ab erroribus: niſi Deus aſſit lux mentium. Auguſtinus.*

V.

Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi: Annunciaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.

Confirmatio per admirationem, κατ᾽ ἀποστροφήν: *qua contemplatione conſilij inexplicabilis Dei de liberatione generis humani per filium ſuum obſtupeſcit: nec inuenire ſeſe affirmat, quibus verbis illud perſequatur. Talia ſunt, Domine, cui nemo par, quibus nos modò non obruis miracula tua, & cogitata: vt ingenij vis, & copia nulla ſit, quæ, non dico, oratione illuſtrare, in quo ſingulari ſtudio & contentione elaboro, ſed ne cogitatione quidem ea complecti poſſit.*

VI.

Sacrificium & oblationem noluiſti:

luiſti : aures autem perfeciſti mihi: Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.

Expolitio ἐξεργασία. Deum reiectis, & repudiatis quæ vmbram habebant futurorum, ritibus, ceremonijs, ſacrificijsq́; mandatis lege, adeoq; omnibus omnium præclariſſimus actionibus, ſola filij obœdientia motum, vitam dare, & ſalutem æternam credentibus. Non habes amplius grata, & accepta ſacrificia, & victimas: fieri enim non poteſt, vt taurorum, caprorumq́; ſanguis peccata tollat : verùm aures aperuiſti mihi, verbo propoſito, quod audirem : ac perfeciſti, vt dictis parerem: & ad nutum tuum, qui neq; victimas poſtulas, neq; piacula, promta animi alacritate paratus eſſem, non modo tergum meum verberantibus, genas vellicantibus, faciem ignominijs, ſputoq́; præbens : ſed obœdiens etiam tibi vſq; ad mortem, & quidem mortem crucis. Vide epiſtolam ad Hebræos. Apertione, & perforatione aurium alludere videtur ad legem Moſis de ſeruitute perpetua. Iſ. 50. Heb 10. Exd. 12. Deut. 15.

VII.

Tunc dixi ecce venio : In capite libri ſcriptum eſt de me.

μίμησις, ſeu repetitio verborum, quibus vſus ſit Filius Dei in arcano de reſtitutione in integrum humani generis conſilio. Cùm ſcirem, non ſacrificia te, ſed obſequentiam requirere : me repente ad obœdientiam promptum, atq; paratum exhibui: & confeſtim accurri, vt te præſtolarer : & quid mihi præſcriberes attentis auribus exciperem. Huc enim legis volumen reſpicit, in hunc finem omnia ſanctorum hominum ſcripta conferuntur: vt obœdientia mea te demerear: et humanum genus in tuam gratiā reſtituam. Caput libri, κεφαλίδα βιβλίου, intelligit ſcripta Moſis, & in ijs promiſſionē principi homini datam.

Sed

Iohan. 5. Sed & ipſe ſeruator apud Euangeliſtam: Si crederetis, inquit, Moſi, crederetis etiam mihi: de me enim ille ſcripſit. Obſeruandum eſt autem, tum ante Moſen nullius ſcripta Eccleſiæ nota eſſe: tum Philoſophorum, poëtarum, Oratorum, Mathematicorum libros nullo neq; loco, neq; numero haberi à Spiritu Sancto: vt in quibus de Filio Dei nulla litera perſcripta extet: ideoq; nihil peruolutis omnibus, quod ad ſalutis adeptionem faciat, addiſcere queas.

VIII.

Vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in in medio cordis mei.

Ratio cur in terras deſcenderit, humanamq; naturam adſciuerit Filius Dei: nimirum legem vt impleret explicando, exequendo, redintegrando. Mihi voluntatis tuæ imperata placet exhaurire: qui legem tuam imis habeo viſceribus impreſſam, & inſculptam: cuius pectori penitus inſedit lex tua, nullo modo vt euelli poſſit. Et vnus voluit, & potuit ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus lege perſungi, & ex voluntate Dei patris agere omnia: vnde & in ipſo ſibi complacitum eſſe cœleſtis Pater pronunciat: & Paulus inquit: Quod à lege fieri non poterat: & in quo illa infirma, & inefficax erat propter carnem: id Deus præſtitit ſuo ipſius Filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ (ἐν ἀκριβεῖ ὁμοιότητι τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, οἳ ἁμαρτολοί εἰσι) & peccato peccatum damnauit in carne: vt legis iuſtificatio in nobis perageretur: qui non ſecundum carnem verſamur, ſed ſecundum ſpiritum. Ego ſemper, quæ pa-
Roman. 8. tri accepta ſunt facio. Chriſtus.
Iohan. 8.

πεφυλαγμένα ῥέζω
εἰς χρόνον ἐμπεδόκυκλον ἑαδότα πάντα τοκῆι,

Nonnus. Voluntas συμβουλευτικὴ Chriſti hominis cum voluntate diuina congruens fuit, & conſentiens. Sic ferè Lyranus.

Annun-

IX.

Annunciaui iuſticiam tuam in Eccleſia magna: ecce labia mea non prohibeo, Domine tu feciſti.

Alia Ratio. Vt doceam iuſticiam Dei.

Iuſticiæ vt magno referam facta inclyta cœtu: nequaquam mihi, quod, nihil quem latet quicquam, ſcis Domine, in prædicatione, diuulgationeq; bonitatis, & miſericordiæ tuæ temperabo: miſsis in vniuerſum terrarum orbem legatis: qui regnum cœleſte conſtituant, propagent, protendant, ſtabiliant. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Autor. Iuſticiam Dei, δικαιοσύνην θεοῦ, vocat eam, quæ Pſal. 22. *non in lege ſita eſt, ſed homini confertur à Deo gratis per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, vt docet Apoſtolus.*

X.

Iuſticiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi: non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam: à concilio multo.

Expolitio. Domine iuſticiam tuam minimè occulo, & in pectore meo abſcondo: veritatem, & ſalutare tuum ſermone celebro, de tua clementia, fideq; frequentem cœtum erudiens. Veritatem, ἀλήθειαν, vocat conſtantiam promiſſorum, in quibus perſoluendis fideliſsimus fuerit Deus. Pollicitus autem fuerat, miſſurum è cœlo, in quem ſe totum, quantus eſt immiſit, & inſinuauit Pater, qui hominem aſciſceret, Filium ſuum: & ſeruitutis iugo à ceruicibus noſtris repulſo, ſalutem afferret generi humano: & à pœna, ſcelerumq; nexu liberatis aditum aperiret

ret ad cœlum, & vitam beatam, & immortalem. Salutare, σω-τήριον, eſt ipſa ſalus, cuius Deus autor eſt: ſic apud Euange-
Lucæ 2. *liſtam Simeon: Quia oculi mei viderunt Salutare tuum. Miſe-ricordia, τὸ ἔλεος, Dei, quam ſe minimè abſcondere affirmat illuſtrioribus verbis explicari non poteſt, quam à Iohanne eſt*
Ioh. 3. *expoſita. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenam daret: vt quicunq; credit in eum non pereat, ſed vitæ hæreditatem ſempiternam cernat.*

X I.

Tu autem Domine ne longe facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

Repetitio, iteratioq; querelæ μιμηλικὴ, cùm ſe & ſalutem ſuam Deo in vltimo vitæ diſcrimine commendaret. Docet autem exemplo ſuo quod eſt apud Lucam Euangeliſtam, oran-
Luc. 18. *dum eſſe ſemper, neq; defatigari oportere. Tu autem Domine ne bonitatem in me tuam, miſericordiamq; claudas: ſed omnib. minimis momentis clementia me tua, & fide tuere, & defende.*

XII.

Quoniam circumdederunt me mala quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem: Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Ratio per αὔξησιν & εἰκασίαν expoſita. Immenſo enim

nim iræ diuinæ, ſcelerumq; humani generis onere premor.

Circumſtat miſerum ſeries immenſa malorum,
Procubuitq; meum crimen in omne caput:

tot vicijs opprimor: vt ea cernere, & perſpicere omnia non poſſim. Criminum meorum plura ſunt numero, quàm capillorum capitis mei: fitq; vt conſideratione eorum me mens relinquat et animus. Delicta, & ſcelera noſtra Chriſtus SVA *appellat: nam poſuit Dominus in eo iniquitates noſtras, vt loquitur Eſaias. Et Paulus ait: Eum, qui expers erat peccati, pro nobis fecit peccatum: vt nos efficeremur iuſticia Dei: cum quibus facit Petrus: Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, (ſuſtulit in patibulum) vt peccatis mortui iuſticiæ viueremus. Comprehenderunt igitur Chriſtum peccata noſtra, cùm Pater eum cœleſtis noſtræ libertatis cauſa formam, & conditionem ſerui ſuſcipere voluit: vt pro nobis factus execratio, nos ab execratione legis liberati fieremus iuſticia Dei: non ſolùm remiſſis à Deo peccatis, ſed communicata quoq; nobiſcum iuſticia Chriſti. O inenarrabilem, inquit hoc loco Phœnix, humilitatem. Filius Dei, qui non ſcit peccatum, iacet proſtratus coram æterno Patre: & in ſe deriuat iram, ac ſi ipſe polluiſſet ſe his horrendis flagitijs: quibus nos miſeri polluti ſumus. Agnoſcamus hanc humilitatem: vt agamus Filio Dei gratias: & beneficium eius diſcamus fide accipere: & grati celebremus.*

Eſa. 53.
2. Cor. 5.
1. Pet. 2.

XIII.

Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice.

Precatio, δέησις, quæ eſt querelæ Concluſio. Motus igitur infinita tua, Domine, & interminata miſericordia affer miſero opem, & auxilium. Domine ad ſubſidio mihi veniendum matura.

XIIII. XV.

Confundantur & reuereantur ſimul : qui quærunt animam meam vt auferant eam : auertantur retrorſum & reuereantur : qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam : qui dicunt mihi euge euge.

ἀρειά, Execratio. Optat malum hoſtibus, & aduerſarijs ſuis : eſtq́; vaticinium, πρόῤῥησις, de euerſione gentis Iudaicæ : quod non cognouerunt diem, quo ratio ipſorum habita eſt. Frange impiorum conſilia, qui animum mihi cupiunt extinguere : qui malum mihi machinantur, agantur retrorſum notati infamia, & ignominia. Infelices ſint : & optimè cogitata, inſtitutaq́; peßimè cadant exitio lætis, perniciéq́; mea. Inſultant in me tumida qui voce ſuperbi, euerſi in tenebras præcipitentur ſempiternas. Reſpicit ad illa : Tolle, tolle, crucifige eum. Et : Si hunc amiſeris, non es amicus Cæſaris.

XVI.

Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te, & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

ἀντίθεσις. Mactentur hoſtes, & aduerſarij noſtri ſupplicio, quod illorum meretur improbitas : at verò pij exultent : perfuſi gaudio lætentur in te omnes, qui cupidi ſunt tuæ gloriæ : iugiter Dominum laudibus proſequendum dictitent, qui ſalutaris tui præſidij ſunt amatores. Huc pertinet illud. Iohan.17. *Pro eis oro, non pro mundo, vt gaudium eorum ſit perfectum.*

Ego

XVII.

Ego autem mendicus ſum & pauper : Dominus ſollicitus eſt mei : adiutor meus & protector meus es tu : Deus meus ne tardaueris.

Clauſula mixta gratiarum actione precationi. Miſer ego, & ab omni auxilio humano ſum deſtitutus : verùm inopis tamen, & pauperis miſertus Deus, curam agit : cuius in patrocinio cùm acquieſcam : in poſterum quoq; defendere mi Deus, & tueri me, meiq; nominis amantes, & colentes ne intermittas.

PSALMVS XLI.

CHRISTVS AERVMNOSVS.

ORatio Filij Dei, Domini & vindicis noſtri Ieſu Chriſti : qua de Iuda, qui ipſum hoſtibus ſuis prodidit, querelam habet, ſocijsq; illius : à quibus in crucem erat agendus : & rogat genitorem æternum, vt in vitam ſe reuocatum in conſpectum patrium in perpetuum conſtituat. Eſt autem in hoc Pſalmo illud conſolationis pleniſsimum : quòd peccatorem ſeſe facit apud Deum, cùm tamen extra culpam ſit, & peccatum. Sub noſtra enim perſona loquitur, quam ſuſcepturus erat : vt translata in ſe vniuerſa peccata noſtra pro ſuis agnoſceret, eaq; ſanguine ſuo expiaret. Principio verò cantici huius beatos pronunciat, & felices eos, qui miſerentur afflicti, & calamitoſi rationem habent : hoc eſt, ærumnoſi, & in crucem acti peccatoris Ieſu Chriſti calamitatibus, doloribusq; non offenduntur : ſed ad quem ſeſe applicarunt ſe-

mel, ab eo ſeſe nec ſpe alicuius præmij, nec vllius incommodi, & periculi metu abſtrahi patiuntur. Vix enim fieri poteſt, vt ſine offenſione humanæ ſapientiæ perſuadeatur: abiectiſsimum, & omnium criminum condemnatum peccatorem eò honoris euectum, vt ad dexteram Dei imperio cœlitum, hominumq́ue potiatur: vt ad nomen illius ſe flectere neceſſe habeat omne genu cœleſtium, terreſtrium, & inferorum. Iudæos quidem certè incurrentes in illum offenſio hæc conquaſſauit adeò: vt miſerrimis modis ad hoc vſq; tempus diſiecti, diſsipatiq́; iaceant: quòd, vt verſu inquit decimo, reuerſus in vitam Chriſtus, retribuerit: & merita illis ſua rependerit grauibus, iuſtisq́; pœnis irrogatis.

I.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Propoſitio ὁριστικὴ συνοικωματικὴ, adiuncta ratione. Beatus eſt, qui afficitur miſeria pauperis: qui in hac vna cura, & cogitatione verſatur, vt egenti fidem, dextramq́; porrigat. Aduerſo enim tempore Dominus viciſsim eum eripiet ex miſerijs, & ærumnis. Felix eſt, qui intelligit Chriſtum, & nominis diuini cultores cruci, & omnis generis calamitatibus ſubiectos eſſe. Nam prohibebit illum ab omnibus periculis Dominus: Dominus laborantem, & onuſtum recreabit: afflictum metu iræ Dei, & ex recordatione peccatorum ſtratum, & perculſum excitabit. Huc illud: Beatus qui in me non offenditur.

Matth. 11. *Quid ita verò? Quia factus erat hominum deſpicatiſsimus, vir*

Eſa. 53. *oppletus doloribus, & infirmitatum gnarus, vermis deniq;, & non homo: hominum opprobrium, & populi contemtus. Egenum*

num, & pauperem πτωχὸν, καὶ πένητα, appellat vniuerſo-
rum Dominum: qui propter nos pauper factus eſt, cùm eſſet 2. Cor. 8.
diues: vt nos eius paupertate ditaremur: cui, beati, qui para-
ti ſunt ſuccurrere: ne audiant: Sitiui, & non potaſtis me: ho-
ſpes fui, & non collegiſtis me: infirmus fui, & non viſitaſtis
me. Arnobius.

> Χριστὸν χρεώστην μᾶλλον ἢ τὰ πάντα ἔχειν:
> βασιλείαν ὃς καὶ κλάσματος χαρίζεται:
> Χριστὸν σκέπεις, τρέφεις τε τὸν πτωχὸν τρέφων.
> Qui debitorem Chriſtum habet, habet omnia:
> Regno rependit is ſuo buccellulam.

Alis, tegisq; Chriſtum, alis qui pauperem. Theologus. Diem malam, ἡμέραν πονηρὰν, appellat cum angores, & ſolli-citudines conſcientiæ: tum diem ipſum iudicij, lætum pijs, horribilem verò ſceleratis, & ſupplicio æterno deſtinatis. ἡμέρα πονηρὰ, ἡ τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἀποκεκληρωμένη. Chryſoſtomus.

II.

Dominus conſeruet eum: & viuificet eum: & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Vt vitam retineat, Dominus eum tuendum, ac defendendum ſuſcipiet: nec beatum in ſpe felicitatis ſempiternæ, vexari, miſerumq; haberi, &, quod in optatis eſt aduerſarijs, in nihilum redigi permittet. Coniungit Propheta liberationem, quæ eſt ab ira, viuificationem, quæ fit per Fidem, & beatitudinem,
quæ comprehendit dona huius vitæ, & futuræ: & adiunctam Rom. 5.
habet victoriam de hoſtibus, Peccato, Satana, Mundo, Morte. Abacuc. 2.
ἔφυγες τὸν ἔλεον: φεύξεταί σε ὁ ἔλεος: ἐβδελύξω πτωχὸν, βδελύξεταί σε ὁ διʼ ἡμᾶς πτωχεύων. Miſericordiam

ſugientem ſugiet miſericordia: auerſantem inopem auerſabitur, qui pro nobis factus eſt inops. Gregorius Niſſ.

III.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius : vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

προκατάληψις ad obiectionem tacitam de cruce, calamitatibusq́; : quibus videmus Eccleſiam, & pios ſubiectos eſſe. Vtitur verò ἀλληγορίᾳ ſumta ſimilitudine ab eo, cui malè habenti omnia officia præſtantur à cognatis : quibus morbus eius leuari poßit. Quod ſi eueniat, vt in morbum aliquem grauem, periculoſumq́; incidat : præſtò erit Deus, qui medicinam ei adhibeat : & euerſo laborantis lecto, & confecta morte, & abſterſis ab oculis lachrymis, ſalutem det cum bonis omnium hominum cogitationem ſuperantibus.

IIII.

Ego dixi Domine miſerere mei : ſana animam meam quia peccaui tibi.

ἀφήγησις, expoſitioq́; cauſarum, quibus fiat, vt ipſe egenus ſit, & afflictus. Prior eſt : Quia in te peccaui Domine. Transtulerat in ſe Chriſtus peccata noſtra vniuerſa : ideoq́; deprecatur iram Dei : qua premi ſentit ſeſe non aliter, quam ſi ipſe in omni genere ſcelerum ſe flagitiorumq́; volutaſſet. Equidem ita dico : Domine miſericordiam mihi tribue : fac medicinam animo meo, qui te offendi. Ad tuam confugio clementiam : vt peccati quidem ignari, ſed pro humano tamen genere ſontis effecti animo ægro, & miſeriarum pondere fatiſcenti pro tua bonitate medicinam facias. Vicium contra naturam

turam eſt: quod vtiq; ſanat gratia, Aug. de Sp.& Lit. Nullus autem ſanctorum ſanitatem poſceret: ſi natura humana ſana eſſet. Fulgentius. Tribuit ſibi Christus peccata, quæ ſunt noſtra: Nam meus dilectus meus eſt, & ego eius. Hagnon.

V.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur & peribit nomen eius.

Altera Ratio μιμήσει *ornata: quia inimici mei perditum me, & extinctum cupiunt. Inimici mei malum mihi imprecantur: neq; quicquam illis optatius poſſet accidere: quàm ſi ſublatum è medio viderent. Hoſtes, aduerſarijq; mei non dubitant ita inter ſe in ſermonibus loqui: Quando morietur, & nomen eius ex memoria hominum euelletur?*

VI.

Et ſi ingrediebatur vt videret: vana loquebatur cor eius, congregauit iniquitatem ſibi: Egrediebatur foras: & loquebatur in idipſum.

Amplificatio, exaggeratioq; perfidiæ hoſtium. Qui ad me adeunt, non ex animo id faciunt, officijq; gratia: ſed vt aucupentur, quod calumniari, & ad ſocios fraudum enunciare poſſint. Conuenit hoc vaticinium cum narratione Euangeliſtarum, qui teſtantur Phariſæos, & legis conſultos ſæpius, & conſilium captum iuiſſe, vt in verbis Chriſtum illaquearent: & obſeruaſſe illum, vt crimen aduerſus eum inuenirent.

VII. VIII.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtitue-
runt aduerſum me: nunquid qui
dormit non adijciet vt reſurgat?

Qui me odio habent, ſermones inter ſe conſerunt ne-ſarios, ſuſurrationes, & colloquia clandeſtina facientes de mea pernicie: conſilium perditum ineunt hoſtes mei de exitio meo, ad hunc modum dictitantes: Eò rem deducemus: vt, ſemel cùm procubuerit, nunquam reſurgat. ἅπαξ θάνοντος οὐκ ἔτ᾽ ἔστι ἀνάστασις. *Haud denuo ſurgit, ſemel qui mortuus. Æſchylus.*

IX.

Etenim homo pacis meæ in quo
ſperaui: qui edebat panes meos ma-
gnificauit ſuper me ſupplantatio-
nem.

Alia exaggeratio de ſcelere, & ingratitudine nefaria Iudæ: qui, à Chriſto receptus in numerum intimorum, pecuniæ cauſa Dominum prodere hoſtibus minimè dubitauit. Quid? quòd amicus meus, meus conuictor, cui meum animum, & omnem vitam credidi, qui meos comedit panes,

Impacta veluti me quoq; calce petit.

Iohan. 13. χρυσομανὴς ἄστοργος ἀνὴρ ἐμὸν ἄρτον ἐρέπτων,
πτέρνην κερδαλέην ἐμέθεν καθύπερθεν ἀείρας,
ἡμετέρῃ σύνδορπος ἐπισκιρτῆσι τραπέζῃ. *Nonnus.*

Eſt autem Iſcariotes imago eorum, quos Apoſtolus falſos fratres, ψευδαδέλφους, *nominat: qui ſe inſinuant in cœtum Chriſtianorum: & ad tempus doctrinam eandem profitentur: verùm poſtea occaſione arrepta fidem produnt: &, aut ad hoſtes veritatis deficiunt: aut factiones ipſi nouas conſtituunt.*

tuunt. Calcaneus cum pro fraude, inſidijsq́; accipitur: tum pro contemtu, & deſpicientia. Translatio ſumta eſt vel ab ijs, qui pede obiecto in curſu aliquem ad caſum impellunt: vel etiam equis calcitronibus: vt pulſare calce idem ſit: quod lædere, & contemnere, ac putare aliquem pro nihilo.

X.

Tu autem Domine miſerere mei: reſuſcita me & retribuam eis.

Precatio, vt liberatum ex morte, & inferno ad vitam pater exuſcitet immortalem. Tu vero Domine proditum, perditum, & omni ope, auxilioq́; deſtitutum miſericordia tua, clementiaq́; complectere: vt ex his miſerijs, & anguſtijs ereptus pœnas in hoſtes ſceleribus illorũ debitas capiam. Quis hoc iam neget, qui Iudæos poſt paßionem, reſurrectionemq́; Chriſti de ſedibus ſuis bellica ſtrage, & excidio funditus eradicatos videt? Aug. 17. cap. 18. de ciuitate Dei. Innuit autem his verbis Chriſtus: Et retribuam eis, καὶ ἀνταποδώσω αὐτοῖς*: ſe non hominem ſolum, ſed etiam Deum eſſe: in quem illud competat: Mea eſt vltio: & ego retribuam, & merita rependam.*

XI.

In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

εὐχαριστία, *Gratiarum actio: qua letitia effertur quòd admiſerit preces ſuas Pater cœleſtis: neq; ſe libidini expoſitum inimicorum deſertum ſit paſſus. Hinc perſpectum habeo tuum in me fauorem, & beneuolentiam: quòd præſto es mihi, measq́; calamitates leuas: vt vereri iam minimè neceſſe habeam: ne inimicus meus de mea morte triumphum*

agat.

agat. Chriſtum nihil rerũ omnium latet. Eſt enim ipſa Patris ſapientia: & tamen affirmat hic ſe cognouiſſe, quòd ipſum velit Parens cœleſtis. Verùm hoc, loquendi ratione humano captui accommodata, dictum intelligatur: vt idem ſit: quod; certum

Gen. 22. *eſſe argumentum fauoris diuini. Similia ſunt illa: Nunc cogno-*

Heb. 5. *ui, quòd timeas Deum: id eſt, feci, vt cognoſceres. Et: Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obœdientiam: pro patiendo præſtitit.*

XII.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Ratio, ſeu expolitio continens vaticinium de reditu Chriſti Domini in vitam, & regno nulla temporum circumſcriptione terminando. Nam miſeratus innocentiam meam conſeruaſti me: & ex mortuis ſuſcitatum, & in tuo conſpectu conſtitutum ſeruas, tueris, & defendis: meæq; ditioni, & im-

Ephe. 1. *perio omnia ſubijcis vbiq;, & ſemper. Conſule Paulum Apoſtolum ad Epheſios. Loquitur de innocentia propria, quæ eſt perſonæ ipſius, non naturæ humanæ, de qua ſupra: ſana animam meam, quia peccaui tibi.*

XIII.

Benedictus Dominus Deus Iſrael: à ſeculo & vſq; in ſeculum, fiat fiat.

Clauſula συμπερασματικὸν ἐπιφωνηματικὸν ἐυκτικόν. Celebretur laudibus Dominus Deus Iſraelitarum in omnem ſeculorum perennitatem etiam, atq; etiam. Vtinam Deum Iſraelis mortales vniuerſi auguſtè, ſanctéq; venerentur, & laudem illi honoremq; tribuant ſeculis infinitis. Amen vox προσφωνηματικὴ eſt approbantis, & confirmantis ea quæ ſunt pronunciata: quam Aquila πεπιστομένως tranſtulit.

ADAMI SIBERI

IN DAVIDIS ISAEI F. PROPHETÆ, ET REgis Hebræorum Pſalterium Commentariorum Scholaſticorum

LIBER SECVNDVS.

PSALMVS XLII.

EXVLIS SVSPIRIA.

DEplorat, & lamentatur Propheta ſolliciti, anxijq́ animi mœrorem, & ægritudinem: in qua iacentes qui colunt Deum, ita affligant ſæpenumero ſeſe: vt, qua permulceantur, conſolationem niſi magno negocio non admittant. Sacræ literæ triſticiam, ſeu pauores Spiritus appellant angores tales, & ignita tela Diaboli: quibus fit, vt in eas detrudantur nonnulli cordis miſerias: vt perſuadeant ſibi, Deum omnem de ipſis animum eieciſſe patris: ideoq́ ab irato illo, & infeſto calamitates ſibi, &, quibus premuntur, ærumnas immitti. Quod quidem malum grauius facit, & acerbius, impiorum irriſio, inſultatioq́: qua maledicis, & contumelioſis verbis bonorum miſerijs illudere minimè dubitant: vbi eſt Deus tuus? Cùm vident enim bonis malè eſſe improbi (vt eſt ingenium) non poſſunt non voluptatem ex ea re capere, riſus edere, cachinnos tolere: O factum bene, dictitantes, ſic nebulones iſti, corruptoresq́ aliorum

orum accipiendi ſunt. Imbiberunt nimirum eam opinionem animo calamitates,& res aduerſas aliorum iræ diuinæ teſtificationes eſſe: ſe verò, cùm quid grauius ipſis accidit,nullo ſuo promerito,ſed Dei nomine affligi, ideoq; dignos eſſe, qui referantur in numerum eorum, qui non dubitarunt pro veritate corpora ſua ad ſupplicia offerre: homines præpoſteri, peruerſiq;, ac cæcorum, liuore, & inuidia præſtricta mentis acie, cæci duces: qui cum animis ſuis cogitare nec volunt, nec poſſunt: caſtigare quidem Deum ſuos, ſed rurſus tamen etiam conſolari: occidere,ſed etiã viuificare:deducere ad inferos,ſed quoq; reducere. Exul erat Propheta: &, vxore, ac fortunula ſua ſpoliatus, cogebatur inopem, & vagam vitam perſequi in locis ſolis, & deſertis: vt à Sauli tyrannide tutus eſſet.Optat igitur fieri ſibi ad ædem Dei adeundi poteſtatem: & conſolationem ex aſpectu vultus diuini capiendi: quibus verbis intelligit, nihil ſe rerum omnium magis in votis habere: quàm vt verbum Dei audire poſsit.:quod vnicum eſt miſeriarum omnium perfugium. Aedes enim Dei eſt, vbicunq; ſonat verbum Domini: & diuinus vultus ſignificat præſentiam omnipotentis Dei: cum verbo ſuo, & donis ſeſe nobis patefacit: hoc eſt, vt alibi loquuntur arcanæ religionis noſtræ literæ, non tergum nobis obuertit,non faciem abſcondit: ſed vultum ſuum ſuper nos illuminat, & miſeretur noſtri.

I.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.

πρότασις Propoſitio. *Ardeo cupiditate incredibili ad diuini templi ſanctuarium adeundi: Hanc exornat ſimilitudine à ceruis ducta: quorum ea natura eſt: vt ſitienter expetant. flumina: vel exagitati à canibus, & venatoribus, vel quibus cum pugna eſt eis, deuoratis ſerpentibus: quos veſtigantes cauernas, narium, vt loquitur Plinius, ſpiritu extrahunt renitentes:* Plin. 8. 12. *quòd, Baſilius vt affirmat, illis contra* τὴν ἐκ τῶν ἑρπετῶν βλάβην καταρτήριον *ſit* τὸ τῆς ἐχίδνης βρῶμα: *vel etiam aliâs certis anni temporibus ſiti laborantes. Hinc Philoſophus:* φεύγουσι διὰ τὸ καῦμα, καὶ τὸ ἆσθμα εἰς τὸ ὕδωρ. *Et Poeta de ceruo Siluiæ canit.*

Ariſt. Hiſt. An. lib. 6. cap. 29.

fluuio cum forte ſecundo
Deflueret, ripaq; æſtus viridante leuaret.

Quanta cupiditate ceruus calore confectus, & ſiti, ad aquæ riuos anhelat: tanto deſiderio meus animus anhelat ad te Deus.

Vt quondam fugiens, premitur cum cerua moloßis,
Ad gelidos properat ſitienti pectore fontes:
Sic mea mens ad te deſiderat alme Creator.

A nemorum veluti, quem dudum algentibus vmbris
Exciuere canes, medioq; egere ſub æſtu,
Æquora per longo camporum libera curſu,
Ceruus hians liquidæ fontem memor optat aquai,
Suetus vbi gelida ſeſe perfundere lympha:
Sic viuum mea te quærit ſitis arida fontem.

Non ad mortua deſiderat ſimulachra, ſed illum qui dixit. Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. Hieronymus. Idem ex Hebræo. pro ceruo tranſtulit areolam præparatam: cui irrigatione opus ſit. Sed hæc in eandem recidunt intelligentiam inquit Stapulenſis. Sicut ceruus ſerpentinis carnibus paſtus veneno exæſtuans feſtinat ad fontes: ita ſerpentis antiqui paſta conſilio feſtinat anima mea ad te Deus. Arnobius.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

ἐξεργασία Expolitio: qua oſtendit, nihil ſibi acerbius accidere, quàm quòd à ſanctuarij acceſſu prohibeatur. Efferor ſtudio ſummo adeundi ad Deum immortalem. O vtinam igitur illum diem lætiſſimum videam: quo de exilio reductus, in templo auguſtiſſimo cum alijs Dominum laudabo.

Ad te ſuſpirat mea mens dulciſſime rerum:
Quando tuos dabitur coram mihi cernere vultus:
Quando eſſe mihi eueniet cum Deo potente?

Apparet ante faciem Dei, illiusq; vultum cernit, qui verbo cœleſti, in quo voluntas Numinis æterni conſpicitur, fidem habet.

III.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus?

Narratio, quæ ἀλληγορίᾳ cauſam explicat propoſitionis. Fletu paſcor dies, atq; noctes, dum mihi quotidiè occinitur, πῦ δή θεός ἔπλετο σεῖο. Perdius, & pernox lachrymarum vim profundo, ijsq; pro cibo vtor: propterea quòd cogor homines nefarios pati in calamitates meas inſultare: & procaciter, contumelioſeq; de me quærere, vbi nunc ſit Deus meus: cuius tutela, præſidioq; ſum confiſus. Panis ἄρτος phraſi Hebraica cibum ſignificat, κατ᾽ ἐξοχήν.

IIII.

Hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam: quoniam tran-

transſibo in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei, in voce exultationis & confeſsionis: ſonus epulantis.

Quæ cùm retracto mente, & recogito: affectionem animi mei, doloremq; apud me effundo: aueo enim comitante populi multitudine compoſito greſſu adire ad ædem Dei, cum turba tripudijs cantante carmina, laudumq; prædicatione feſtum celebrante. Effundere animam, ἐκχεῖν τὴν ψυχὴν, idem eſt, quod mœrorem, quo quis intimis angitur ſenſibus, euomere, & foràs quaſi proijcere. Sic Hanna, effudi, inquit, animum meum in conſpectu Domini. Hæc verba: Tranſibo in locum tabernaculi, Aquila, vt eſt apud Theodoretum, ſic vertit. Ingrediar in vmbroſo: quæ interpretatio conuenit cum illorum explicatione, qui ſic exponunt. Tranſibo per velum, id eſt, Sanctum Sanctorum rubicundus: quæ vox hoc loco eſt, admirabilis. Quæ interpretatio ἀλληγορικὴ eſt, & neutiquam aſpernanda. 1. Reg.

V.

Quare triſtis es anima mea: & quare conturbas me? ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei.

Ἀποστροφὴ, qua per Spiritum animum ſuum alloquitur: eumq; fide, quæ remedium eſt ad mala vniuerſa præclariſſimum, in ſpem auxilij diuini excitat. Quid eſt anime, quòd nullam dolori modum ſtatuis: Adeone ſpectro nullo feriuntur oculi tui: quàm iræ diuinæ, & amiſsionis, deſperationiſq; res cariſsimas recuperandi? A te quidem ſalus tibi eſſe non poteſt: verùm nihilo minus erige, & ſpe miſericordiæ te diuinæ ſuſten-

ta: illuceſcet enim tandem aliquando ille dies lætißimus: quo me eripiat Dominus ex miſerijs omnibus: egoq; illi pro data ſalute gratias agam.

Mens mea quid luges, quid pectora mœſta querelis
Anxia perturbas? veniet lætißima tandem
Illa dies, mea cùm reſonabunt guttura laudes

Dei, pro animi paterni mente, & clementis verbo enunciatæ voluntatis inductione.

VI.

Deus meus ad me ipſum anima mea conturbata eſt: propterea; memor ero tui de terra Iordanis & Hermonijm à monte modico.

Repetitio propoſitionis per amplificationem. O mi Deus percellitur, & abijcitur animus meus: cùm tui recordor in regione Iordanenſi, & Hermone monte exiguo. Frangitur animus meus, & debilitatur doloribus: quòd excluſus à cœtu beneficia tua celebrante, trans Iordanem inter accolas montis Hermon vitam colo inopem, carens patria ob inimicorum iniurias. Hermon montes, pars ſunt Libani, & terram Baſan à Cœleſyria dirimunt. Pro eo quod Latini habent à monte modico. Hebræi à monte Mizaar legunt: qui mons vbi, & qui ſit, ne ipſi quidem affirmare poſſunt. Cæterum exilij mentione ad conuicia reſpicit, quibus & Chriſtus, & pij omnes ab hoſtibus veritatis proſcinduntur. Vt enim Dauiden inimici Iordanenſem Hermonium, & Mizaarium appellarunt: ſic Iudæi Chriſtum Dominum Galilæum vocabant, & Samaritanum: ſic Chriſtianos inimici Euangelij Sarmentitios, Semißios, & Aſinarios olim nuncuparunt: & nunc ſolidis conuiciorum plauſtris vrgent.

VII.

Abyſſus abyſſum inuocat : in voce cataractarum tuarum, omnia excelſa tua & fluctus tui : ſuper me tranſierunt.

ἐνάργεια ἀλληγορικὴ translatione à tempeſtatibus primùm, ac procellis, deinde fluctibus ſumta : quibus curas ſuas, angoresq́; animi confert, & componit. Vnda vndam, calamitatem inuitat calamitas, te omnibus fluctuum tuorum impreſsionibus miſerum compluente. Quemadmodum

Cùm nigrans commiſta grandine nimbus
ex alto præcipitatur,
Sternuntur ſegetes, atq; omnia plenis
Rura natant foßis : aut vnda impellitur vnda,
Vrgeturq; eadem veniens, vrgetq́; priorem :

Sic calamitas trudit calamitatem : & cùm vno aliquo periculo vix defunctus mihi videor, ſubitò noua ærumnarum impreßione euertor. Me in medium maris profundum præcipitaſti, ita omnes vt fluctus tui, vndarumq́; gurgites me opprimant. Ionas. τὸ λῆξαι πόνων, ἄρξασθαι πόνων ἐστί. Syneſius. Ion. 2.
Ad malum plurima ſeſe mala adglutinant. Et : nulla calamitas ſola. Catarācta locus dicitur abruptus, & præceps in flumine : vnde aqua ruit potiùs, quàm fluit : quales ſunt in Nilo, Euphrate, Rheno, & multis alijs in fluminibus, quæ ex rupibus præcipitant.

VIII. IX.

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam : & nocte canticum eius, apud me oratio Deo vitæ meæ.

Dicam Deo ſuſceptor meus es, quare oblitus es mei : & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus.

Comparatio miſeriarum præſentium cum temporum ſuperiorum felicitate. Conſueuerat quidem Dominus ea interdiu dare nobis beneficia, vt nocturno etiam modularer tempore carmen: Ea conferebat in me beneficia Dominus: vt non die ſolum, ſed noctis quoq; tempore benignitate prouocatus numinis liberaliſsimi, laudes illi canerem, gratiasq; agerem. Nunc verò in hunc modum mihi ad Deum rupem meam conquerendum eſt: quonam noſtri tibi cura receſsit? Cur me in malis, & ærumnis meis deſtituis? Cur pullatus incedo immaniter furente, & in me debacchante inimico? Canticum nocturnum intelligi poteſt non ſolum vigilantis, ſed etiam ſomniantis. ὁποῖα γὰρ ἂν ᾖ τὰ κατὰ τὸν βίον ἡμῶν ἐπιτηδεύματα, ταῦτα ἀνάγκη εἶναι καὶ τὰ ἐνύπνια. *Somnia diurnis reſpondent actionibus. Baſilius.*

X.

Dum confringuntur oſſa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei: dum dicunt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus?

Ratio ex ſuperioribus repetita. Quaſi gladius adactus in oſſa, & medullas, penetrat aduerſariorum calumnia, quotidie dictitantium mihi:

Tuus heus vbi nunc, vbi nunc eſt?
Quasue moras abſens patitur Deus ille Deorum?

Acerbiſsimo animi ſenſu, & dolore conficior, adeoq́; velut enſe præcordia transfigor: dum inſultantium in meas miſerias voces aſsiduò cogor audire. θεὸς πȣ̃ ἔπλετο σεῖο: *Vbi Phyſconis Deus?*

XI.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Concluſio per Apoſtrophen iteratam ex ijs, quæ præceſſerunt: qua affatur animum ſuum, & ſpe futurorum erigit: fore enim, vt Deus rationem ſui habeat: & in patriam reductum templo, & ceremonijs ſacris reſtituat. Quid eſt anime, quod te ſic affligas? fac tandem aliquando dolendi finem: erit enim, erit illud tempus: quo ab exilio reuerſus gratias agas in cœtu piorum ſalutari vultus Dei mei. Salutare vultus Dei ipſum CHRISTVM *Dominum intelligit: qui eſt expreſſa imago, & reſplendeſcentia inaſpectabilis Dei, vt eſt apud Apoſtolum.* Col. 1.

Quid me perturbas mea mens, cur deniq; luges?
Veraci confide Deo, & ſpem pectore certam
Concipe: tempus erit, mihi cum celebrabitur ille:
Qui mea diuino ſolatur pectora vultu,
In quo noſtra ſalus, in quo ſpes tota reſidit.

PSALMVS XLIII.

PROVOCATIO.

CONuenit hic Pſalmus cum præcedente & argumento ipſo, & formis verborum, ſententiarũq;

expoſitione: niſi quòd prouocat ad numen cœleſte: & petit iuſtæ vt cauſæ vindex exiſtat Deus ipſe: ſeq; contra aduerſarios ſuos ſartum, tectumq;, & ab omni incommodo, ac detrimento incolumem tueatur, & conſeruet: Optat autem dari ſibi copiam, facultatemq; adeundi ad templum ſacrum comitante ipſum luce, & veritate diuina: quibus verbum intelligit & ipſam doctrinam cœleſtem: qua vna abiectus, & nocte calamitatum circumfuſus animus erigitur: &, luce Sp. ſancti colluſtratus, & in viam deductus veritatis, in ſpem excitatur, cogitationemq; meliorem.

I.

Iudica me Deus: & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me.

Propoſitio. Suſcipe cauſam meam, eamq; diſceptando tuêre: præſtò ſis cauſæ meæ, & ſententiam pro me pronuncia contra gentem minimè ſanctam: contra homines omnibus notis turpitudinis inſignes: vindica me, aduocatus cauſæ piæ, ac iuſtæ, & ab hominum immanium, qui impetum in me faciunt, iniurijs prohibe. Iudicium, inquit Auguſtinus, aliud eſt diſcretionis: aliud damnationis. In Euang. Ioh. Tr. 22. Cauſam, τὴν δίκην, intelligit, iniurias, exilium, calumnias, criminationes hoſtium, & doctrinæ ſalutaris oppreſſionem.

II.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repuliſti, & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus.

Ratio

Ratio adiuncta querela. Tu enim es Deus, in quo omnes ſpes, opes, vireſq; meæ ſitæ ſunt:

Per te fortis ego, tu præſtas robora menti.

Cur ergo me reijcis: quare mœſtus incedo aduerſario meo me vexante? Tu Deus es potentiæ meæ: cur me abigis abs te: cur ab aditu, conſpectuq; tuo repellis: cur pullatus ingredior ſæuiente in me, & debacchante inimico?

III.

Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Petitio δέησις, vt de exilio reductus cum cœtu, concilioq; piorum ſacris diuinitus inſtitutis intereſſe, & verbum, ac doctrinam ſibi cœleſtem audire liceat. Mitte lucem, veritatemq; tuam: quorum ductu in ſacrum tuum montem, & ſedes auguſtiſsimas perducar. Verbum Dei lux eſt, iuxta illud. | *Lucerna pedibus meis verbum tuum: hoc enim præeunte è tenebris calamitatum emergimus: Et illud idem veritas: ſermo enim tuus, veritas eſt, inquit Chriſtus: nam certæ, firmæ, & ratæ ſunt promiſsiones diuinæ. Sunt qui luce, fauorem cœleſtem, & veritate, auxilium Spiritus ſancti intelligunt: quæ explanatio à priore non diſſentit. Nam & verbo, promiſsionibusq; fauor continetur, beneuolentiaq; Dei: & Spiritus ſanctus niſi per verbum vim ſuam in nobis, & potentiam non explicat. Quid quod & Chriſtus, Et Lux eſt mundi, & via, veritas, & vita.*

Pſal. 119.

Ioh. 17.

IIII.

Et introibo ad altare Dei: & ad Deum qui lætificat iuuentutem me-

am: confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.

Ratio petitionis à cauſa, vt vocant, finali, ἀπὸ τοῦ τελικοῦ. Ideo enim, vt ex periculis, & ærumnis eripiamur, flagitare nos decet à Deo in noſtris precibus, vt liberati gratias illi agentes longè, lateq́; benignitatem diuinam propagemus: quo exemplo noſtro excitentur plurimi, vt fidenter confugiant ad miſericordiam Dei: qui ſolus res afflictas piorum, & iacentes recreare, poteſt. Et adibo ad altare Dei, ad Deum, voluptates, deliciasq́; meas, ad Deum vitam meam: nomenq́; & vim, poteſtatemq́; tuam cithara celebrabo Deus, mi Deus.

V.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei & Deus meus.

Concluſio. Quid cauſæ eſt mens animi quòd mœrore conficeris? Cur acquieſcere per te mihi non conceditur? Erige te, & ſpe miſericordiæ cœleſtis ſuſtenta: nam liberatus omnibus malis præſenti ſeruatori, vindici, Deoq́; noſtro gratias agemus.

PSALMVS XLIIII.

ECCLESIAE PATIENTIA

Conqueſtio Eccleſiæ, qua lamentatur à tyrannis ſeſe, & hoſtib. doctrinę cœleſtis infeſtari: ſuosq́ iugulari crudeliter, Deo ipſi opem nullã ferente: qui prioribus tamen temporibus clementiæ ſuæ præſidio verbi, ac numinis diuini colentes munierit, & mirandis ſæpenumero, ac illuſtribus, glorioſisq́; miraculis vindi-

vindicarit. Vexari autem ſeſe, haberiq́ miſeram non propter ſcelus, aut tetrum aliquod facinus: ſed ob cauſam iuſtiſsimam, adeoq́ ipſius Dei nomen, & gloriam. Expreſsit verò Propheta certamen Spiritus ingemiſcentis contra carnem, quæ Deum iniuriæ, perverſiq́ iudicij, adminiſtrationisq́ incuſat: quòd iacere bonos, & calamitatibus, omnisq́ generis miſerijs exagitari patiatur: quos defendere, & tueri: malos florere contrà ſinat, eisq́ impunitatem ſcelerum concedat, in quos exempla iræ ſuæ edere debebat. Verùm ſciendum eſt, res & aduerſas, & ſecundas conſilio, & numine diuino accidere hominibus: itaq́ iudicium de ijs faciendum eſſe, non ex eo, quod ratio noſtra dictat, ſed quod præſcribit doctrina cœleſtis: quæ calamitates quidem immitti docet pijs à Deo, cùm alias propter cauſas, tum vel maxime, vt fiant conſimiles imaginis filij ipſius, vt loquitur Apoſtolus: Rom. 8.
florenti verò fortuna cumulari improbos: vt, euecti quaſi in altum, delapſi caſu poſt grauiore ruant.

I.

Deus auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annunciauerunt nobis: opus quod operatus es in diebus eorum: & in diebus antiquis.

Narratio: qua docet, cœtum piorum, quæ eſt Eccleſia, & collectum principio ab ipſo Deo, & poſtea ſeculis omnibus conſeruatum. Hanc narrationem confirmat teſtimonio, & autoritate parentum: à quibus acceperint auditione, quale opus primis temporibus patrauerit. Æterne parens, & effector rerum omnium, quæ, & quanta opera priſcis edideris temporibus, ab exponentibus ea narratione maioribus

noſtris auribus accepimus. Reſpexit ad illa. Docebis ea filios, & nepotes tuos: Et. Docete filios veſtros, vt illa meditentur. Deut. 3.
Moſes. Vnde Eſtera. Audiui à patre, inquit meo, quòd tu Deus tuliſſes Iſraelem de omnibus gentibus: & patres noſtros ex omnibus retro maioribus ſuis.

II. III.

Manus tua gentes diſperdidit & plantaſti eos: afflixiſti populos & expuliſti eos.

Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram: & brachium eorum non ſaluauit eos: Sed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis.

ἐξεργασία. *Cùm, expulſis manu tua gentibus fortiſſimis, conſeuiſti quaſi Iſraelitas, & bellicoſis nationibus malè multatis, & propter vicia ipſorum exciſis, in poſſeſſionem promiſſæ, vbi propagarentur, terræ immiſiſti. Non enim ſuis armis quæſiuerunt Cananæan, non ſuorum lacertorum robore conſecuti ſunt victoriam, non ſuam propter iuſticiam ſe potentiores gentes deleuerunt: ſed Dei dextra, Dei brachium, Dei fauor, & qua dilexit, quibus hoc beneficium promiſerat, patres, beneuolentia opitulata eſt: & maxima eis oppida, & ad cœlum muratas vrbes habitandas dedit. Vide hiſtoriam Ioſuæ. Omnia diuinæ dextræ, virtuti, brachio, vultus lumini fauoriq; & bonitati aſſignat, Hebræorum viribus nihil quidquam tribuit: quantulæ enim facultates hominum, aut quidnam habemus rerum omnium, quod non acceperimus. Dei gratuitum*

eſt,

eſt omne quod præſtat. Caſsiodorus. Manum pro poteſtate, & virtute Dei poſitam, quis vſq; adeo deſipit, vt non intelligat? Non eſt enim Deus talibus membrorum lineamentis determinatus, qualia videmus in corporibus noſtris Aug. de Gen. ad Litt. lib. 6. Illuminationem, φωτισμὸν τοῦ προσώπου κυρίου, vultus diuini, fauorem cœleſtem illuſtrantem pios ſignificat. Facies Dei lucet, cùm amorem ſuum erga nos paternum declarat: idem contrà contrahitur, cùm auerſum à nobis Deum exiſtimamus.

IIII. V. VI. VII.

Tu es ipſe Rex meus & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob.

In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos.

Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me.

Saluaſti enim nos de affligentibus & odientes nos confudiſti.

Ratio, quæ eſt expolitio per εἰκασίαν à bobus ſumta. Et rex es, & Deus Iſraëlitarum: ideoq; non potuiſti non de promiſsionis tuæ pollicitatione populo tuo tribuere victoriam Per te noſtros hoſtes, vt tauri pilas iactauimus: tui nominis præſidio profligauimus aduerſarios: non arcus noſtri nobis pepererunt victoriam, non noſtri nos defenderunt enſes: ſed tu nos ab hoſtibus tutatus es: tu eos, qui in nos inimico inferebantur animo euertiſti, ac funditus peſſum dediſti. Paranda quidem ſunt arma, copiæ militum comparandæ, expedienda tor-

tormenta: verùm in his non eſt confidendum: ſed orandum. Succurre nobis Dómine: & præſidium noſtrum in Deo ſitum eſt, Hagnon. Cornu noſtrum Chriſtus eſt. Hieron.

VIII.

In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in ſecula.

Concluſio. Iure igitur, meritoq; tibi gratias de tua benignitate agimus: tuumq; nomen propter tot, ac tanta in nos collata beneficia in omnem ſeculorum perennitatem celebramus.

IX. X.

Nunc autem repuliſti & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris.

Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos diripiebant ſibi.

Antitheſis, quæ eſt querela per enumerationem miſeriarum & calamitatum, quibus certo conſilio Dei, pij conflictantur. At nunc repulſos abs te dedecore notari, & infamia ſinis. Non enim ad bellum noſtris cum copijs proficiſceris: non præſidio nos, auxilioq; tuo defendis. Sed cogis fuga turpiter ſalutem petere; quo fit, vt, quibus ſumus odio, pro ſua nos diripiant libidine: & populati ipſi ſimus finitimorum deriſioni, & ludibrijs expoſiti. Nihil fit iniuſſu Domini: ſed ex ore ſupremi malum pariter, & bonum prodit: qui quidem affligit, &
Thren.3. *pro ſua ſingulari clementia miſeretur. Hieremias.*

Dediſti

XI.

Dediſti nos tanquam oues eſcarum: in gentibus diſperſiſti nos.

Amplificatio per ſimilitudinem. Tradis diſsipatos, diſperſosq́; per gentes cæteras, tanquam oues, & pecudes macello deſtinatas, deuorandos inimicis noſtris.

XII.

Vendidiſti populum tuum ſine precio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Non collocupletaſti te ex venditione populi. Allegoria eſt. Nullius precij nos exiſtimas: nullo nos habes numero: ſumus tibi nihili. Sine precio quaſi vendit, & addicit Deus ſuos, cùm eos hoſtibus vexandos, & miſeros habendos permittit.

XIII. XIIII.

Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro.

Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

Das nos vicinis noſtris deridendos, & finitimarum gentium dicterijs, ac motantium capita nationum ſannis obijcis: facis vt fabula ſimus exteris: qui ſi cui peſtem exoptare volunt, calamitatem illi, miſeriasq́; noſtras precantur.

XV.

Tota

Tota die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei meæ cooperuit me.

Hinc fit, vt dies, noctesq́; ingerat ſeſe oculis turpitudo noſtra: vultusq́; pudore, ceu veſtimento, tegamur, propter maledicorum, conuiciatorumq́; voces, propter hoſtium & infeſtorum vultum ſuperbum, & importunum.

XVI. XVII.

A voce exprobrantis & obloquentis: à facie inimici & perſequentis.

Hæc omnia venerunt ſuper nos: nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo.

προκατάληψις, quæ occurrit obiectioni tacitæ, quæ dicitur. Ecquid innocens perijt, & quando probi ſunt deleti, vt ait apud Hiobum Eliphas Themanita. Docet autem pios fœdus diuinum non violare: ſed earum rerum, quæ ad cultum Dei pertinent, obſeruantes eſſe: & tamen calamitatibus, miſerijsq́; premi. Atq; hic illud ſciendum eſt, licet res aduerſæ maximam quidem partem τιμωρίαι, ſupplicia ſunt: eaſdem tamen & δοκιμασίας, explorationes καὶ πειρασμοὺς, tentationes eſſe, &, μαρτύρια, teſtimonia veritatis. Hæc omnia ſuſtinemus, cùm tamen tui memoriam non depoſuerimus: & fœdus ſancitum nobiſcum minimè fregerimus.

Hiob. 1.

XVIII.

Et non receſſit retrò cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras à via tua.

Tranſlatio ſumpta ab ijs, qui ſtadium currunt. Non deſciuit abs te animus noſter: non pedes noſtri loco moti ſunt. Noſtra vita curriculum quaſi eſt: ipſe Deus meta: ad quam contendere decet vnumquenq; noſtrum in eo munere, quod nobis à Numine æterno eſt aſſignatum.

XIX.

Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.

Neq; mentibus retro cedimus, transferentes abs te fidem, & amorem noſtrum aliò: nec greſſibus de vijs tuis, & recto viuendi curriculo deflectimus: et tamen compingis nos in locum draconum, & tetra noctis caligine operis. Dracones intelligit gentes impias, & feritate immanes tyrannos: apud quos erant in ſeruitute Hebræi. Vmbra mortis, σκιὰ θανάτου, *calamitates, ærumnæ & ſeruitus eſt, quam pertulerunt apud hoſtes Iſraelitæ.*

XX. XXI.

Si obliti ſumus nomen Dei noſtri: & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum.

Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis.

Δικαιολογία. *Non eſſe hoſtibus cauſam ſæuiciæ, & crudelitatis. Si nominis Dei noſtri obliti ad alium nos Deum contuliſſemus, & ad illum manus nunc in votis, & precibus tenderemus: eſſet ſanè quod Deus vindicaret: qui mentis arcana cognita habet, & intimos animorum perſpeculatur ſenſus,* αὐτὸς γὰρ βροτέης κραδίης κευθμῶνας ἀνέγνω: *vt nobis apud illum mentiri non liceat, & falſa innocentiæ prædica-*

dicatione inſoleſcere: ſed nunc ærumnoſi ſumus, quòd te colimus: & propter nominis tui gloriam miſerrimis modis vexamur. Loquitur de iuſticia, quæ ex animo puro, bonaq; conſcientia proficiſcitur, & fide non ficta: cum non reprehendit, & culpat nos cor noſtrum: non de integra, & numeris omnibus abſoluta, & perfecta innocentia: qua præditus quidem eſt ſolus Chriſtus: ſed ducitur tamen eadem, & attribuitur gratis omnibus credentibus.

XXII.

Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

ἐπῳδ. Propter te & verbum tuum occidimur: & ouium, pecudumq; habemur loco, quæ mactationi deſtinatæ ſunt: tua cauſſa quotidie capimur, vulneramur, colligamur, ad mortem rapimur, & ſupplicia, κτανομένοις μήλοισιν ὁμοῖοι. Rom. 8. Pro Deo patitur, quidquid aduerſi ſuſtinuerit omnis ſanctus. Arnobius. Felix qui paſſiones corporis ſui propter iuſticiam ordinat: vt quidquid patitur propter Dei Filium patiatur. Bernhardus.

XXIII. XXIIII.

Exurge quare obdormis Domine: exurge & ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ.

precatio, vt tandem Deus numen propitium oſtendat: & virtutem ſuam, propugnando pro ſalute piorum contra iniurias, furoresq; hoſtium, exerat. Excitare igitur Domine: nam

nam cur, ſomno quaſi conſopitus, perpetuò nos reijcias, expergiſcere: cur vultum abdas, miſeriarum, calamitatumq́; noſtrarum memoria depoſita? Dormire Deus, & faciem ſuam dicitur auertere, ὑπνῶν & τὸ πρόσωπον ἀποστρέφειν, cum ſcelerum impunitatem impijs, & vexandi bonos, quos minime videtur curare, poteſtatem diuturniorem concedit: Euigilare, ἐξεγείρεσθαι, contra, & ad ſuos reſpicere: cùm coercitis, repreßisq́; improbis, ſanctos defendit, & conſeruat.

XXV.

Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter.

Repetitio miſeriarum imagine amplificata: qua cum eorum, qui cæſi ab hoſtibus procubuerunt ſorte, miſerrimam ſuam, infimamq́; fortunam componit. Depreſſa eſt in puluerem vita noſtra: ſtrati & abiecti ad humum, alliſi ad ſolum pectoribus adhæremus terræ.

XXVI.

Exurge Dominè adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Clauſula ab auxilij cauſa impellente. Succurre nobis, & ab iniurijs hoſtium ſolue: ac in libertatem vindica pro tua bonitate, & clementia. Propter promiſſa, quæ dediſti Eccleſiæ, propter gloriam nominis tui, ope nos, auxilioq́; tuo iuua.

PSALMVS XLV.

LILIA SEV EPITHALAMIVM.

VAticinium de Euangelio, & regno Chriſti, expoſitum ea orationis forma, quæ ἐσχηματισμένη Græcis dicitur, & ſermone conſtat figurato, atq;

illuſtribus verborum, ſententiarumq́ luminibus ornato. Inducit enim æterni patris filium ſalutis humanæ vindicem Ieſum Chriſtum verum Deum, & verum hominem ſpecie, gloria, maieſtateq́ regia fulgentem: quam quò expreſsius ponat ante oculos, formæ eius dignitatem, oris facundiam, veſtium ornatum, copiarum multitudinem, & fortunam belli celebrat, addit deinde commemorationem virtutum, iuſticiæ, facilitatis, & clementiæ: facit etiam mentionem palatij, gynæcei, reginæ, liberorum: quæ omnia permutatione, quæ eſt ἀλληγορία, de Chriſti Domini Euangelio, Spiritu, victoria, quam reportauit de peccato, morte, lege, Satana, carne, mundo, & malis omnibus: præterea Eccleſia, & vita æterna, & perpetua intelligenda ſunt. Cum iubet filiam obliuiſci domus paternæ, & populariũ ſuorum, atq́ regem hunc adorare, & omnium rerũ ſuarum defenſorem, adiutoremq́ adoptare: & fœdus, ſeu teſtamentum prius abrogatum iri ſignificat: & Chriſto legis præcepto primo mandatum honorem, qui eſt inuocationis, tribuit: quod & iuſticiæ regnum in omnes ſeculorum perpetuitates obtineat, & in gratiam receptis, & omnium ſcelerum contagione liberatis vitam det, & ſalutem ſempiternam. Ex quo illum Deum eſſe conſequitur, Neq́ enim præconia talia niſi in vnum verum, æternum, & omnium rerum præpotentem Deum conueniunt. Liliorum inſcriptio cum illo

Cant. 2. cantici ſacri conuenit, vbi ſponſus de ſe. Ego flos campi, & lilium conuallium: & de ſponſa. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Solymas. Dilecti vero titulus ὑπὲρ τοῦ ἀγαπητοῦ, qui eſt apud in-

Matth. 3. terpretes Græcos, cum verbo congruit, quod cœlitus inſonuit: Hic mea progenies, mea magna, & ſola voluptas.

I.

Eructauit cor meum Verbum bonum: dico ego opera mea Regi : Lingua mea calamus ſcribæ : velociter ſcribentis.

Propoſitio κατάστασις μετὰ προσοχῆς. Canam rerum omnium præpotentem regem Chriſtum, & celebrabo regnum, & imperium eius omnibus ſeculorum ætatibus duraturum. In verbo Eructat, ſeu exuberat, & ebullit redundantiæ eſt translatio: cum, quod ſeſe capere non poteſt, ſuperfluit, & vi tandem, impetuq́; valido erumpit. Geſtit animus canticum præclarum edere : carmen ego inſigne in honorem regis condam, γλῶσσαν ἔχων καλάμῳ ὀξυγράφου ἀνδρὸς ὁμοίην, vtens lingua pro ſtilo velocis, & expediti librarij : neq; enim lingua mea minus promptè excipiet laudes, quas ſubijciet illi animus meus : quam ſcribit calamo is, qui celeritate conſignandi aliquid literis maximè excellit.

II.

Specioſus forma præ filijs hominũ : diffuſa eſt gratia in labijs tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

Narratio ἀπὸ τῆς ἀποστροφῆς, quæ eſt καταγραφὴ, & deſcriptio Chriſti Domini. Tu pulcherrimus es, & formoſiſſimus omnium mortalium. Orditur autem à dignitate regis & ſponſi : qua omnibus hominibus præſtare illum pronunciat : non quidem incurrente in oculos dignitate, vt enim Propheta inquit: Non erat ei nec ſpecies, nec decor : ſed quæ oculis tantum mentis cernitur formoſitate : cui non modo non Eſa.53.

Lucifer aureolus mundi ſtellantis ocellus,

Sed nec Sol quidem lucis fons auricomus, ſol igneus ipſe certauerit : vt qui verus, & Deus, à patre ante omnem æternitatem

 genitus,

genitus, & homo, ſatu quaſi Spiritus ſancti ex caſta, & intaminata natus virgine, ab omni labe, & macula peccati puriſsimus, & ſapientia, omnibusq; virtutum numeris abſolutiſsimus fuit, plenus gratia, & veritate. Extant apud Nicephorum, ni fallimur, προσωπογραφίαι *tum Chriſti ipſius, tum matris eius virginis Mariæ: quas quo minus gratis animis legant homines dediti pietati, & literis, cauſa nulla eſt. Neq; enim Therſitæ corpus habuit Seruator mortalium filius Dei, aut ex matre etiam voluit naſci, Simiæ quæ faciem referret.*

Diffuſa eſt gratia) *A ſapientia, eloquentiaq;, quæ præcipua ſunt regum, & principum ornamenta. Parua enim ſunt arma foris, ſi non eſt conſilium domi. Et* βασιλικὸν *inquit ille,* ἔστι ἀήττητον εἶναι ἐν λόγῳ, καὶ δύνασθαι κρατεῖν ὥσπερ ὅπλοις τῶν μαχομένων, οὕτω τοῖς λόγοις διαλεγομένων. *Regium eſt inuictum eſſe eloquentia: & vincere poſſe, vt aduerſarios armis, ſic diſceptatores oratione. Amabilia ſunt labia tua: ex lingua tua melle dulcior fluit oratio. Eſt autem deſcriptio, commendatioq; Euangelij, doctrinæq; cœleſtis de condonatione, & remiſsione peccatorum gratuita: qua ſuauius, dulciusq; accidere nihil poteſt ijs, qui animi dolores, cruciatusq; ob legem violatam ſuſtinent. Eſt enim potentia diuina ſalutaris omni credenti.* (Rom. 1.) *Ad hunc locum reſpexit Eſaias.* (Eſa. 50.) *Dedit mihi Dominus linguam doctam, dedit linguam diſertam: vt ſciam eum verbo ſuſtentare, qui lapſus eſt. Et Lucas, cum inquit de puero Chriſto.* (Lucæ 2. 4.) *Stupebant omnes, qui audiebant eum propter acumen, & reſponſiones. Et de docente in Synagoga. Omnium oculi erant defixi, & intenti in eum. Et, Nemo vnquam ſic locutus eſt, vt hic homo.* (Ioha. 7.) *Et, Stupebat hominum turba ad eius doctrinam: docebat enim eos, vt autoritate præditus, non vt ſcribæ.* (Matth. 7.) *Opponit autem Propheta linguam Chriſti gratam, ſuauem, & autoritatis plenam labijs Moſis: quem impeditioris eſſe, & tardioris linguæ affirmans ſcriptura, quid interſit, inter Euangelium, & legem oſtendit. Lex per Moſen tradita eſt: gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum contigit.*

Iohannes. θεμίςων βίβλ☉ ὅλων διὰ μώση☉ : χάρις δὲ ἀληθείη ἐκ χριςοῖο. *Nonnus.* Ioha. 1.

Propterea benedixit) *Vnde Chriſto regi tanta bona, & è qua ſchola tam diuinus orator euaſerit. Tibi enim cupit, fauetq́; Deus in æuum ſempiternum: te ſtudio, & beneuolentia Deus proſequitur perpetua, non ad certum modum, ſed totam perfectionem, plenitudinemq́; Spiritus ſancti in te transfundens. Hic eſt Filius meus dilectus, qui mihi acceptus eſt, vox è cœlis inquit. Et quidem optimè, præclariſſimeq́; animatus eſt in Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pater cœleſtis. Ideoq́; in gratiam illius fauore, beneuolentiaq́; ſua complectitur omnes: quicunq; fidem habent nomini eius: ac formæ ipſis quoq; decus, orationisq́; vim, facultatemq́; largitur: vt quicquid in precibus ſuis à Numine flagitant, impetrent: eorumq́; doctrinam ne portæ quidem Orci refutare poſſint.*

III.

Accingere gladio tuo: ſuper femur tuum potentiſsime: ſpecie tua & pulchritudine tua.

Ab armis, & apparatu bellico. Accommoda lateri enſem fortiſſime Heros, & virtute bellica præſtantiſſime: teq́; exorna, quanta fieri poteſt, magnificentia. Arma Chriſti ſunt ſermo Dei incidentior quouis gladio ancipiti: quo, propugnans pro ſuæ ditioni ſubiectis, principem mortis, autorem peccati, ſpiritum triſticiæ, mendaciorum, & iniquitatis Satanam inuadit, iuxta illud. In hoc apparuit Filius Dei, vt aboleret opera Diaboli. Hæc arma, decus, ſpeciem, gloriam, & ornatum vocat ἐπεξηγητικῶς. *Nihil enim verbo Dei pulchrius, nihil magnificentius: vt quod gladius ſit ſalutis, vitæ, & iuſticiæ perpetuæ. Hunc gladium, ſeu enſem Iohannes in Apocalypſi deſcribit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, duobus nimirum teſtamentis, Legis & Euangelij: acutum ſapientia, infeſtum Diabolo, ar-* 1. Ioh. 3.

mantem nos aduerſus hoſtes ſpiritalis nequitiæ, & concupiſcentiæ omnis amputantem etiam à chariſſim is ob Dei nomen. Tertullianus 3. aduerſus Martionem.

IIII.

Intende proſperè procede & regna: propter veritatem & manſuetudinem & iuſticiam: & deducet te mirabiliter à dextera tua.

A ſucceſſu, & ſelicitate in re militari. Verbum meum,
Esa. 55. *quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me infecta re, ſed faciet, quæcunq; volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. In iſto ornatu proſperè, feliciterq́; perrumpe, fidei, & oppreſſæ iuſticiæ ergò: inſcende, & inuehere: vt promoueas veritatem, & afflictam iuſticiam: & tua tibi dextra res, ad quas ſtupore opprimantur mortales, oſtendet. Nihil in mundo fide Dei, & verbo veritatis, ac manſuetudinis, quæ eſt doctrina Euangelij, contemtius: nihil iuſticia diuina, quæ in venia peccatorum, & aſſignatione innocentiæ ſita eſt, deſpicatius: ſed obnixè quoq; manibus, pedibusq́; Diabolus facit omnia: vt ſtabiliat mendacium, & impietatē confirmet: verum cladem inferens aduerſario vincit tandem Chriſtus: et facinora edit virtute ſua, qualia animo complecti, cogitationeq́; comprehendere nemo poteſt. Chriſtus veritatem attulit, vt doctor, manſuetudinem, vt liberator, iuſticiam, vt cognitor. Aug. in Ioh. Euang. Tract. 31.*

V.

Sagittæ tuæ acutæ: populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.

Tela, & ſagittæ tuæ tam acutæ ſunt: vt populi ſuccumbant tibi in medio hoſtium, & inimicorum regis. Sermo, & doctrina tua, veluti ſagitta acutiſſima, feriet animos mortalium: vt etiam infeſtiſſimos inter aduerſarios ad terram ſeſe abijciat, & no-

& nomen tuum maxima populorum multitudo veneretur? Cor Hebræis mediū ſignificat: vnde cor cœli, terræ, maris, infimum eſt, ſeu punctum, medium, & centrum: ſic cor inimicorum regis, ipſi ſunt hoſtes doctrinæ ſalutiferæ: in quorum confertiſſima multitudine ſemper inuenit Chriſtus Dominus, qui, actis à Spiritu ſancto, ſagittis ſalutaribus verbi diuini vulnerati, feliciter concidant: &, relictis ſtudijs ſuis, & poſthabitis iuſticia, virtute, & actionibus proprijs, ſeſe animis libentiſſimis in ſeruitutem illius tradant. Penetrat enim Chriſtus non in caſas modo aratorum, & ruſticorum, libenter ipſius doctrinam admittentium: ſed aulas etiam regum, & principum, Euangeliū ipſum oppugnantium: vt opes regni ſui augeat, & amplificet.

VI.

Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: virga directionis virga regni tui.

A regno nullis temporum finibus circumſcripto, adminiſtrationeq́;, ac conſeruatione diſciplinæ imperij. Thronus regni tui Deus in omnem ſeculorum perennitatem durat: nec ſceptri, quod æternitatis eſt, & manſuetudinis, finis erit, aut terminus. Chriſtus & Deus eſt, & Homo: qui quamuis morti obnoxius fuit: tranſijt tamen in vitam immortalem, & ſeculorum ætatibus omnibus manentem. In ea regnum habet in res non corporales, & fortunæ ludibrio ſubiectas, ſed quæ ſpiritu, & æternitate immutabili continentur: obtinens imperium pro vita contra mortem, pro iuſticia contra peccatum, pro ſalute, contra damnationem. Dicit autem ius inter homines verbo: eoq́; cultores ſui partim ne abijciendo animos periclitentur, ſuſtentat: partim ne in vicia deflectant, prohibet. Solium per traductionem, quæ μετωνυμία, regnum notat. Virga directionis opponitur alijs regnis omnibus: quæ ſine iniuria raro adminiſtrantur: cum Chriſti imperium ſumma iuſticia, æquitateq́; procuretur. Nam & verbum eius veritas eſt: in quam nec tortuoſitas, nec admixtio falſitatis vlla cadit: et ipſe ab omni labe, & macula

purus exiſtit: quem, virgam auream Euangelij ſibi porrigentem, quisquis fide apprehendit, eum iuſtum, & innocentem Deus pronunciat.

VII.

Dilexiſti iuſticiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo læticiæ præ conſortibus tuis.

ἐπεξεργασία virgæ directionis: quæ officij eſt veri regis explanatio. Ideo tuum ſceptrum rectum eſt: quia diligis iuſticiam, peroſus iniquitatem: quia facis ius, & æquum: & oppreſſos à calumniatorum iniuria liberas. Iuſticia intelligenda eſt, & ea, quæ in miſericordia diuina acquieſcentibus contingit Fide: & quæ ex caritate in proximum orta vtilitatibus, & commodis aliorum promtè, alacriterq́; deſeruit. Iniquitas, ἀνομία, vel iniuriæ ſunt, quibus & dæmon nequam, & homines improbi eos, qui Chriſti ſunt partium onerant: vel etiam adumbratæ religionis ſtudium, ac ſuperſtitionis, voluntarijq́; cultus peruerſiones, & fallaciæ: quæ omnia, quod ex fide non ſunt, Chriſtus auerſatur. Quæ ſequuntur, rationem continent ſuperiorum. Hinc factum eſt, vt inauguratum Deus Pater præ ſocijs, & fratribus omnibus vnxerit,

Lætifico illius perfundens tempora oliuo.

Oleo vngebantur olim ſacerdotes, Prophetæ, & reges, quæ omnes appellationes in Chriſtum competunt. Habet autem oleum τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας σύμβολον. Sed & τῆς ἀρχῆς ἴδιον τὸ ἐλεεῖν inquit Theologus. Cæterum oleum, ab effectu, læticiæ, vis eſt Spiritus ſancti, quem cum omnibus quidem credentibus communicat Pater cœleſtis, ſed in Filium Mariæ menſura nulla effudit. Huc illa Eſaiæ. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Et: Spiritus Domini Dei in me

Iohã. 3.
Eſa. 11.
Eſa. 61.

in me, quandoquidem vnxit me. Et Petri. Ieſum à Nazaretha Act. 10. *ſancto ſpiritu, & virtute vnxit Deus. Vngi oleo lętitiæ nihil aliud intelligitur, quàm Spiritu ſancto repleri. Auguſt. de Incarn. Verb. lib. 2.* Conſortes, μέτοχοι, *cum Apoſtoli ſunt, tum omnes ad Chriſtum adiuncti: quos quidem etiam fratres* Iohan. 20. *appellat Seruator ipſe, cùm inquit: Vade nunciatum fratribus meis.* Continet autem hic verſus veritatis diuinæ in tribus perſonis perfectæ teſtimonium: quare etiam citat eum autor epiſtolæ ad Hebræos: vt ex eo vim, maieſtatemq́; cœleſtem Chriſti probet. *Participes Chriſti omnes ſancti: ſed ille ſingulariter Sanctus Sanctorum, ſingulariter Chriſtus, ſingulariter vnctus. Auguſt. in expl. Euang. Iohan. Tr. 7. Vide eundem lib. 3. contra Maximinum. Ille vnguenti habet fontem, nos ſtillas. Hieronymus.*

VIII.

Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te.

A veſtium, & ornamentorum ſplendore. Veſtimenta tua nihil niſi myrrha, ſtacte, & caſia ſunt: cùm ex eburneis palatijs ſumma cum dignitate, magnificentiaq́; procedis. Plin. lib. 12. cap. 15. *Myrrha* σμύρνη, *aromaticus frutex eſt Arabiæ. Guttam, ſtacten intelligit, quæ & myrrha prima dicitur: & fluit ſponte, arbore non inciſa. Caſiam neceſſe eſt aromaticum quiddam intelligi: quo perfuſæ veſtes, & odorem ex ſe afflant: & à tineis conſeruantur.* κασία *inquit Baſilius,* φλοιός τίς ἐστι λεπτότατος, καὶ εὐώδης, ξυλώδη κάρφη περιττεινόμενος. *Veſtes* ἱμάτια, *cum ſuauiſsima vox Euangelij, ſalutem & vitam æternam annuncians: tum ornamenta ſunt, & virtutum dona: quæ ſancti ſpiritus beneficio per totam diffunduntur Eccleſiam, bonis in odorem vitæ, malis in odorem mortis. Palatia,* βάρεις, *& loca ſunt, in quibus ſonat pura Euangelij doctrina: & perſonæ ipſæ, quæ verbum ſalutis voce pariter, & ſcriptis longè, lateq́; propagant. Hæc palatia eburnea,* ἐλε-

φάνλια, appellat propter ipſum verbum: quod, ſicut ebur, ſolidum quiddam eſt, & eminens: præterea candidum, ſincerum, & corruptioni nulli obnoxium. Verbum enim Domini manet in æternum.

IX.

Filiæ Regum in honore tuo: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circundata varietate.

A Gynæceo, & virginibus inuitatis ad nuptias. Regiæ Puellæ in mundo, ornatuq; regio incedunt. Filias regum θυγατέρας βασιλέων*, intelligit eos, qui præconio Euangelij Chriſtianæ pietati inſiti in ſeruitutem ſeſe Chriſto piè ſanctéq; tradiderunt. Mundus, ſeu ornatus eſt Fides ipſa, quam comitantur caritas, ſpes, patientia, & dona reliqua Spiritus Sancti.*

Aſtitit regina.) *A Sponſa. Propter latus tuum dexterum aſsiſtit veſte ex auro Ophirio exornata ſponſa. Regina,* βασίλισσα*, ſeu ſponſa Chriſti, Eccleſia eſt, conflata, & conſtituta ex omnibus gentibus: quam ita dilexit Filius Dei, vt ſe ipſe pro ea dederet: quo illam ſanctam redderet, purgans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt ſibi præſtaret eam glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut*
Epheſ. 5. *aliquid huiuſmodi: ſed quæ ſancta, & immaculata foret, vt inquit Apoſtolus. Per Baptiſmum igitur, & verbum Euangelij ſibi deſpondet Eccleſiam ſuam Chriſtus: & ornat eam auro Orphirio, quæ eſt miſericordia, gratia, condonatio peccatorum, & Spiritus ipſe ſanctus, communicans cum collocata ad dexteram ſuam iuſticiam, & bona quæ habet vniuerſa. Quo fit, vt, quod ad ipſam quidem attinet, peccatis ſit cooperta, mi-*
3. Reg. 11. *ſera, contemta, ſub tyrannidem Mundi, Satanæ, & mortis ſubiecta: in ſponſo verò iuſta, felix, magnifica, victrix, & triumphatrix hoſtium, & hæres vitæ perpetuæ, & immortalis. De auro Orphirio eſt in hiſtoria regum. Varietatem quæ eſt in translatione veteri, Auguſtinus ſeu Hugo potiùs Victorinus, ad linguarum diuerſitatem refert. Libro de Fide rerum inuiſibilium.*

Audi

X.

Audi filia & vide & inclina aurem tuam : & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.

πρόκλησις, per Apoſtrophen : vt ſponſa applicet ſeſe, & adiungat ad ſponſum: & quod difficilimum, cum ſui, tum aliarum rerum omnium cura abiecta, amorem ſuum in ſolum Chriſtum transfundat. Semper autem opus habet fidei noſtræ infirmitas excitatione, cohortationeq́; : vt contra offenſiones quaslibet, in ſolum verbum intueatur : & de ore tantum Chriſti pendeat. Aurem præbe filia, vide, animaduerte : & tuorum popularium, patriæq́; domus memoriam depone. Audire iubet ſponſam non Moſen, non Prophetas, non legis conſultos, & Sacerdotes, ſed ſolum verbum Chriſti : iubet videre, & intueri non templum, non ritus ſacrificiorum, pompas, & ceremonias, ſed ſigna addita promiſsioni, Baptiſmum, & Cœnam ſanctam: in eorũq́; meditatione ſingulare ſtudium ponere iubet: inclinare deniq; aurem, hoc eſt, firma, & conſtanti fide ad ſponſum ſeſe conuertere, de ſponſo vno pendere, ſponſum ſolum intueri : ideoq́; & populi, & domus paternæ memoriam deponere : quod eſt, religionem, & inſtituta maiorum, iuſticiam legis, virtutes, & ſapientiam propriam, adeoq́; chariſsima quæque, vt quæ auxilij nihil afferre poſsint, præ Sponſi amore vilia, & momenti nullius putare. Huc illa. Qui negat ſe patrem, aut matrem ſcire, neq; fratres agnoſcit, neq; filios nouit : ſed qui tua dicta conſeruat, tuumq́; fœdus tuentur. Moſes verbis nouiſsimis. Et : Si quis ad me venit : nec ſuum Patrem, & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres & ſorores, atq; adeò ſuam ipſius animam odit, non eſt me dignus : & qui non portat ſuam crucem, & me ſequitur, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Chriſtus. Omnia damnum eſſe puto propter cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei præſtantiam. Paulus. Inuitamur à Deo Patre, vt, beata, & felici commutatione, patrem diabolum re-

Deut. 33.

Phil. 3.

linqua-

linquamus, non noſtris viribus, ſed Chriſti gratia donante. Auguſt. de Temp. Hom. 51. Qui cœtus oculos, & aures ad Dei verbum accommodat, Eccleſia eſt, Deiq; Filia, & Chriſti Sponſa. At qui contemnunt doctrinam cœleſtem, & in Mammona, & delicias mundi animos defigunt, quid ſunt, niſi ſcorta Satanæ? Hagnon.

XI.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus & adorabis eum.

Promiſsio per expoſitionem præmij, quo afficienda Eccleſia: ſi, rebus cariſsimis valere iuſsis, in ſolius Sponſi amore acquieſcat. Tuæ pulchritudinis amore incenditur Rex. Eris Regi in amoribus venuſtatis tuæ, & formoſitatis ergò. Decor, & pulchritudo Eccleſiæ verbum eſt, & quæ verbo annexa ſunt myſteria: quibus, concepta ex auditu, Fides nixa, ornatur iuſtitia, innocentiaq; Filij Dei, qua nihil formoſius, nihil Patri cœleſti gratius fieri poteſt. Adijcitur autem ſuperiorum ratio. Is enim tuus est Dominus, tibi piè, auguſteq; colendus: quæ verba de natura Chriſti diuina euidenter pronunciant: quia enim colendum eſſe, & adorandum filium hominis, quemadmodum ſeſe ipſe ſolet appellare, docet Spiritus Sanctus: Deum eſſe Chriſtum neceſſaria concluſione efficitur: ideoq; non eſſe Eccleſiam, quæ Regi de capite diadema auferre, ſibiq; imponere, eiusq; malam ſiniſtra manu ferire ſuſtinet.

XII.

Et filia Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

Alia promiſsio de vocatu, accituq; gentium: & piorum regum, ac principum pro Eccleſia propugnatione. Et

puella

puella Tyri, & quicunq; opibus pollent cum muneribus ſupplices ſe ad pedes tuos abijcient. Filia Tyri, ἡ θυγάτηρ τύρου, primum pro populo Tyrio ſumitur conſuetudine Hebraica: deinde per intellectionem, pro primarijs vrbibus, & gentibus ipſis nationibusq; omnibus. Significat igitur fore, vt & Tyrus, potentiſſimæq; vrbes, & ſummi reges, & principes repudiata ſuperſtitione, ad Eccleſiæ ſocietatem aggregati, venerationi ſeſe Chriſti, & Eccleſiæ dedant. Erunt reges nutritores tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu ad terram demiſſo adorabunt te. Eſaias. Et. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Et. Omnes Sabæi venient, aurum, & thus afferentes, & Domini laudem prædicantes Idem. Munera, τὰ δῶρα, ſunt doctrinæ veræ, & cœleſtis profeſſio, imploratio numinis, gratiarum actio, conſeruatio munerum, & officiorum Eccleſiaſticorum, & liberalis egentium ſubleuatio. Tyrus olim Sarra dicta fuit, quæ appellatio ab Hebræis fluxit: Vnde & Sarranum oſtrum apud Virgilium, Et Sarrana aulæa apud Iuuenalem.

Eſa. 60. Eſa. 60.

XIII.

Omnis gloria filiæ regis ab intus: in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Interpretatio: qua, de mundo, & ornatu reginæ, quæ ſuperius expoſita ſunt, explanantur: Conſtat ſplendor regiæ filiæ non veſtibus externis, & in oculos incurrente apparatu: ſed interioribus, & in animo penitus abditis ornamentis, fide, iuſticia filij Dei, & ſalute. Omnis puellæ regiæ ſplendor, & elegantia intima eſt, veſte illita, & illuſa auro. Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſticiæ circumdedit: quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Eſaias. Eſa. 61.

XIIII. XV.

Addu-

Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis.

ὑποτύπωσις deſcriptioq́; deductionis reginæ ad regem. ſubſequente eam pediſſequarum turba. Ducitur ad te Rex in veſtibus acu pictis, cum comitantibus eam amicis virginibus: quæ cum gaudijs, & hilaritate immenſa in regiam accedunt. Ducitur Eccleſia ad Chriſtum per Prophetas, Apoſtolos, & illorum ſucceſſores. Veſtes Phrygiæ ſunt fides, ſpes, charitas, & reliquæ virtutes Spiritus ſancti dona. Pediſſequæ, & ſociæ, ipſa, quæ vocata à Deo, Chriſti religionem, & diſciplinam aſciuit, multitudo: cuius diuerſa & dona, & officia: Hæ virgines appellantur, non corpore, ſed ſpiritu, tum propter doctrinam ab omni falſitatis admixtione ſegregatam: tum iuſticiam, innocentiamq́;, cui deſponſæ ſunt, & deſtinatæ, Chriſti, ductam ipſis, & imputatam. Lætitia, & exultatio, εὐφροσύνη, καὶ ἀγαλλίασις, gaudium eſt animi tranquilli, & pacati recordatione mortis, & beneficiorum filij Dei.

XVI.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Concluſio παραμυθία: vt, ſpe compenſationis ampliſſimæ, domus paternæ, & rerum optatiſſimarum neglectionem æquo animo ferat: fore enim, vt parentibus ſuccedant liberi: qui toto orbe reges conſtituti continuata ſerie imperium obtineant. Loco patrum naſcentur tibi liberi: quos reges & moderatores facias orbe vniuerſo. Patres, πατέρες, Prophetæ ſunt, & vates qui, dum plenum, ac præfinitum à Deo tempus aduenıret, ſub mundi rudimentis emancipatam detinuerunt Eccleſiam. Filij

verò

verò, υἱοὶ, Apoſtoli, & qui ab illis orti, populos, genteſq́; omnes, virginem maturam, & viro tradendam, ad Chriſtum, veramq́; pietatem perduxerunt: & ad credendum, voluntatiq́; Dei parendum promptam, & paratam habuerunt.

XVII.

Memor ero nominis tui: in omni generatione & generatione: Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in ſeculum ſeculi.

Concluſio per gratiarum actionem: qua vel Propheta ipſe, vel ſponſa Eccleſia, prædicatione, celebrationeq́; debita memorem ſeſe beneficiorum Dei in omnem æternitatem pollicetur. Ego tui nominis memoriam natis natorum, & qui naſcentur ab illis commendabo: ita vt laudibus te decorent gentes, populiq́; omnes in ſeculorum perennitatem infinitam. ἡ τῆς ἐκκλησίας μνήμη, ἡ ἐξομολόγησις τῶν λαῶν. *Baſilius. Vide Aug. de ciuitate Dei lib. 17. cap. 16. Et oratione aduerſus Iudæos cap. 4.*

PSALMVS XLVI.

PROPVGNACVLVM.

Ευχαριστία pro defenſione, propugnationeque diuina: qua ſua tempeſtate gratias egerunt Hebræi æterno numini, potentiamq́ illius celebrarunt: quòd & Hieroſolymorum vrbem, quam ſibi ſedem doctrinæ, & ſacrorum delegerat, contra vicinorum regum, & populorum fremitus, vimq́ concitatam tutatus fuiſſet: & pacem ſui colentibus, ſecuritatemq́, aggreſsionibus hoſtium aut repreſsis, aut profligatis, præſtaret. Appellat autem ſtatum vrbis fonticulum ſcatebrarum riuulis perpetuis manantem: eumq́

paludi-

paludibus, fluminibus, & æquoribus gentium, quæ ſunt regna, imperia, ditionesq; impiorum, quæ exareſcere tandem neceſſe ſit, opponit. Nos carmen hoc Deo canimus gratitudinis ergò: quòd adeſt Eccleſiæ: & verbum ſalutis, cœtumq; credentium mirandum in modum contra inſerorum potentiam, & Satanæ, hæreticorum, & peſtiferas opiniones ferentium, præterea carnis, peccati, mortis furores tutam reddit, & incolumem: vt & noſter fonticulus aqua ſit ſaliens in vitam æternam: aduerſantium verò Euangelio gurgites, lacus, & putridarum paludinum voragines exſiccentur.

I. II.

Deus noſter refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Exordium enthymemate informatum, præeunte propoſitionem ratione. Nec vllas calamitates, periculorumue caſus metuimus: nec vires, impreſſionesq; hoſtium ferorum, & immanium formidamus: eſt enim fiducia in gratiam à ſe receptis roburq; Deus: eſt præſidium, & arx firma, propugnaculumq; iuſtitiam ſua miſericordia adeptis Dominus. Ecquis Domino fidem habuit, & fruſtratus fuit? πάντα πρόσκαιρα. πάντα ἀπατηλά: μία καταφυγὴ ὁ θεός. Omnia ad tempus durant, omnia ſunt fallacia: vnicum refugium Deus. Baſilius. Dum turbabitur terra.) Amplificatio. Adeo in timorem non conijcimur, vt quamuis Siracid. 2.

tremat ingentem factura ruinam
Terra, atq; excidium iam iam metuatur Olympi,

quamuis

quamuis in medium mare præcipitati transferantur montes: diuino tamen freti præſidio, animo minimè fracto, & debilitato futuri ſimus.

III.

Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.

Repetitio, iteratioq́; ἀλληγορική. Turbetur ſanè, fremat, fluctusq́; ad ſidera tollat pontus, & impetu maximo terras inundans conquaſſatos, & ſedibus ſuis emotos montes in Oceanum deuehat: Conueniant homines amentes, & ſcelerati: ineant conſilia pontifices, arma expediant tyranni, exercitum inſtruant duces, tela contorqueant ærarij: ſit totus mundus tanta immanitate ſceleris efferatus, vt manibus magnum reſcindere cœlum cogitet: quin ipſe etiam inferorum manium princeps omnes ſuas copias educat: nec illi tamen feris ſuis conatibus bonorum ſtatum excindere, nec nocere hic poterit auxilio diuino munitis. Per tempeſtates, ſonitumq́; aquarum turbatarum, & concuſsionem montium, fremitum intelligit, impetumq́; tyrannorum, vt Neronis, Domitiani, Iuliani, gentiumq́;, furore ſeſe immani in populum Dei concitantium. ὄρη οἱ μεγαλοφρονοῦντες ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν μεγέθει, οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, οἱ πατέρες τῆς ἀπολλυμένης σοφίας. *Montes ſua magnitudine inflati, & tumidi, Principes ſunt huius ſeculi, & patres peritura ſapientiæ. Baſilius.*

IIII.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei? ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus.

Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Ratio μεταφορικὴ, cauſam explicans repetitam ex Pſalmi initio: cur ciuitas Dei, hoc eſt, Eccleſia in tuto locata incurſiones, petitionesq́; aduerſariorum contemnat: Diuinam vrbem, quæ Numinis æterni ſedes eſt, & domicilium auguſtiſſimum, fluminis riuuli lætitia afficiunt, & exhilarant: quia quam incolit Deus ipſe, nihil accipiet detrimenti ſuo tempore ſuccurrente illi Domino: qui adeſt ſuis perpetuò vſq; ad finem

Eſa. 8. *ſeculi. Riuuli fluminis, Siloa eſt fluuiolus Hieroſolymorum placidus, & qui, vt ait Eſaias, cum ſilentio vadit. Intelligit autem cum verbi miniſterium, tum fauorem, & gratiam Spiritus ſancti: qui æterna voluptate, iucunditateq́; animos piorum perfundit.*

VI.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

ἀφηγημάτιον, narratiuncula. Turbas faciebant gentes, regna concitabantur: verùm ſimulatq; vox Dei intonuiſſet, etiam tellus ipſa colliquata defluxit. Loquitur vel de bello cum

2. Reg. 10.

3. Reg. 28. *Ammonitis geſto: vel vaticinatur de temporibus Ezechiæ, cùm contra petulantes, & blaſphemas regis Aſſyriorum minas vrbem ſuam defendit Deus, exercitu illius per angelum occiſo. Vox Dei primùm tonitrua ſunt, fulminaq́;, quibus in hoſtes populi ſui graſſatus eſt Deus, vt ad Aſecam & ad Maſpham: deinde*

Ioſ. 10.

1. Reg. 7. *de lex, qua veluti malleo diffringit petras: ac regibus, populiſq́; metum, formidinemq́; incutit.*

VII.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

ἐπιφώνημα. Stat à populo ſuo Dominus exercituum: arx, & perfugium noſtrum eſt Deus Iacobi. Adeo non noſtris conſilijs, viribuſq́; defendimur: ſed

armorum

armorum regis auxilio, ſub numine torquens
Qui fera bella ſuo, vires, iraſq; miniſtrat.

Dei Iacobi appellatione reſpicit ad promiſſiones factas patriarchæ Iacobo: & intelligit Heroa, vindicemq; Eccleſiæ ſuæ Ieſum Chriſtum: penes quem præliantem pro nobis victoria, & triumphus ſit oportet, redundante diabolis, & hoſtibus Euangelij mundi fabrica vniuerſa. Si Deus à nobis, quis contra nos? Apoſtolus. Dominus virtutum, ſeu Deus exercituum Hebræis Zebaoth eſt, quòd militet æther Rom. 8.
Atq; illi Angelicæ veniant ad claßica mentes.

VIII. IX.

Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.

Auferens bella vſq; ad finem terræ: arcum conteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni.

Exhortatio per apoſtrophen: qua ὑποτυπώσει in rem quaſi præſentem pios vniuerſos deducit: Adeſte dum & animo intuemini facinora in contundendis, euertendiſq; hoſtibus, & Eccleſia defendenda Domini:

Solus qui deſpicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,
Conſiliumq; ducum caſſatis diſſipat auſis:
Qui vaſtat terras, qui bella extinguit, euerſionem infert opibus aduerſariorum, proterit tyrannos,
ſcutaq; diffringit, plauſtra rotaſq; cremat.

Intelligit liberationem vtramq;, & qua nos per filium ſuum à ſeruitute diaboli, peccati, & mortis eripuit Deus: & qua momentis ſingulis ab hoſtibus Eccleſiam, vi, potentiaq; impiorum fracta, & regnis, imperijs, rebuſq; publicis mutatis, euerſis, & diſturbatis, mirandis, & à cogitatione hominum remotis rationibus vindicat: præterea, per Apoſtolos, & do-

ctrinæ cœleſtis miniſtros, opinionibus in Deum contumelioſis refutatis, & ſuperſtitioſis exploſis ritibus, diuina pugnat bella: & mirificos, partim ex ſalute, partim dolore inimicorum triumphos agit.

X.

Vacate & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus & exaltabor in terra.

ἐπιτίμησις ex perſona Dei. Date vos ad lenitatem: & quieti agnoſcite extollendum in gentibus, nationibusq; omnibus: ideoq; deſiſtite vexare eum populum, pro quo ita propugnaturus ſum: vt ex victoria de vobis æternum ſim, & manſurum dempto fine decus reportaturus. Relatus hic verſus ad mortales pios, ſignificat quieſcendum nobis, & ceſſandum eſſe ab omnibus noſtris conſilijs, viribus, actionibus: vt Deus, cuius quidquid & ſumus, & habemus, munus eſt, in nobis ſeruandis, & defendendis ſuam ſapientiam potentiam, & præſidij auxilium explicet, iuxta illud. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Et: quieſcendo ſeruabimini: In ocio, & ſpe collocata in me, vires veſtræ poſitæ ſunt: quisquis enim mihi fidit, nunquam erit fruſtra. Et: Qui nomen Domini inuocauerit, ſeruabitur. Non ocium deſidiæ quærit, ſed ocium cogitationis, vt à locis, & temporibus vacemus. Aug. de vera religione.

Eſa. 30.

Rom. 10.

XI.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Concluſio per repetitionem Epiphonematis. Inſaniant & furioſe debacchati graſſentur in nos quidquid eſt hoſtium, & aduerſantium Euangelio, nihil tamen efficient: verſatur enim in caſtris, acieq; noſtra Deus: qui nos ſuo Spiritu, donis, & armis protegit, & defendit.

PSALMVS XLVII.

TRIVMPHATOR.

VAticinatur hoc Pſalmo Propheta de maieſtate Chriſti Domini: quem de peccato, morte, & diabolo triumphantem ad cœlos, conſcenſurum prædicit, & regem fore, ac Dominum omnium gentium: quas quidem ſub ius, ditionemq; ſuam ſubiuncturus ſit, non vi, & copijs militum, non armis, machinisq; bellicis: ſed ſolo cantu, plauſu, & buccinarum tubarumq; ſonitu: quibus Euangelium intelligit, & ſermonem reconciliationis: quo in vniuerſum orbem diuulgato ad Apoſtolorum voces, regna, & quidquid eſt opum, potentiæq; in mundo ſub Chriſti imperium cadunt: non aliter, quàm Hierichuntinæ vrbis mœnia ſolo clamore, ouationeq; populi Iſraelitici conciderunt.

I.

Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Exordium προτρεπτικὸν ab exhortatione per apoſtrophen. Plauſum date nationes vniuerſæ: acclamate Deo voce læta, & gaudia veſtra vociſerationibus comprobate.

II.

Quoniam Dominus excelſus terribilis: Rex magnus ſuper omnē terram.

Propoſitio πρότασις. Optimus ille, maximusq; ſalutis noſtræ liberator, & vindex Ieſus Chriſtus natura humana, & diuina coniugata, rex, & princeps factus eſt gentium omnium: ac bonis exoptatiſsimus, malis verò ſummè formidandus, cœli, terræq; dominatum in omnem ſeculorum perennitatem tenet: dexter aſsidens Deo cœleſtibus in locis, ſupra omnem principa-

 tum,

tum, & poteſtatem, & potentiam, & dominatum, ſupraq́; omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, verumetiam in futuro. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ipſe.

Matth. 28.

III.

Subiecit populos nobis: & Gentes ſub pedibus noſtris.

Modus, & ratio, qua ad regnum peruenit Chriſtus. Inuulgatione enim, propagationeq́; Euangelij nationes, & populos, qui non modo rectam de Deo opinionem non habebant, ſed in errores peſtiferos, ac ſcelera, flagitiaq́; teterrima ſeſe ingurgitarant, pedibus Apoſtolorum ſubiecit.

IIII.

Elegit nos hæreditatem ſuam: ſpeciem Iacob quam dilexit.

Cauſa regni, quod in mundo per Euangelij doctrinam Chriſto parant Apoſtoli. Nimirum miſericordia natiua, & intima æternus pater clementia, gratuitò & ſibi, & nobis poſſeſſionem Eccleſiæ deligit ex genere humano, motus dignitate promißionis, quam Iacobo, quem amat, dederat: ſtirpe illius pulueris in modum aucta, & ad mare, ad orientem, ad ſeptentrionem, & ad meridiem propagata.

V. VI. VII.

Aſcendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ.

Pſallite Deo noſtro pſallite: pſallite Regi noſtro pſallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus; pſallite ſapienter.

Repetitio

Repetitio ἐξεργαστική. Nam & propoſitionem alijs, atq; alijs verbis iterat: & exhortationem exordij replicatam interponit. E terra extulit ſeſe Chriſtus Deus cum ouatione: cum gratulatione, & tubæ ſonitu in cœlum, quæ ſummæ eſt poteſtatis, gloriæq; firmæ, & ſtabilis poſſeſsio, inuectus eſt Dominus. Concelebrate Deum cantu: laudibus efferte regem noſtrum: Deus enim regnum tenet orbe toto: laudibus extollite eum ſapienter. Iubilus, ſeu clamor lætus, ἀλαλαγμὸς, tubæq; vox, φωνὴ σάλπιγγος doctrinæ eſt, qua nos Deus in gratiam, cognationemq; ſuam recipit, & adoptatis in filiorum nomen Spiritum ſanctum impartitur, magna cum animi mentis lætıcia, iucunditateq; celebratio. Ea enim in omnes orbis terrarum partes, fama de ſalutari Chriſti imperio diſſeminata, percrebuit. Quod iubet ſapienter, συνετῶς, ſeu doctè, eruditè, ſcitè, intelligenterq; pſallere, eam vim habet: vt verbum diuinum magna cum cura, reuerentiaq; audiamus, amplectamur, profiteamurq;, nihil à voluntate Dei abhorrens admiſcentes: quod non pauci facere aſſolent: qui quæcunq; in buccam veniunt pro oraculis effutire cœleſtibus nequaquam dubitant. Verbum Chriſti habitet in vobis opulenter ſumma cum ſapientia, docentes, & commonefacientes alius alium Pſalmis, & hymnis, & diuinis canticis gratis animis canentes Domino. Paulus Apoſtolus. Col. 1.

VIII. IX.

Regnauit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

ἐπιμονὴ, adiuncta doctrina de vocatione gentium, & extraneorum: qui & ipſi ſeſe in ſeruitutem Deo ſanctè, pieq; ſint dicaturi. An enim Iudæorum Deus tantum, nonne & gen-

tium? imo & gentium. Paulus. Deus rex eſt gentium, Deus
Rom. 3. *auguſtiſsimo ſuo ſedet ſolio. Principes, & qui ad rerum ſedent gubernacula, ac gentes, nationesq́; imperio coercent, ad populum aggregabuntur Dei Abrahamici: qui maxima apud clypeatos dignatione pollet, & authoritate. Quod dicit principes populorum congregatum iri ad Deum Abraham, eumq́; à fortibus, κραταιοῖς τῆς γῆς, ſcutis terræ vehementer eleuandum: innuit primarios, & qui ſummum dignitatis gradum obtinent in Rebuſpublicis, repudiatis ſuperſtitionibus, Chriſto nomina daturos: vt non modò rex ſit ille plebeiorum, ſed Dominus etiam dominantium. Etiam principes aliquot Chriſti erunt cultores: non tantum piſcatores, publicani, meretrices, latrones, negatores, Eccleſiæ infeſtatores. Hagnon. Vocat autem reges ſcuta, vt Oſeas, clypeos, per metalepſin: quod propugnare pro ſubditis, eorumq́; res, & fortunas defendere, ac tueri debeant.*

PSALMVS XLVIII.

HIEROSOLYMAE VINDICATAE.

EST & hic Pſalmus εὐχαριστικὸς, non abſimilis ei, qui proximum anteceſsit. Laudibus enim effert Deum propter Hieroſolymas ab iniurijs, armisq́; aduerſariorum regum, tyrannorumq́; prohibitas: qui cùm iracundia, furoreq́; elati, euerſum eam veniſſent, turpiter oppugnationem relinquere, & templo, religioni, cultuiq́; diuino ne minimo quidem detrimento allato, recedere, ſuaq́; repetere ſunt coacti: ſeruante nimirum promiſsiones ſuas Domino: qui ſe fore populi ſui Deum, hoc eſt, defenſorem, propugnatoremq́; erat pollicitus. Sic enim habet verſus octauus. Quod audiuimus, credidimusq́;, re ipſa experimur: diuino hanc vrbem patrocinio ab omnibus periculis, da-

lis, damniſq; tutam eſſe, & incolumem. Chriſtiani hoc Pſalmo gratias agunt Deo, pro defenſa Eccleſia, & ſalutaris doctrinæ conſeruatione contra furores aduerſantium veritati: qui, licet nihil non malorum, calamitatumq; moliuntur Eccleſiæ, ſummo tamen cum dedecore, infecta re conſilia, machinationesq; ſuas abiicere, & Euangelium ipſum integrum, inuiolatumq; relinquere coguntur.

I.

Magnus Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius.

Propoſitio. πρότασις. Magnus eſt Dominus, & honore maximo in ciuitate, & in monte auguſto ſuo dignandus. Quo nihil eſt maius, nihil fortius propugnat pro ciuitate ſua Deus: eamq; acriter contra aduerſarios tuetur, & defendit: quare honore, cultuq; adficiendus, eiusq; laudes grata à nobis commemoratione celebrandæ ſunt. Ciuitas Dei, Eccleſia. Mons, regnum Chriſti.

II. III.

Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Zion: latera aquilonis ciuitas Regis magni.

Deus in domibus eius cognoſcetur: cum ſuſcipiet eam.

Digreßiuncula ἐγκωμιαστική, qua laudat montem Sionium à pulchritudine, ſitu, & Domino. Mons Sion termitis inſtar voluptas eſt regionis vniuerſæ, ſitus ad latus Aquilonare: quem incolit rerum omnium moderator, & Dominus: qui præſidium eius, noctesq;, diesq; in defenſionem illius eſt intentus. Merito nominat Sionem orbis terrarum expectationem,

 iucun-

iucunditatemq́;. Salus enim, inquit Christus, ex Iudæis eſt: & propter piorum nationem regna, & imperia conſeruantur: vt ex hominibus omnium ordinum, & gentium comparet ſibi Deus Eccleſiam perpetuam.

Ion. 4.

IIII. V.

Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt: conuenerunt in vnum.

Ipſi videntes ſic admirati ſunt: conturbati ſunt, commoti ſunt.

Narratio. διήγημα. Coniurarunt potentiſsimi reges in exitium, diſturbationem vrbis huius: iamq́; copias ſuas admoturi erant: cùm conſpectis mœnibus tantus eos terror inuaſit: vt turpiter ab oppugnatione deſiſtere neceſſe habuerint.

VI. VII.

Tremor apprehendit eos: Ibi dolores vt parturientis.

In ſpiritu vehementi conteret naues Tharſis.

Εικὼν gemina, quarum alterius ἀπόδοσις, redditio, omiſſa eſt. In anguſtias adducti ſunt, qualibus parturientes ſolent eſſe: non minor eos cruciauit dolor, quàm quo in pariendo mulieres laborant. Vt naues Cilicum procellis, & tempeſtate marina in maximè diuerſa loca diſijciuntur: ſic ingentes quas comparauerant copiæ vi numinis ſunt diſsipatæ. Naues Tharſis, maris mediterranei ſunt, à Tharſo vrbe Ciliciæ.

VIII.

Sicut audiuimus ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum: in ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum.

ἐπιφώνημα. *Antegreditur in rebus diuinis Fides, ſequitur experientia. Quod promiſit Deus ſe auxilio fore populo ſuo, id re ipſa experti ſumus.* μύθοισι γὰρ ἔργον ὀπηδεῖ. *Qualia auditione accepimus, talia videmus in vrbe Domini exercituum, in vrbe Dei noſtri: quam Deus ipſe firmat, & cuſtodit in perpetuum. Eccleſiam inferorum portæ non ſuperabunt. Chriſtus.* Matth. 16.

IX. X.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus ſic & laus tua in fines terræ: iuſticia plena eſt dextera tua.

Gratiarum actio. εὐχαριστία. *Mente, cogitationeq́; bonitatem tuam complectimur: memori animo, grataq́; lingua beneficentiam tuam prædicamus: qui vrbi huic, & in quo ad preces implorantium auxilium tuum benignas aures adhibes, templo ſancto tuo præſides. Vt enim de nomine tuo commemoratum eſt nobis: ita ſeſe habet etiam pertingens ad vltimas terrarum oras laus tua: quod, quidquid geris rerum omnium, iuſticia ſit, & æquitate plenum. Quod Iudæis templum fuit, hoc nobis Chriſtus eſt, & Eccleſia: in qua ſuſcipimus, hoc eſt memoria grata recolimus Dei beneficia: & illius, qui & poteſt, & vult propugnare pro ſuis, eosq́; ſalute afficere, opem, auxiliumq́; expectamus.*

XI.

Lætetur mons Zion & exultent filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.

Exhortatio, προτροπή *vt defenſorem, & patronum ſuum agnoſcant Hieroſolymæ: eiusq́; ſalutari defenſione lætentur. In appellatione montis Sionij, & filiarum Iudæ Synecdoche*

che eſt, & metonymia: nam & pars pro toto, & puellæ pro incolis, ciuitatibusq; ipſis ponuntur. Perfuſus voluptate gaudeat mons Sionius: & puellæ Hebrææ lætitia exultent propter vindictam: qua in libertatem tuos adſeruiſti, & pœnas ſumpſiſti de hoſtibus.

XII. XIII.

Circundate Zion & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Ponite corda veſtra in virtute eius: & diſtribuite domos eius vt enarretis in progenie altera.

Obite vrbem ſanctam: oculis animisq; intuemini magnificentiam eius: aduertite mentem ad propugnacula: notate acie oculorum palatiorum altitudinem: vt ad omnem poſteritatem laudes eius celebrare poſsitis. Iubet nos Spiritus ſanctus, vt pro ſua quiſq; parte omnes curas, & cogitationes, omnia ſtudia, & officia ad ornandam, & amplificandam ciuitatem Chriſtianam, quæ Eccleſia, conferamus.

XIIII.

Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi: ipſe reget nos in ſecula.

Clauſula. In quam ſemel ingreſſus eſt noſtri defenſionem, in ea, qui numen eſt noſtrum Deus, in omnem ſeculorum perennitatem permanebit: nosq;, vt cariſsimos liberos parentes, verbo, & fauoris ſui, dum vita ſuppeditabit, indulgentia fouebit, reget, & defendet, ne in morte quidem deſerturus: vt ex qua ereptos in vitam transferet beatam, & gaudijs omnibus affluentem.

PSAL.

PSALMVS XLIX.

AVARITIA.

AVere cupere eſt: inde auaritia, à nimia auendi cupiditate dicta, habitus eſt vicioſus, qui ſtudio corradendi, conſeruandiq́; pecunias nihil publicè, priuatimq́; in alios confert de ſuo: ſed cum defraudatione, & ſui & aliorum, dum in domum modò inferat aliquid, nihil ſordidum putat. Quare φιλαργυρία inquit Diphilus τοῦτ' ἔστιν, ὅταν ἀφεὶς σκοπεῖν τὰ δίκαια, τοῦ κέρδους διαπαντὸς δοῦλος ᾖς. Auarus es, quando minus cōſideras, quæ iuſta ſint, lucriq́; prorſus ſeruus es Et Euripides: ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ, οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται, φίλοις τ' ἄμικτός ἐστι, καὶ πάσῃ πόλει. Quicunq; ſatagit plura habere, nil ſapit, cupitq́; iuſti, durus, & grauis in ſuos ſimul & amicos, remq́; totam publicam. Auarus veluti infernus omnia deuorans, vellet nullum hominem eſſe: vt omnia ſolus poſsideret. Auguſtinus. Hæc alias πλεονεξία Græcis dicitur, & nomine generali ἀδικία. Apoſtolus εἰδωλολατρείαν nominat. Coloſ. 3. Colit enim Mammona, qui veluti Deus quidam regnum inter homines poſsidet, nutuq́; ſuo moderatur omnia. In hunc igitur Deū inuehitur hoc Pſalmo Propheta, & ſtultiſsimos eſſe docet eos: qui omnia ponunt in diuitiis: nec reputant apud animum, quantumuis magna vi pecuniæ non poſſe à morte ſe liberari. Hortatur autem pios: vt fidei ſeſe, ſuaq́; omnia committant, poteſtatiq́; Dei: vt qui ſolus à morte eripere, & felicitatem dare poſsit ſui colentibus ex omnibus bonis ſine vlla mali admiſtione cumulatam: cùm, qui Mammonæ ſtudent, & animum ſcelere, & fraudibus implicare ob congerendas diuitias minimè dubitant, pecudum inſtar vitam cum

morte

morte commutent: & ſpoliati, denudatiq; bonis omnibus ad inferos relegentur, & cruciatibus afficiantur ſempiternis. Μὴ γίνου φιλάργυρος, ἵνα μὴ ἀντὶ θεοῦ δουλεύσῃς τῷ μαμμωνᾷ. Ne ames pecuniam: ne pro Deo Mammonæ ſeruias. Chryſ.

I. II.

Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

Quiq; terrigenæ & filij hominum: ſimul in vnum diues & pauper.

Exordium μερισμῷ informatum: quo hortatur omnes mortales ad ea cognoſcenda, quæ propoſiturus eſt. Aures date mihi nationes, vniuerſiq; orbis incolæ: animum intendite, ciues obſcuri, plebeiq; terrigenæ, & orti genere claro, dignitateq; præſtantes filij hominum: tum fortunati, ac locupletes pariter, & paruis opibus, facultatibusq; prædit. Compellat Spiritus ſanctus omnium & gentium, & ordinum homines: quòd, cùm naturalis ſit quodāmodo habendi cupiditas, maxima pars mortalium auariciæ morbo iactetur: nec facilè reperias quenquam, cui non aliquando poßidendi auiditas negocij aliquid faceſſat: κρείσσων γὰρ οὐδεὶς χρημάτων πέφυκ᾽ ἀνήρ. *Superior opibus qui ſit haud mortalium eſt. inquit Sophocles.*

III. IIII.

Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabola aurem meam: aperiam in Pſalterio propoſitionem meam.

Ratio προσεκτικὴ: *non enim de vulgaribus, leuibus, & contritis, ſed rebus maximi momenti verba faciam. Os me-*

um

um ad doctrinam ſpectantia, ſapientiamq́; loquetur: mens prudenter cogitata diſſeret: audiemus præclaram ſententiam: ænigma momenti maximi Pſalterio pandemus. Vocat doctrinam ſuam ſapientiam, meditationem prudentiæ, parabolam, & propoſitionem, ſeu ænigma: quòd de contemtione opum, & diuitiarum ſententiæ, quaſi ſcirpi quidam obſcuri ſunt: & niſi ab afflatis à Spiritu ſancto intelligi non poſſunt.

V.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Propoſitio per interrogationem, πρότασις ἐρωτηματικὴ cur metum habeam malo tempore, circumdante me iniquitate calcaneorum meorum? Equidem tranquillo ſum, & quieto animo: neq; quidquam moueor vel rebus ſecundis aduerſariorum, vel ærumnis proprijs, & calamitatibus. Iniquitatem calcanei, τὴν ἀνομίαν τῆς πτέρνης, fraudes vocat, & vim iniuriasq́; ſibi ad uerſantium, reſpiciens nimirum tum ad illud. Tu mordebis calcaneum eius. Et. Frater me meus iam bis ſupplantauit. Gen. 3. Gen. 27.

V I.

Qui confidunt in virtute ſua: & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.

ἑρμηνεία. Interpretatio: qua, quid calcanei iniquitatem intelligat, explanat: homines nimirum qui fiducia opum ſublatos habent animos: & ſuarum diuitiarum abundantia prædicatione ſe efferunt:

οἷσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν ὑπέρβι ἔπλετο θυμὸς, quis facit inflatas grandis poſſeßio mentes: ideoq́;, pios, Deiq́; colẽtes proterere quaſi, & proculcare pedibus nequaquam dubitant: nam κόρος ὕβριος ἀρχή. Initium ferociæ copia. inquit Theologus: vnde etiam illa, τίκτει κόρος ὕβριν. Faſtum copia gignit. Et. ὑψαυχεῖ δ᾽ ὁ πολὺς πλοῦτος, καὶ εἰς ὕβριν ἀέξει.

Copia

Copia ceruices tollit, ſaſtuq́; ſuperbit iniuſto. Phocylides. Et. ὕβρις κόρου μήτηρ. Mater iniuriæ Satietas. Pindarus.

VII.

Frater non redimit: redimet homo? non dabit Deo placationem ſuam.

Ratio. Ideo nihil moueor quidquam vel iniuria, vel opibus aduerſariorum, & potentia: quia nulla vis pecuniæ tanta eſt, qua homines copioſi vel ſe, vel alios, quamuis arctiſſima ſanguinis cognatione ſibi coniunctos, liberare, & precium redemptionis Deo poſſint ſoluere. Eſtq́; hæc ratio ducta ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, & pecuniarum imbecillitate. Sic Chriſtus. Quid dabit homo cuius permutatione redimat animam ſuam. Nullus vos, qui confiditis in virtute veſtra, & in abundantia diuitiarum gloriamini, hoc ſciatis, quod nullus vos ab interitu redimat non pater, non frater: niſi homo Chriſtus Ieſus: qui dedit ſe ipſum redemptionem pro omnibus. Arnobius. Matth. 16.

VIII. IX.

Et precium redemptionis animæ ſuæ: & laborabit in æternum.

Et viuet adhuc in finem: Non videbit interitum.

Confirmatio rationis. Tanti enim conſtat recuperatio animarum, vt tentare eam ſuſtineat nemo: etiamſi vitam in terris viuat longiſſimam: aut, quod fieri non poteſt, nunquam patiatur interitum. Par rependi precium animæ nullum poteſt. Eur. Alc.

X

Cum viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens & ſtultus peribunt: Et relinquent alienis diuitias ſuas.

Ampli-

Amplificatio. Mortem omnibus hominibus communem; θανέειν enim, inquit Pythagoras, πέπρωται ἅπασιν, omnibus enim mors decreta: adeoq; ipſis etiam ſapientibus: ex quo ἀπὸ τοῦ μείζονος colligere nos vult Propheta: ſi ſapientibus quoq; definitus eſt exceſſus è vita: non eſſe, quod exiſtimentur diuites, quos eoſdem ſtultos, & fatuos, hoc eſt, ab omni pietate remotos, vocat, immunes fore ab interitu. Videmus certè quidem non ſapientes modò, ſed fatuos quoq; vitam cum morte commutare: neq; id ſolùm, ſed pecunias quoq;, poſſeſſionesq́; ſuas alijs fruendas relinquere. Largitur alicui Deus diuitias, & opes, & gloriam, ita vt nulla re careat, quam animo poßit expetere: nec eidem poteſtatem dat fruendi illis, ſed fruitur alius inquit Concionator. Et Chriſtus ad diuitem. O ſtulte, hac nocte repoſcent à te animam tuam: quæ verò paraſti, cuius erunt? Hanc ſententiam expreſſerunt etiam Poetæ. Eccl. 6. Lucæ 12.

Diuitis ad manes nil feret vmbra ſuos. Ouidius.
Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas,
Nudus ad infernas ſtulte vehere rates. Propertius.
Cedes coemptis ſaltibus, & domo,
Villaq; flauus quam Tiberis lauat:
Cedes, & extructis in altum
Diuitijs potietur hæres. Horatius.

XI.

Et ſepulchra eorum domus illorum in æternum: tabernacula eorum in progenie & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.

διατύπωσις, qua ponit ob oculos vanitatem diuitum, & ſtudia illorum inania deridet. Atq; opitulenti ſane homines in rerum fluxarum, commutabiliumq́; cogitatione defixi, curas ſuas, commentationesq; conſumunt in exædificatione ædium magnificarum, theatrorum, gymnaſiorum, delubrorum. Huc di-

rigunt conſilia, huc mentem intendunt, huc ſpectant animo: vt ſubſtructionibus inſanis, quæ in alias, atq; alias ætates durent, titulos ſuos poſteritati commendent: & nominis ſui famam ab obliuione hominum, atq; ſilentio vindicent. A nomine filij ſui Hanocho Cainus Hanochiam, Ninus rex à ſuo Niniuen, Alexander Alexandriã, alij reges alias appellarunt. qui vbi nunc ſunt? nempe vbi Tullus diues & Ancus, quos premit nox, fabulæq; manes.

XII.

Et homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

τὰ ἐκβησόμενα. *Verùm exitu miſero tandem, & infelici ſtudia, pompæ, & oſtentationes illorum concluduntur: adeò enim in exiſtimatione non permanent: vt etiam pecudum inſtar intereant. Qui cupiditate habendi, comparandarumq; diuitiarum, ac rei amplificandæ ardore nimio incenſi ſunt, ideoq; vtilitate, proprijsq; commodis metiuntur omnia: cum iam immenſas congeſſerunt opes, arcas repleuerunt, ædes ædibus, agris*
Luc. 12. *adiunxerunt agros, & cum diuite illo gratulantur ſibi: Anima habes multa bona in multos annos congeſta, requieſce, comede, bibe, indulge voluptati: ſubitò, qua minimè putant hora, è vita miſerè expelluntur, & more iumentorum horribiliter pereunt: idq; iure, & meritò, quòd in nullam rem cogitatione minus incubuerunt: quàm qua via, & ratione in Deo diuites euadere potuiſſent. Abutuntur hoc verſu Theologi de hominis lapſu ab integritate ſua: quod peccato ſuſcepto in exiſtimatione ſua non permanſerit, ſed ſimilis factus ſit beſtijs intereuntibus: atq; huc pertinet illud Auguſtini, vicium hominis, natura pecoris. Contra Pelag. & Cœleſt.*

XIII.

Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt.

Quam

Quam patrum, eandem quoq; ſtulticiam eſſe hæredum: qui licet vaniſsimam fuiſſe conſuetudinem, rationemq́; viuendi ſuorum fateri cogantur: nihilo minus tamen eorum inſtituto delectentur, & in rebus fallacibus, atq; inanibus ipſi quoq; felicitatis ſummam collocent. Hæc quidem ſtulticia ſunt pleniſsima: ſed laudant tamen ea nepotes, et poſteri: atq; ad maiorum inſtituta, mores, viuendiq́; rationem, & conſuetudinē accommodant.

XIIII.

Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos: & dominabuntur eorum iuſti in matutino: & auxiliū eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum.

Idem igitur exitus hos quoq; manet: nec id ſolùm: ſed diſcedent etiam in tenebricoſam, tetræq́; noctis terram, in obſcuram mortiferæ caliginis, & vmbræ ſedem, pœnis, ſupplicijsq́; ſempiternis mactandi. Vtitur Propheta imagine ſumpta ab ouibus, & pecoribus: quibus, vt ſuperiùs quoq; dixit, ſimiles ſunt diuites, ab orco deuorandi, & igne, ac ſulphure paſcendi. Huc reſpexit D. Petrus, cùm vocat impios pecora ratione deſtituta, nata in capturam, & interitum. 2. Pet. 2.

Et dominabuntur) *Antitheſis. Sed piorum longè erit alia conditio. Nam à quibus per vim oppreſsi fuerunt in hac vita, & peſsimè habiti, in eos dominabuntur mane, ſeu, in matutino: hoc eſt, cùm excitati à Deo fuerint in vitam beatam, & immortalem: cùm iſtorum, pompis abolitis omnibus, domicilium apud inferos ſit futurum. Ad illud: dominabuntur eorum iuſti, alludit Chriſtus, cùm apud Lucam inquit ad diſcipulos ſuos. Ego lego vobis, vt ſedeatis in tribunalibus iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et Paulus. Sancti iudicium de mundo facient.* Luc. 22. 1. Cor. 6.

XV.

Veruntamen Deus redimet ani-

mam meam de manu inferni : cum acceperit me.

Ratio felicitatis piorum. Et me, & piorum omnium animas vindicabit ab inferno Deus: quia adſciuit, & deſcriptos ad vitam, & immortalitati conſecratos electione gratuita in filios ſibi adoptauit. Poteſt etiam reſponſio videri ad obiectionem tacitam. Quia enim occurreret aliquis Prophetæ: falſa eum perſuaſionis opinione inductum, ſibi polliceri neſcio quam beatitudinis confictæ felicitatem: mori enim iuſtos, & in terram condi conſumendos à vermibus, & redigendos in nihilum: affirmatè reſpondet, aſſeueranterq́;: &, certè inquit, redimet Deus animam meam de poteſtate inferi: & reuocatum è ſepulchro, in quod inferendus ſum, vita donaturus eſt, nulla temporis circumſcriptione terminanda. Tunc ſtabunt iuſti multa cum audacia in eorum conſpectu: qui nos preſſerunt, & qui noſtros labores abſtulerunt. Autor Sapientiæ. Suſcepit vox, ſeu aſſumpſit, de aſcitu quoq; naturæ humanæ, & inductione carnis, cùm natus eſt de virgine filius Dei, poteſt intelligi.

XVI.

Ne timueris cum diues factus fuerit homo : & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

Exhortatio προ͂ τροπὴ. *Hactenus ſe ipſe docuit, & inſtruxit Propheta, ne offenſionem excipiat ex felicitate, & rebus proſperis eorum, qui, à pietate remoti, potentia ſua, diuitijsq́; freti alios per vim opprimunt: nunc medicinam adhibet etiam alijs cum fide, pietateq́; vitam colentibus: eosq́; monet, ne animos deijciant, vitamq́; ſibi acerbam putent: ſi quando vident hominibus improbis bene eſſe, eosq́; in rerum omnium abundantia viuere. Ne torpens obſtupeſcas, neq; affictes te, etiamſi vtatur aliquis re familiari ampla, & ſplendidas, magnificasq́; ædes poſſideat. Lucrum in arca damnum in conſcientia: Et quid*

prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur? Innocentius.

XVII.

Quoniam cum interierit non ſumet omnia neq; deſcendet cum eo gloria eius.

Ratio ex ſuperioribus repetita. Nemo enim diuitum in morte ſecum quidquam de ſuis rebus aufert, neq; eos ſua comitatur ad inferos gloria. ὁ πλούσιος ἀποθνήσκων μὴ δύναται λαβεῖν τὸν πλοῦτον σὺν ἑαυτῷ. *Moriens diues ſuas opes ſecum auferre non poteſt. Chryſoſtomus.* μόλις ἔνδυμα λήψεται καλύπτον αὐτοῦ τὰ αἰσχήμονα: καὶ τοῦτο ἐὰν δόξῃ τῶν οἰκετῶν τοῖς περιστέλλουσιν. *Vix indumentum aufert diues quod pudenda tegat: idq; non priùs, quàm ijs qui curant funus, placeat. Baſilius. Veræ diuitiæ non opes ſunt, ſed virtutes: quas ſecū conſcientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Bernhardus.*

XVIII.

Quia anima eius in vita ipſius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Expolitio, ſummam ille quidem felicitatem putat abundare diuitijs: neq; ſibi ſolùm de ſtudio cumulandarum opum, & captandarum voluptatum mirificè placet: ſed in alijs quoq; eandem cupiditatem laudat: teq; bene tibi conſuluiſſe exiſtimat: ſi ita rem tuam conſtabilias: vt indulgere tibi, & vitæ voluptariæ ſeruire poſſis. Benedicere animæ ſuæ, & benedicere ſibi in corde ſuo, blandiri eſt, & delicias ſibi facere.

XIX.

Introibit vſq; in progenies patrum ſuorum: & vſq; in æternum non videbit lumen.

Infelix, & calamitoſus diuitum exitus: quem & ſuperiùs deſcripſit. Sed accipit tandem dignum ſtudijs, cupiditatibusq́; ſuis premium: ſed & ipſe detectus ad inferos æternis ſupplicijs addicetur: & ſectam illius ſequentes, qui ὀπίσω χρυσίου πορεύονται, eandem quoq;, quam maiores miſeriarum viam ingredientur, lumen nunquam viſuri. Væ vobis diuitibus, Luc. 6. *quia recepiſtis conſolationem veſtram. Chriſtus.*

XX.

Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

ἐπιφώνημα. *Homo, cui diuina benignitas opes largita eſt, & diuitias, ſi non ſapit, & datorem illarum agnoſcit: ſed corpus tantùm excolit: ſeq́; totum in illo conſtituit, & collocat: tandem lautis veſtimentis, equis, auro, argento, familia, cæteriſq́; rebus huiuſmodi, quibus oculos intuentium ſeſe putat poſſe perſtringere, exutus omnibus, non ſecus, ac brutum animal, interit.*

PSALMVS L.

RELIGIO SEV CVLTVS DEI.

DOcet hic Pſalmus quinam veriſsimus ſit, puriſsimusq́ cultus Dei, & ſacrificium cœleſti maieſtati gratiſsimum. Qui nugatorijs ceremonijs, & ſuperſtitioni dediti, veram iuſticiam humano labore, atq́ induſtria comparari poſſe confidunt: de actionibus ſibi, meritisq́ ſuis placent adeò, vt exiſtiment Deum obſtrictum ſibi propter illa, obligatumq́ eſſe, eaq́ ſingulari cum gratiarum actione excipere debere. At verò inuertit rem Deus; & beneficijs, quibusq́ nos explet momentis ſingulis muneribus ſuis, omnia

nos

nos poſteriora ducere, & celebrare vult ea grata memoria animi, ac ſermone. Expreſsis autem, & claris verbis pronunciat Propheta, & inuocationem numinis in rebus triſtibus, ac calamitoſis, & gratiarum actionem, ſimulatq; res iacentes, & afflictas noſtras recreatas experimur, cum ſanctiſsimum eſſe æternæ naturæ cultum, & ſacrum Deo acceptiſsimum: tum viam, quæ ducit ad vitam beatam, & immortalem, vnicam, & rectiſsimam. Neq; verò hoc tantum elogio ornat ea: ſed ſolutionem quoq; vocat ſponſionis votorum, non quidem eorum, quibus ſeſe homines, falſa religione imbuti, obligant: ſed quibus in lege vox ſibi diuina nos obſtrinxit: qualia ſunt: vt Deum omnis boni autorem, verum, ſapientem, iuſtum ea, quam nobis verbo ſuo enunciauit, ratione colamus: nos, noſtraq; omnia poteſtati, fideiq; eius committamus, preces ardenti fide incenſas ad illum fundamus: laudibus, & gratiarum actione illum celebremus. De quibus votis ſimulatores pietatis, qui, cum longiſsimè diſtent ab excellentia, præſtantiaq; iuſticiæ eius, quam Deus requirit à nobis, ſtulta tamen ſanctitatis perſuaſione mirificè efferunt ſeſe, ne per ſomnium quidem aliquid acceperunt.

I.

Deus Deorum Dominus locutus eſt: & vocauit terram: à ſolis ortu vſq; ad occaſum.

Exordium προσεκτικὸν: quo ad Deum ipſum autorem, quem introducit loquentem, quæ dicturus eſt hoc carmine, refert. Rerum omnium præpotens, Rex Regum, & Dominantium Dominus Deus fortiſsimus conuocaturum ſeſe dicit orbem terrarum,

quaq́; patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Deorum appellatio, & mentibus tribuuntur cœleſtibus in ſacris literis, & magiſtratibus. Vide Aug. lib. 9. de Ciu. Dei cap. vlt. Eſt igitur Deus deorum, cum angelorum, tum regum, ac principum omnium moderator, & Dominus Ieſus Chriſtus, ad cuius nutum, voluntatemq́; omnes conuertantur. Terra per metonymiam qui continentur, & comprehenduntur terrarum ſolo homines ſunt. Stapulenſis ex Hebræo Deus, deus Dominus legendum cenſet propter myſterium ſacratæ Triadis.

II.

Ex Zion ſpecies decoris eius: Deus manifeſtè.

Locus vnde in omnes terrarum fines longè, lateq́; verbum Dei ſit propagandum. Iamq́; adeò, quo nihil pulchrius, nihil eſt formoſius, ſplendor Dei auguſtiſsimus, ex Sione emicat. Sion ipſa eſt Hieroſolymorum ciuitas. Ea enim in vrbe cœpit primùm iubente Domino, & Deo noſtro Chriſto, inuulgatio Euangelij: quòd ineptas ceremonias, & cultus ſuperſtitioſos, quibus demereri conantur, à vera cognitione Dei remoti homines, cœleſte numen, damnat: & Apoſtolorum voce in cunctas
Lucæ 24. *nationes eſt dilatata. Incipietis ab Hieroſolymis. Chriſtus.*

III.

Veniet Deus noſter & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.

Attentionis repetitio, admixta διατυπώσει. Absq; dubio veniet Dominus, nec ſilebit diutius: cum ignis vaſtus vorans, & conſumens omnia antecedet, ipſeq́; turbine vehementi circumdatus, & tempeſtate, accerſet supernè cœlos, atq; terras, ad ſuos iudicandos, vindicandosq́;. Ignem turbinem et tempeſtatem, πῦρ καὶ καταιγίδα, vocat Euangelium ipſum, & doctrinam

cœleſtem

cœleſtem propter effectus: de quibus Chriſtus Dominus apud Lucam ad hunc modum. Veni ignem iniectum in terram, & quid volo niſi vt incendatur: Luc. 2. *Vt enim ignis in omnia, quæ corripuit, graſſatur, eaq; aut cremat, aut purgat: ſic doctrina reconciliationis incendio quaſi vaſtat vniuerſa: & flamma ſalutari mentes vrit. Turbo verò, vt, quæ ſua vi inuoluit, ea peruertit, & diſsipat: ſic eadem doctrina, non ſua quidem, ſed hominum culpa aduerſantium veritati, ita diuellit omnia, diſtrahitq;, vt etiam coniunctiſsimorum concordia dirimatur. Arma militiæ noſtræ non humana ſunt, ſed potentia diuina ad munitionum demolitionem: quibus armis cogitationes deturbamus, & omnem ſublimitatem elatam contra Dei cognitionem, omnemq; mentem ad obœdiendum Chriſto cogimus. Paulus. Auguſtinus priorem partem verſus huius de ſecundo Chriſti aduentu interpretatur de Temp. Ser. 220. Item lib. L. H.* 2. Cor. 10. *Hom. 28. & Tract: 4. in Ioh. Euang. Sed & poſteriorem, cum ſequentibus aliquot, de eodem. De Ciui. Dei 20. cap. 24.*

IIII.

Aduocauit cœlum deſurſum: & terram diſcernere populum ſuum.

ἐπιμονὴ. *Teſtes faciet, qua pro ſuis pronunciabit ſententiam, concionis ſuæ cœlum, & terram. Quæ certa eſſe, & indubitata vult ſcriptura ſancta, ea confirmatione cœli, & terræ conteſtatur. Sic Moſes in cantico ſuo. Attendite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Deut. 32.

V.

Congregate illi Sanctos eius: qui ordinant Teſtamentum eius ſuper ſacrificia.

πρότασις. *Propoſitio de vero Dei cultu verba faciam. Tribuit Deo ipſi ſermonem, eumq;, tanquam loquatur præſens, introducit. Congregentur ad me pij mei, qui ſeruant teſtamen-*

tum meum ſuper ſacrificijs. Conuocate eos qui ritus ſacrorum, & cæremonias, quibus à Moſe ſunt obſtricti, tuentur: vt doceam eos, longè alijs in rebus pietatem ſitam eſſe, quàm in externa illa, & in oculos incurrente ſacrorum obſeruatione.

VI.

Et annunciabunt cœli iuſticiam eius: quoniam Deus iudex eſt.

Mutatio perſonæ. Et iuſticiam meam oſtendent, ſignificabuntq; cœli: nam Deus ipſe iudex erit. Cœlos οὐρανοὺς *vocat Apoſtolos, quibus promulgationem Euangelij ſui credidit, & commiſit Chriſtus, iuxta illud. Cœli enarrant gloriam Dei. Quæ eſt autem iuſticia* δικαιοσύνη θεοῦ *alia, quàm quæ conſiſtit in peccatorum venia: & qua vindicamur ab hoſtibus noſtris, & ex manu omnium qui nos oderunt.*

VII.

Audi populus meus & loquar: Iſrael & teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum.

Narratio, ſeu concio ipſa diuina. Pateant ad loquentis tibi ſermones aures tuæ popule mi: conſidera cum animo tuo Iſraelita docentis te commonitiones. Deus ego ſum, Deus præſes, cuſtos, & patronus tuus. Orditur à capite legis, hoc eſt, Decalogi mandato primo: quo ad conſiderationem voluntatis diuinæ, & meditationem bonorum, quæ in nos cæleſtis confert benignitas momentis ſingulis, omnes omnium ordinum mortales excitat: & diuini cultus fundamentum rectam Dei cognitionem, & ſcientiam eſſe oſtendit.

VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

Non in ſacrificijs tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

Non

Non accipiam de domo tua vitulos: neq; de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum : iumenta in montibus & boues.

Cognoui omnia volatilia cœli : & pulchritudo agri mecum eſt.

Si eſuriero non dicam tibi : meus eſt enim orbis & plenitudo eius.

Nunquid manducabo carnes taurorum ; aut ſanguinem hircorum potabo.

Non tibi litem intendo propter ſacrificia, non in crimen voco propter hoſtias ſolidas: nec vitulos ex domo tua, nec hircos requiro ex caulis. Nam belluæ ſylueſtres omnes meæ ſunt : meæ ſunt animantes, quæ

mille in collibus errant : recenſeo montanas volucres, quæq; aſpera dumis Rura tenent pecudes. Si cibos mihi ſumere neceſſe fuerit, haud equidem te rogabo, quæ comedam : cum meus ſit, ex nihilo productus à me, mundus, & quidquid complexu eius coercetur : ſcilicet vel ſtrage pecudum, vel carnium nidore teneor : ſcilicet taurinis extis famem placabo : aut hircino ſitim ſanguine reſtinguam. Ego tuus ſum Deus : non tu meum numen exiſtis : nec tu mihi quidquam dare, aut conferre potes : Sed ipſe lucem, qua frueris, ſpiritum, quem ducis, commoda deniq; vitæ omnia, quibus vteris, effuſè copioſèq; largior. Quid mihi cum multitudine ſacrificiorum veſtrorum? holocauſtis arietum ſatur ſum, adipem ſaginatorum faſtidio, boum, agnorum, & hircorum ſanguine non delector.

Sacra,

Sacra, quæ ſumma religione, ceremoniaq́; vt conficerentur,
Eſa.1. *inſtituta erant à Moſe, eò referri volebat Deus: vt cùm alijs de*
rebus docerent, & commonerent populum: tum præcipuè ad
cogitationem, meditationemq́; excitarent veri ſacrificij, & æ-
terni: quo filius, aſſumta carne humana, factus hoſtia suppli-
cio, ac morte ſua peccata mortalium expiaturus, & ſalutem,
vitamq́; beatam credentibus allaturus eſſet. Ac ſanè qui hac fi-
de prælucente, προκηρυγμένης πίστεως ταύτης, ritus ſacrorum
colebant, non poterant non placere Deo: non quidem ceremo-
niarum obſeruationis, quæ ſuſceptas peccati maculas aboleret,
ſed futuræ victimæ gratia. Verùm vt ſuperſtitio religionem
imitatur: & nunquam non oppreſſit animos, atq; hominum
imbecillitatem occupauit: ſic in populo quoq; Dei accidit. Ma-
xima igitur pars, amiſſa vera ceremoniarum vſurpationis in-
telligentia, in eam opinionem venerant, propter perfunctio-
nem, quod ex opere operato dicunt barbari, ſacra ipſa placere
numini cœleſti: & corpoream victimam eſſe expiationem deli-
ctorum, eaq́; veniam ſibi, & gratiam Dei reconciliari. Itaq;
fiebat, vt & frequentarent ſacrificia: & ſine modo cumula-
rent: atq; in perfunctione illarum externa ſitam eſſe pietatem
arbitrarentur. Ad quem finem quòd illa Deus non inſtituiſſet:
meritò ea reijcit & repudiat cùm hoc loco, tum apud Eſai-
am, vt paulò dictum eſt ante: & Hieremiam. Non præcepi pa-
tribus veſtris de holocauſtis, & quæ ſequuntur. ὁλόκαυσον,
ὁλοκαύτωμα, καὶ ὁλοκαύτωσις *ſolidam hoſtiam ſeu ſacri-*
ficium ſignificat Latinis. Id totum cremababatur in ara, &
flammis exurebatur: fiebatq́; vel ex boue vel balante, hoc
eſt, oue, aut capra, vel aue, turture, & columba. Hoc loco v-
ſus eſt Propheta ſpecie pro genere, ſacrificijs nimirum omni-
bus, tum quæ cum ſanguine: tum quæ ſine ſanguine fiebant, vt ſa-
cris pro ſalute, noxarū & priuatarum, & publicarum expiatio-
nibus, & quæ preterea referuntur in libro Moſis, qui Leuiti-
cus inſcribitur. Extat apud Auguſtinum Epiſtola ad Marcelli-
num. In ea diſputat cur Deus, ſpretis veteribus ſacrificijs, dele-

ctæ

ctatus ſit nouis. Eam, etſi ad noſtrum inſtitutum parum facit, omnino tamen rerum ſacrarum ſtudioſus conſulet.

XIIII.

Immola Deo ſacrificium laudis: & redde altiſsimo vota tua.

Reprehenſa ſuperſtitioſa frequentatione ſacrorum, nunc, qui ſint veri cultus, quos ſibi velit adhiberi Deus, exponit. Macta Domino grati animi memoriam, & cum expertus fueris opem, & auxilium meum in rebus triſtibus, & calamitoſis, ac voueris celebraturum te eſſe nomen Dei: ſtudioſè id, diligenterq; exequitor. ῥέζε θεῷ θύος ἡδύ: θεὸς γὰρ οἱ αἶνος ἐτύχθη. *Suaue Deo fer libamen non victima laude Gratior eſt illi. Appollinarius. Deum nemo inuocare, eiusq; miſericordiam celebrare poteſt: niſi qui de voluntate illius certior factus illum nouit. Nouit autem nemo niſi filius: & cui filius voluerit patefacere. Ex quo conſequitur: eos demum rectè colere, & rite inuocare Deum: qui fiducia vindicis, & parentis libertatis noſtræ Ieſu Chriſti, ad illum accedunt: & meritam ei gratiam honoribus iuſtis, ac memori mente perſoluentes, omnium ſuarum rerum defenſorem illum, adiutoremq; adoptant. Non eget Deus conditor vniuerſitatis odoris, aut ſanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula ſunt. Tertullianus.*
Redde.) *Omnes vno voto, promiſſoq; tenemur, quo in primi præcepti verba ſponſionem fecimus: quam Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, numen aliud non habituros: eum toto corde, animo & mente amaturos: fidenter miſericordiam illius imploraturos, in eaq; ſpem, cogitationem, curamq; omnem poſituros: laudibus laudes eius cumulaturos: nos, noſtraq; omnia tutelæ eius commiſſuros: ac deniq; ad illius voluntatem, in qua procuratio commodi proximi noſtri continetur, mores, ſtudia, & actiones noſtras accommodaturos eſſe. Hoc vnum tuum eſt, ſi puro corde mihi laudes effundas: & reddas mihi votum, quod in Baptiſmate poſitus deuouiſti: quo te renunciaturum*

turum Diabolo ſpopondiſti: & mea promiſiſti ſeruaturum te eſſe mandata. Arnobius.

XV.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te & honorificabis me.

Præceptum, & promiſſio. In miſerijs, & ærumnis ad opem, & auxilium meum fidenter confuge: quod ſi feceris, polliceor tibi præſidium meum: vt mirabiliter vindicatus, & ereptus ex malis, & periculis omnibus læto ore nomen meum, laudesq; celebrare poſſis. Huc pertinent illa. Per eum afferamus aſsiduum laudationis ſacrificium Deo: hoc eſt, fructum labiorum celebrantium nomen eius. Et. Quòd ſi ore Dominum Ieſum confeſſus fueris (quod eſt ſacrificium laudis) & à Deo ex mortuis excitatum animo credideris (quod ſolutio voti, hoc eſt ipſa fides) ſeruaberis. Nam corde creditur ad iuſticiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem. Quiſquis autem nomen Domini inuocauerit, ſaluus erit. Ita vult innoteſcere Deus, ita vult ſe coli: vt ab ipſo accipiamus beneficia propter ipſius miſericordiam, non propter merita noſtra. Phœnix Apologia.

Heb. 13.
Rom. 10.

XVI. XVII.

Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſticias meas: & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum?

Tu verò odiſti diſciplinam: & proieciſti ſermones meos retrorſum.

Ἀντίθεσις, quæ reprehenſionis ſuperioris quaſi interpretatio quædam eſt, & expolitio. Obiurgat autem hypocritas, & ſimulatores, oſtentatoresq; pietatis: qui, cùm Deum verbis quidem profiteantur, factis verò negent, externam tamen obſeruationem ſacrificiorum diuinæ maieſtatis cultum eſſe videri volunt: & ad vulgum polluti, & conſcelerati animi ſordi-

ſordibus religionem obtendunt. Impium autem ſic affatur Deus: qua fronte tibi intelligentiam Dei arrogas, & inſtituta mea enarras? quorſum verba facere audes ijs de rebus: quæ libro fœderis, quod cum populo meo pepigi, continentur: cùm legem viuendi, diſciplinamq́; exoſus dicta mea repudies: adeoq́; omnem timorem Numinis ex animo deleueris. Hunc, et ſequentes verſus explicat Auguſtinus lib. 2. contra Parmeniani epiſtolam aduerſus eos, qui à Donato nomen habebant. Item Creſconium Gramm. lib. 2. Sed & Epiſcopus Conſtantiæ Cypri narrat quiddam de verſu 16. contra Origenem: quem, qui volet, inſpiciat.

XVIII. XIX. XX.

Si videbas furem currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.

Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris: & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.

Commemoratio fructuum: qui Hypocritarum ſimulationem pietatis, & contemtum verbi diuini ſequuntur: à parte ad totum. Si aliena nefariè in ſuam rem conuertentem conſpexiſti, ſocietatem cum eo inis: & cum labem inferentibus pudiciciæ alterius habes commercium: os tuum laxas ad malum, lingua concinnas fraudes: ſedens fratris tui nomina falſa infamia maculas: ore ignominiæ labem inſers ei, cum quo tibi communis mater eſt. Huc facit illud Apoſtoli. Qui alium doces, te ipſe non doces: qui prædicas furandum non eſſe furaris: qui dicis, non adulterandum, committis adulterium: qui execraris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, contra legem committendo, Rom. 2.

ſendo, Deum dedecoras. Furum, & adulterorum appellatio ἀλληγορικῶς ad impios doctores accommodari poteſt. Fur
2. Cor. 4. *non venit, niſi vt furetur, vt mactet, vt perdat. Chriſtus. Non*
Ioh. 10. *adulterantes verbum Dei. Paulus. Conſortes, & participes aliorum delictorum fiunt, qui delinquentibus copulantur. Cyprianus.*

XXI. XXII.

Hæc feciſti & tacui: Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis: arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum: ne quando rapiat & non ſit qui eripiat.

Comminatio. Ἀπειλή. Non impunè habituros hypocritas, & ſimulatores impietatem ſuam. Tot, tantaq; ſcelera me diſſimulante faciens, ex ingenio me tuo iudicas, ſimilemq; impiorum arbitraris: At ego coarguam te, & poſitis tibi, quæ perpetraſti, ſceleribus ante oculos, præſentem conuincam. Animaduertite igitur hoc, & apud animum reponite: qui nullam vim cœleſtem arbitramini: aut certè labijs tantùm me honoratis: cùm animus veſter abſit à me procul: ne corripiam indefenſos, ἀμύντορος οὐ παρεόντος. Vide Auguſtinum lib. L. Hom. Hom. 2.

XXIII.

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.

Concluſio, Pſalmi ſummam continens. Qui lauatur, mundatur, remouet ingenij ſui prauitatem de meo conſpectu, deſinit malefacere, quærit bonum, æquitati ſtudet, omnem ſa-

lutem in clementia mea conſtituit: ille me honore verè afficit: & hac via gradienti ſalutem Domini oſtendam: eumq́; beatitudine afficiam, & felicitate nullis ſeculis terminanda. Quid eſt ſalutare Dei, niſi Filius Dei, Saluator Mundi? Auguſt. Orat. contra Iudæos. Qui ſibi ſe iuſtos eſſe perſuadent, hoc eſt, ſine fide qui ſunt ſancti, ſemper Deum donis ſtudent afficere: quaſi indigeat ille hominum liberalitatis: cum Deus ſit ipſe, & munera in nos conferre & velit, & poßit. Nos enim illius benignitate ſingulis momentis opus habemus. Verum grati tamen animi memoriam ille à nobis poſtulat, & pro noſtro vt ipſum Deo habeamus, ſeuerißimè flagitat.

PSALMVS LI.

POENITENTIA.

HOC Pſalmo docet nos Dauides, primùm quid ſit peccatum, quiq́ ortus, fons, & origo eius: Deinde quantum mali, calamitatumq́ ſecum trahat. Poſtremò, qua via, & ratione liberari ab illo, atq́ in integrum poſsimus reſtitui. Neq́ verò expreſsiùs vſquam enodatam reperias vim, & naturam peccati: quod affirmat Propheta in intimis viſceribus hærentem, & penitus defixam in venis, ac medullis labem eſſe, & procliuitatem incredibilem ad delinquendum: quæ à primis parentibus in nos propagata, & contracta in ipſo conceptu, ad omnia flagitia, ſceleraq́ nos impellat: nec vllis virtutum actionibus, quantumuis ad ſummum perueniant, poſsit elui: ſed ſola Dei miſericordia in gratiam nos recipientis, & ſuo nos ſpiritu afflantis, atq́ ad effigiem cœleſtem renouantis, aboleri neceſſe habeat. Niſi enim iracundiam, pœnamq́ remittat Deus, & viuifica fauoris ſui aura in tormento doloris ex peccato recreet nos, & reſocillet: tanta vis eſt prauitatis inſitæ, vt contundat etiam, conte-

ratq́ꝫ oſſa: & in ſummas anguſtias adductos, in nihi-lum redigat. Gratia igitur, benignitateq́ꝫ Dei ſuſten-tari nos oportet: quod ſimulac factum eſt, & inſtin-ctu iam ſalutari Spiritus ſancti ad vitam cœleſtem, & beatam regeneramur: tum demum rectè de Deo do-cere, verè Deum inuocare, laudare, eiusq́ꝫ nomen, be-neficiaq́ꝫ celebrare: nec id ſolùm, verùm etiam cala-mitates, & omnes rerum aduerſitates perferre poſſu-mus. Quæ omnia ſacrificia Deo gratiſsima, cultuq́ꝫ maximè placentes Propheta vocat: contraq́ꝫ ſacra o-mnia, operaq́ꝫ, & facta eorum, qui rectam de numine cœleſti opinionem non habentes, ſuperſtitionibus obligati ſunt, & obſtricti, repudiat, & reijcit. Vt au-tem ſit locus, in quo cultus eiuſmodi æterno Numini exhibeantur: orat ædificari Hieroſolymorum vr-bem, quæ eſt, diuina ciuitas, ipſa Eccleſia, eamq́ꝫ cle-menter conſeruari, & defendi. Porrò occaſionem de-dit huic Pſalmo, quod cùm & ſtuprum cœca lapſus libidine Dauides commiſiſſet cum Betſaba, & Vriam maritum illius hoſtibus prodendum in prælio, inter-ficiendumq́ꝫ curaſſet, miſſus ad illum à Deo Nathan Propheta, primùm vltionem reprehenſo ὑποϐολῇ προσώπου, à domeſticis ſtupris, cædibus, propria fu-ga, & filiorum morte, deinde agnoſcenti delictum, ac crimen, & *PECCAVI* illud non fucatum pronun-cianti, clementiam, & fauorem diuinum denunciarat. Verum ſciendum eſt, non tantum de vnico illo, tum à ſe perpetrato peccato animo angi virum ſanctum: ſed propter vniuerſum plantarium criminum, ac mi-ſeriam, ingenitamq́ꝫ omnium hominum corrupte-lam dolenter conqueri, & lamentari: ac miſericordi-am, in qua vna ſita eſt vita, & ſalus noſtra, fidenter implorare: vtq́ꝫ idem faciant, exemplo ſuo, pios o-mnes, ſi quando de recto vitæ curriculo deflectunt,

cohor-

cohortari. Non eſt enim peccatum, quod fecit homo, quod alius non poſsit facere, ait Auguſtinus: ὅπως διὰ τοῦ πτώματος εἰς συναίσθησιν τῆς οἰκείας ἀσθενείας ἐλθὼν ταπεινωθῇ, καὶ προσελθὼν ἐξομολογήσηται τῷ κυρίῳ, vt eſt apud Damaſcenum. Nam ſoli Dei filio ſeruabatur ſine delicto permanere, inquit Tertullia.

I.

Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Propoſitio. πρότασις, *conueniens cum illo: Peccaui in Dominum:* ἡμάρτηκα τῷ κυρίῳ. *Elaborata eſt autem* κατασκευῇ (*facit enim ſtatim mentionem miſericordiæ diuinæ*) *&* ἑρμηνείᾳ, *idem ſignificantium verborum interpretatione, per* χιασμὸν, *ſeu* κύκλον. *Grauiſsimè te offendi Deus, ideoq; meritus ſum extrema omnia: ſed tu pro infinita miſericordia veniam tribue peccatis meis, & meis me ſceleribus pro interminata tua clementia ſolue. Quem edoctum ex lege, quæ ſpeculum quaſi quoddam eſt, in quo naturæ noſtræ vicia intuemur, peccatorum ſuorum pœnitet, erratorumq; piget, ſimulatq; cœleſti beneficio mente ab errore, inſaniaq; recepta, confirmare animum ad rectiùs viuendum incipit: nulla re magis afflictatur, cruciaturq;, quàm ſcelerum, & miſeriarum ſuarum recordatione: quæ metu iræ, & iudicij diuini perculſum eius animum ita anxium habet, & ſollicitum: vt quò vertat ſeſe neſciat. Quare verè, & ex animo miſericordiam Dei implorare non poteſt, qui conſilij aliquid, auxilijq; in ſe ſibi putat eſſe, nec eò miſeriarum redactus eſt, vt extra Dei bonitatem, ignoſcentiamq; rerum ſuarum modum, & rationem nullam reperiat. Quem igitur peccatorum conſcientia exagitat: quiq; morte peius (vt re vera eſt) alienum eſſe à Deo exiſtimat: cum Pro-*

pheta proſtratus, & gemens clamet. Me miſerum, qui immenſo malorum, & calamitatum pondere oppreſſus, omni prorſus auxilio, præſidioq; deſtituor. Vt enim omnes & homines, & naturæ omnia conſilia ſua conferant: neq; opis afferre mihi aliquid, neq; ex miſerijs me, & ærumnis his poſſunt eripere. A te igitur ô pater, fons pietatis, dator omnium bonorum, qui ſolus mihi mederi potes, pacem peto, & veniam. Tu cum eo qui ſalutis ſpem vniuerſam in miſericordia tua collocat, promiſſa bonitate age, & clementia: qua impuros ſeſe, & peccatorum maculis contaminatos eſſe confitentibus, gratiam facis omnium delictorum. Nulla enim ſcelera, aut maleficia tanta eſſe poſſunt, quin clementia tua infinitis partibus maior exiſtat. Miſericordiam Dei inuenit, qui ſe miſerum confitetur. Hieron. Verbo Miſerendi, ἐλεεῖν, clementiam Dei, ignoſcentiamq; apprehendit: eamq; celebrat contra legis, & naturæ noſtræ doctrinam: quæ & Deum iuſtum, ac vindicem ſcelerum, flagitiorumq; nobis proponit: & nos, quibus Deus inſenſus ſit, peccatis, & vicijs, coopertos eſſe conuincit. Sentit enim nimirum Propheta prauitatis, quam ex vtero materno afferimus, turpitudinem: quã quia liberari ſe non poſſe viribus proprijs intelligit: veniam implorat: &, depoſita omni temeritate, & confidentia, toto animo in gratuito fauore, & beneuolentia, qua à primis naſcendi initijs ad ſupremam vſq; vitæ horam & momentum opus habemus propitij Dei acquieſcit: vt qui non poteſt non confugientes ad ſeſe amore patrio, quantauis etiam peccatorum mole oppreſſos, complecti. Cum contra horribiliter iraſcatur, & grauiter animaduertat in omnes, qui vel in peccatis perſeuerant: vel inanitate benefactorum, & virtutum ſuarum confiſi, ſponte ſe eluere poſſe crimina arbitrantur. Deum autem cum nominat, eum intelligit: qui ſe patefecit patribus, & conciliaturum ſe inimicitias inter ſerpentem, & ſemen mulieris pollicitus, de voluntate ſua Eccleſiam verbo, & doctrina cœlitus tradita certiorem fecit: patrem ſcilicet promiſſi Patriarchis, & Prophetis, nobis verò exhibiti vindicis, & liberatoris noſtri Ieſu Chriſti: extra quem

& Deus

& Deus nullus eſt: & de numine cœleſti quicquid dici, fingiue poteſt à Iudæis, Mahometi ſectatoribus, ſuperſtitionibus obligatis hypocritis, & omnibus qui ſuis operationibus ſalutem acceptam referunt, cordis humani commentitium idolum ſit neceſſe eſt. Non enim poteſt ſummus ille ac ſingularis Deus, niſi per filium coli: qui ſolum patrem ſe colere putat, ſicut filium non colit, ita nec patrem quidem, inquit Lactantius. Et non eſt genitor niſi filius extet: nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas, canit Prudentius. Iam miſericordiæ, τοῦ ἐλέους, vocabulum vno quaſi faſce, & nos totos, ac quicquid ſumus, cogitamus, loquimur, & facimus, & Dei beneficia omnia comprehendit: quemadmodum multitudo quoq; miſerationum, τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν, innuit, nihil niſi peccatum nos eſſe: Deum verò, cuius miſericordia ſit tanta, vt ſi in vnum locum conferantur omnium hominum, quot ſunt, fuerunt & erunt, iniquitates, & peccata, longè tamen præponderatura ſit illis omnibus, benignum adeò in nos propter filium ſuum animum induiſſe, vt omnia noſtra peccata deleat, & de libro quaſi rationum obliterata prorſus tollat. Atq; hæc etiam cauſa eſt, vt addat μέγα ἔλεός σου, magnam tuam miſericordiam. Vbi enim exuberat, inquit Apoſtolus, peccatum, et plus eſt delicti, ibi exuberat magis, & excellit gratia. Quare cùm magnam implorat Rom. 5. miſericordiam Dei Propheta, innuit ſe magnum ſuum peccatum agnoſcere: quæ nota eſt animi de delictis ſuis verè Pœnitentis. Neq; enim magna ſibi opus eſſe miſericordia conqueri poteſt, qui paruum eſſe commiſſum ſuum arbitratur. Vnde hoc loco Auguſtinus: Qui magnam miſericordiam deprecatur, magnam miſericordiam confitetur. Et alibi: Qui delet iniquitatem, hoc eſt, non imputat, miſeratione abundat. Ex hoc conſequitur, quàm excellens res ſit, condonantis peccatoribus delicta ſua, gratia Dei, & benignitas, eos non intelligere, qui non totos ſeſe in peccatis ſitos, adeoq; nihil niſi vicium, & ſcelus eſſe confitentur. Verbo delendi vtitur etiam S. Paulus. Delens chirographum, quod aduerſum nos erat. Et Petrus. Pœnitentiam a- Col. 2. Act. 4.

gite, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Peccata enim in conſcientia noſtra legis calamo ſunt exarata : ea delentur, cùm propter Chriſtum in gratiam nos recipit pater cœleſtis, &, obliteratis ijs, ſpiritu nos ſancto donat, qui regignit nos, & renouatos in integrum reſtituit.

II.

Amplius laua me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

ἐπιμονή. *Expolitio per* εἰκασίαν, *imaginem. Etiam atq; etiam me à maculis viciorum elue, et à ſordibus peccatorũ purga.*

Tu fontes reclude tuos : tu flumina ſacra
Inuergens, multa impurum caput ablue lympha :
Atq; ora, atq; manus, oculosq́;, infectaq́; toto
Corpore membra : nec atratam minus elue mentem.

Iuſtificationis, qua nos pro innocentibus habet Deus, ſpecies reuera nullæ ſunt : vna eſt enim forma illius, obœdientia, litatus, mors, & iuſticia filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti : quæ condonatis prius, & abolitis peccatis, imputatur, & aſsignatur credentibus gratis : & adiunctam habet reconciliationem, adoptionem in ius liberorum, donationem primitiarum ſpiritus ſancti, & animi tranquillitatem, & læticiam in Deo : ſed docendi tamen, & rem explanandi cauſa, duæ quaſi partes haud incommodè deſignari poſſunt. Prior eſt gratia, ἡ χάρις, *qua cognoſcentes ex lege diuina, & confitentes ſincerè ſeſe impuros eſſe, in amicitiam recipit, & peccata eis remittit pater cœleſtis propter ſequeſtrum* μεσίτην καὶ ἱκέτην *Ieſum Chriſtum, cuius innocentia ornat credentes, & honeſtat : vt quem propoſuerit propitiatorium, & placamentum per fidem in ſanguinem eius collocandam : altera,* δωρεὰ ἐν χάριτι, *ſpiritus ſancti donatio, qui & hoc ipſum, vt ad humilitatem pœnitentiæ deiecti doleamus de peccatis, & ad miſericordiam, quæ offertur, fide apprehendendam reddamur aptiores, virtute legis diuinæ in mentibus noſtris efficit: & magis, magisq́;* διὰ χρόνου, *et per internalla*

teruallo ἡμέρα, & ἡμέρα, ab omni carnis, & ſpiritus labe purgatos renouat, vt ſanctimonia fungamur cum metu Dei: ad cuius vnius voluntatem, qua ex parte eam ipſe nobis enunciauit, doctrinam, mores, & ſtudia noſtra accommodemus. Miſericordiam conſequimur, & ius liberorum Dei, quo hæreditatem poſſeſſionum cœleſtium adire incipimus, quàm primum poſt angorem ob peccata conceptum, fide in filium ipſius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per ſacram baptiſmi lotionem ad cœtum credentium aggregamur, & quotieſcunq; deinde impuritate, immundiciaq; naturæ noſtræ animaduerſa, verè, & ex animo dolemus nos peccatis contaminatos eſſe: ideoq; ad precatorem confugimus: cuius iuſticia, puritas, & integritas in nos diuino beneficio vniuerſa transfunditur: verumenimuero non ideo etiam reliquiæ continuò peccati omnes abolentur: non ab omni naturæ infirmitate liberamur: ſed ſenſim, & minutatim quaſi, & per partes ad effigiem Dei renouari neceſſe habemus. Communicat igitur nobiſcum, ſimulatq; fauore ſuo propter filium nos, beneuolentiaq; proſequi cœpit Deus, ſpiritum ſanctum: qui etiam, atq; etiam, quod precatur hoc loco Propheta, lauando eluit iniquitates noſtras, & peccatorum ſordes abſtergit: tum verbo diuino, & ſacramentis: tum opppugnationibus eorum, qui ſuperſtitionibus dediti infeſtos erga nos gerunt animos: & calamitatibus, ac rebus triſtibus, quæ ab improbis hominibus, & diabolo nobis importantur: vt & ad retinendam veritatem excitemur: et in dies ſingulos caro, quæ eſt ipſa humana ratio, & ſapientia, continuata pœnitentia macerata, mortificataq; extinguatur, ſpiritus verò viuat.

III.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Ratio ſeu confirmatio, ἐπικατασκευή. Pœnitentia enim commiſſi criminis, et læſæ voluntatis tuæ acerrimi doloris mor-

ſu correptus ſum. Princeps, & ſumma iuſtificationis noſtræ cauſa eſt, προηγουμένη quidem immenſa Dei, & interminata miſericordia, reconciliantis ſeſe humano generi per vnigenam filium: προκαταρκτικὴ, irritatrix verò, litatus ipſe, & ſacrificium, ſeu meritum Domini, & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, mortem pro nobis, & cruciatus acerbiſſimos ſuſtinentis. Hanc & miſericordiam, & meritum hoc, cum, malleo quaſi legis in officina Sp. ſancti contuſa prius corda, quæ ſubiecti vice ſunt, ſeu ſtrati, καὶ ὑποκειμένου ſpiritu ſancto accenſa, & colluſtrata beneficio eiusdem fide apprehendunt, ſtatim ſeſe in gratia poſita cum Deo ſentiunt, & perfuſa lęticia cœleſti, pacata conſiſtunt, & tranquilla. At verò peccatorum ex lege diuina, & calamitatibus, quæ concio pœnitentiæ & ipſæ ſunt, agnitio, qua ſententiam aduerſum nos ferimus ipſi, & nos iræ diuinæ, & exitij æterni reos eſſe confitemur, ex genere eſt earum cauſarum, quæ ὧν οὐκ ἄνευ dicuntur: non quidem quod contritio, contuſioq́; animi, qui eſt inteſtinus dolor, quem contrahi recognitione peccati neceſſe eſt, ſit tanti, vt iurè nobis, meritoq́; propter illum gratiam delictorum Deus faciat: ſed quòd ſpiritus ſancti beneficio ex verbis pendet, & promiſſionibus cœleſtibus: quales

Eſa. 42. ſunt. Ego Dominus, qui deleo iniquitatem tuam. Et. Viuo ego di-

Hier. 18. cit Dominus, nolo mortem peccatoris: ſed vt conuertatur, & viuat. Angi nos animo, & morbi noſtri ſenſum capere, ac dolore de peccatis intimis ſenſibus oportet percelli: & auerſari, & odiſſe improbitatem, ſi miſericordiam velimus conſequi (qui enim ſe in morbo eſſe non ſentit, illi medicina fieri non poteſt. Vnde rectè Cyprianus. Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere, ſecundus, delicta cognoſcere. Et Bernhard. Prior iuſticiæ portio, non peccare: ſecunda per pœnitentiam peccatum damnare) ſed tamen in dolore illo, & agnitione delicti, & damnatione peccati, & conuerſione ad virtutem iuſtificatio non eſt: ſed in ſola miſericordia Dei, quæ nobis offertur verbo diuino: cuius promiſſionibus qui nititur, arma tenet, quibus vincere iram Dei, & ab eo miſericordiam quaſi extorquere poteſt. Idem hoc

loco

loco Dauides facit. Nam noxam meam, noui inquit, ex fœdita- te ſceleris ſenſum percipio: malum quod feci, vſq; eſt in oculis. Et fidem habeo verbo tuo, quod lege me peccatorem eſſe euincit, & nimis verè ſentio, experiorq; in quantis malis, miſeriisq; verſer. Ingerit enim ſeſe oculis meis momentis ſingulis monſtroſæ naturæ deformitas: & me animo tranquillo eſſe, ac conquieſcere minimè patitur: vt iam non querar, quoties animum ad rectius viuendum ex verbo tuo confirmo, quod nunquam non caro, contrà quam ſpiritus, & ſpiritus, contra quam caro, concupiſcat: & non quod volo faciam bonum, ſed quod nolo malum, id agam: verùm quia portum ſalutis, & perfugium proponis agnoſcentibus delicta miſericordiam tuam, ad eam confugio: &, vt ſuper me omnia flumina clementiæ, benignitatisq; tuæ inuergas peto. μέγα ἀγαθὸν τὸ ἐπιγινώσκειν τὰ ἁμαρτήματα, καὶ μιμνήσκεσθαι αὐτῶν διηνεκῶς. οὐδὲν οὕτως θεραπεύει πλημμέλειαν, ὡς μνήμη διηνεκής, οὐδὲν οὕτως ὀκνηρὸν ἄνθρωπον ποιεῖ πρὸς κακίαν. *Magnum bonum cognitio peccatorum, & meminiſſe eorum continenter: nihil æquè medetur delicto, ac memoria continens: nihil tam pigrum hominem facit ad peccandum. Chryſoſtomus.*

IIII.

Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Repetitio, ἐπανάληψις, *confeſſionis: quæ pertinet ad omnes omnium & ætatum, & ordinum homines: cum conſolatione, qua detractam ſibi, Propheta tribuit Deo iuſticiæ laudem, & gloriam veritatis. Inquit ſanè Ambroſius, & verè: Qui ſe accuſat, etſi peccator eſt, iuſtus eſſe incipit: quia nec ſibi parcit, & Dei iuſticias confitetur, quem putat latere nihil poſſe. Verumenimuerò animi noſtri craſſiſsimis tenebris circum-*

ſuſi ſunt: atq; in maxima & Dei, & ſui ipſorum ignoratione verſantur. Hinc fit, vt & iram Dei, qui omnibus numeris abſolutam à nobis iuſticiam poſtulat, grauiſſimeq; odit peccatum, verè non extimeſcamus: & miſeriam, ingenitamq; corruptelam naturæ non ſentiamus ſed aſſentemur potiùs, ac præclara de opibus noſtris opinione concepta nihil non ipſi nobis arrogemus. Ad quam ignorantiam cùm ſuperſtitio, & falſa ſanctitatis accedit perſuaſio: tum verò, licet culpari, reprehendiq; ſeſe homines, ſuaq; omnia verbo diuino audiunt: tamen eò prolabuntur dementiæ: vt non modò ſuis ſeſe viribus peccata expiare, ſed tantos etiam progreſſus in pietate, & vitæ innocentia facere poſſe ſibi perſuadeant: vt non queat non propter virtutes exaudire ipſos Deus: &, ſi quid forte titubatum ſit in actionibus, illud comparatione, & compenſatione maiorum benefactorum condonare. Verùm hoc pacto Deo, & veritatis, & iuſticiæ laus adimitur. Veritatis, quòd lege ſua pronunciat, nihil magis corruptum, deprauatumq; fieri poſſe natura noſtra. Iuſticiæ, quòd ſolus ex iniuſto, & impio, iuſtum, ſibiq; placentem faciat: hoc eſt non ſolùm condonet peccata pœnitentiam ſuo beneficio agenti: ſed etiam ſpiritum illi ſuum impartiatur, eumq; ſibi in filium adoptet: & promptum, alacrem, & paratum ad omnia virtutis officia reddat. Rectè igitur Propheta. Tibi ſoli pecco, & malum coram te facio ſemper, quaſi dicat. Ego quantus quantus ſum, nil niſi peccator ſum, Improbus tam animo, quàm corpore: neq; vllas vel vires prædicare, vel virtutes oſtentare poſſum: ſed non tamen ideo animum abijcio, non de omni ſpe ſalutis deturbor: verùm ad clementiam tuam conuertor, in eaq; ſpem omnem beatitatis conſtituo: vt, contra mundi iudicium, & omnium à vera pietate remotorum, qui non dubitant inquirere in verbum tuum, quaſi iniuſtè nos incuſes impietatis, & ad cauſæ tanquam dictionem vocare te, qui pro peccatis humano tibi labore, & induſtria ſatisfieri à nobis non patiaris, exemplum in me extet: verum eſſe, quòd ſolus iuſtus, & in faciendis promiſſis fidelis exiſtas, & exaudias

audias confugientes ad te: & peccata eis, non propter vlla merita, aut dignitatem, ſed gratis miſericordia genuina motus & clementia interminata remittas. Cum hoc verſu conueniunt illa: Omnes peccauerunt: non eſt, qui faciat bonum, ne vnus quidem. Omnes declinauerunt, & inutiles facti ſunt. Omnis homo mendax: quæ ſententiæ, quid homo ſit Theologicè, hoc eſt, coram Deo, definitione explicant, & exponunt. Placuit quibuſdam, vt etiam Paulo Hebræo, τὸ iudicaris actiuè interpretari: vt ſit in lingua Latina συγκοπὴ: quòd erit: Cum in lege iudicatos feres ſententiam. Verùm res in eandem tandem ſententiam recidit. Nam & iudicatur Deus ab hominibus: ſed tandem vincit: Et fieri non poteſt, vt non excuſet homo peccatum ſuum: adeóq; pro iuſticia id non raró venditet: quare etiam neceſſe habet Deus perpetuò nobiſcum contendere: vt extorqueat à nobis confeßionem peccati, qua ipſe iuſtificetur. Cæterum coniunctio vt, ὅπως, ponitur non αἰτιολογικῶς in ſignificatione cauſæ: ſed συμβατικῶς, de euentu. Ex peccati enim tanquam effecto opere Dauidis euenit hoc, vt iuſtificetur Deus.

V.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: in peccatis concepit me mater mea.

Ratio à primordijs delinquendi, &, quæ ῥίζα ἐστὶ πάντων τῶν κακῶν, ſtirpe τοῦ ἀρχαίου παραπτώματος, καὶ τοῦ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ὑπαιτίου, peccati, & vicij naturæ, proditi, & propagati à primo generis noſtri parente: qui ab incolumi natura prolapſus, ſui ſimiles deinde, & imaginem nos patris referentes, hoc eſt, iræ filios procreauit, virus ſceleris tabifici in vniuerſam liberorum ſeriem diffundendo. Equidem contaminatis parentibus ſatus ſum, & in peccato & crimine conceptum in vtero fouit me mater mea:

qui me purum, qui labis inanem

Ipſe

Ipſe feram? immundo mihi ſi de ſemine conſtant
Principia: atq; humana omnis vicioſa propago eſt,
Primæuum incauta de proditione parentum:
Hocq; mea imbutum genuit me crimine mater?

Hiob. 14. *Quis purum ex impuro efficiat. Hiobus. Adam genus humanum præuaricando obnoxium fecit peccato. Suaſu enim, & fallacia inimici iniquitatem concipiendo, omne ſemen ſuum iniquitati ſubiecit: vt ex eo omnes per traducem geniti peccato eſſent obnoxij. Auguſt. Omnes homines ſub peccato naſcimur: quorum ipſe ortus in vitio eſt, inquit Ambroſius contra Nouatianos. Ergo principium ipſum naturæ noſtræ corruptum eſt, & deprauatum, ac mater a ex qua conſtamus vicioſè ſe habet: quò fit, vt integri & non contaminati nihil ſit in animo pariter, & corpore, omnibusq; noſtris actionibus. Non igitur ideo peccatores ſumus, quod modò hoc, modò illud flagitij committimus: ſed ideo nefaria ſuſcipimus: quia iam antea nati ſumus peccatores: non poteſt autem arbor mala fructus ferre bonos, vt apud Euangeliſtam inquit Seruator.*

VI.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

προκατάληψις. *Obiectionis tacitæ amolitio. Equidem naturæ corruptæ, viciatæq; labe, & flagitio fœdiſsimo ſum pollutus. At tu tamen veritatem, quæ in occulto eſt, & ſapientiam abſconditam amas: quam vt magis, magisq; in dies ſingulos demonſtres mihi peto. Veritatem,* ἀλήθειαν, *vocat, perſonatæ pietati, & religioni fictæ, & adumbratæ oppoſitam ipſam, quæ* τῆς ἐπιστροφῆς μητέρα, ταπείνωσιν, καὶ ὁμολογίαν, *ad humilitatem pœnitentiæ deiecti animi confeſsionem: qua, ex dictatis edictionum diuinarum, vitioſæ, & contaminatæ naturæ deformitatem agnoſcimus, & flebiliter deploramus eam,*

& La-

& lamentamur: depoſitaq́; omni temeritate, & propriarum virium confidentia læto animo acquieſcimus in præſidio miſericordiæ numinis: cui laudem iuſticiæ tribuimus, iuxta illud vatis: Tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei. Hanc non incertam, vt mentem Prophetæ non accuratè conſiderans habet interpres, ſed in occulto eſſe affirmat: & abditam quaſi latere in tenebris: neq; enim mundus ſe totum in malo conſtitutum eſſe nouit: ſed opinionibus ſtultis inflatus, tantum ſibi virium arbitratur eſſe: vt ſua ſponte ad Deum ſe conuertere, & veram iuſticiam proprio labore, induſtriaq́; comparare poſſit: adeoq́; qualeſcunq; virtutum actiones pro erratis vitæ Deo conatur rependere, contra verbi diuini autoritatem: quod nos, noſtraq́; omnia impietatis coarguit. Sapientia eſt (σοφία, ἡ τὸν φόβον κυρίου ὑπερβᾶσα vt inquit Nazianzenus, καὶ εἰς τὴν ἀγάπην ἀναβιβάσασα θεοῦ φίλους ἡμᾶς, καὶ υἱοὺς ἀντὶ δούλων ἐργάζεται, quæ timorem Domini tranſcendens, & in charitatem ingreſſa, Dei amicos, & filios pro ſeruis facit) remiſſionis, condonationisq́; peccatorum cognitio: cum ſtatuimus apud animum, & credimus: nullis noſtris prouocatum meritis æternum patrem in gratiam nos recipere, iuſticia filij ſui inſignire, ſpiritu ſancto donare, & hæredes ſcribere vitæ beatæ, & perpetuæ. Hanc nemo principum huius ſeculi cognouit: ſed æternis temporibus tacitam, & prudentes peritosq; cœlatam Deus infantibus patefecit: qui tamen & ipſi cum Apoſtolo confiteri neceſſe habent: ſe nondum eam conſecutos, aut iam perfectos eſſe: ſed perſequi, vt comprehendant, quatenus à Chriſto ſunt comprehenſi.

Dan. 9.

Matth. 11. Lucæ. 10. 1. Cor. 2.

VII.

Aſperges me Hiſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Propoſitionis repetitio imaginibus illuſtrata: quibus

modus

modus iuſtificationis, ſeu aßignationis innocentiæ explicatur. Varij fuerunt expiationum ritus in populo Hebræo: ad quos, quia aſperſionibus peragebantur, adhibebatur περιῤῥαντήριον, aſpergilli loco, hyſſopus: cuius natura, & vis ea eſt, vt cutem æquabilem, & bene coloratam contineat, quo tumoribus, & & impetiginibus minùs ſit obnoxia: præterea prodeſt cunctis pectoris, & pulmonum ſumta querelis: & cum vino bibita præcordia tenſa relaxat, vt Macer Æmilius canit: ſed & ſaxa radicibus penetrat, cùm ſit herba breuis, & humilis, vt affirmat Auguſtinus: & cùm de pulmonibus ſoleat notari ſuperbia, nos, inquit idem, Chriſti humilitate purgamur: qui niſi humiliaſſet ſeipſum, factus obœdiens vſq; ad mortem crucis: non vtiq; ſanguis eius in peccatorum remißionem fuiſſet effuſus (Tract. 120. in Euang. Ioh.) Mœrore igitur ex recordatione peccati, & naturæ turpificatæ inſpectione ſtratum, &, perculſum ſed tamen omnem ſalutis ſpem in tua infinita clementia reponentem luſtra, & expia hiſſopi felicis ramo: & non mea virtute, non operationum propriarum actionibus, verùm, omnia quod pura reddit, tui verbi promißione purus ero: &, licet coccinea fuerint peccata mea, fient albiora niue: licet fuerint oſtro ſimilia, fient candidiora lana. Adimit Propheta Leuiticis ceremonijs virtutem iuſtificandi, conciliandiq́; nobis gratiam Dei, ac fauorem: & quid ſignificari illis ritibus voluerit Deus oſtendit: nimirum ablutionem, expiationemq́; peccatorum, quæ fit per ignoſcentiam, miſericordiamq́; Dei ſanguine victimæ expiatoriæ, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui ſolus purificat, & ab omni peccato emundatos, & ſua iuſticia, & innocentia amictos niue candidiores, ſplendidioresq́; præſtat: verùm ita tamen, vt non omnino nullæ reliquiæ peccati appareant in nobis, non aliqua etiam maneant veteris veſtigia fraudis: quæ inquinamenta, & labes ſunt carnis, & ſpiritus. Nam, noua quæ vocatur, obœdientia debiti eſt, non ſatisfactionis, expiationisq́;: & placet propter perſonam in gratiam cum Deo patre, ob meritum filij ipſius reſtitutam:

ideoq́;

ideoq; ad ſalutem quidem, vt res conficiens, minimè neceſſaria: ſed tamen non propterea, vt fructus, qui maximis de cauſis conſequitur iuſtificatos, à vita piorum excludenda.

VIII.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

ἀυλιατὸρ, fidei, & reconciliationis effectus. Pax conſcientiæ, & tranquillitas. Fac me audire gaudium: nunciа mihi lætіciam, expone verbis tuis voluptatem: vt exultent contuſſa abs te, contuſaq; membra. Conuenit cum illo Apoſtoli: Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Oſſa humiliata, ὀστέα τεταπεινωμένα, ſeu ad infimum redacta, vocat, auditis legis edictionibus, animi mentem iudicij diuini metu in maximis verſantem angoribus: atq; ita perculſam, atq; abiectam, vt quò vertat ſeſe reperire non poßit. Hos angores legis doctrina parit: quæ iræ Dei, & mortis æternæ eſt denunciatio: ſed eoſdem auditus gaudij et læticiæ, hoc eſt, ſermo reconciliationis, qui eſt Euangelij nuncius, eximit. Exultant igitur oſſa humiliata, cũ incredibili voluptate perfunditur animus, audita concione Euangelij ſuauißima: quæ teſtatur Deum propter filium ſumma beneuolentia peccata condonare, & vitam, ac ſalutem dare agentibus pœnitentiam, & à peccatis in viam pietatis redeuntibus.

IX.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Petitio, vt magis magisq; Deus in animo ipſius pacis, & veræ iuſticiæ ſenſum augeat, contra conſcientiæ morſus, &, quibus infeſtatur, peccati reliquias: nec enim ita quieta & pacata redditur mens noſtra: vt non recordatio peccati interdum curam animi, moleſtiamq; renouet. Qui intenſam habes in maleficos faciem, vt eorum memoriam ex terra extirpes, remoue

moue oculos tuos, tum à vicio, quod ab ortu mecum attuli: tum, ex carne corrupta quæ exæſtuant, peccatis meis: & omnia mea delicta obliterata ſepeli, aut in fundum maris proijce. Tu peccatum tuum ante faciem tuam conuerte, ſi vis vt inde Deus faciem ſuam auertat. Auguſtinus.

X. XI. XII.

Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi læticiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Repetitio expolitioq; verſus ſecundi: quo ablui ſeſe Propheta precatus eſt ab iniquitate ſua, & à peccato ſuo mundari, purgariq;. Rogat autem, vt communicet ſecum Deus δωρεὰν τῆς χάριτος, vt loquitur Apoſtolus, hoc eſt, ſpiritum ſanctum: qui confirmet, quod operatus ſit in ipſo Deus. Corde mundo creato Deus, & recto firmoq; ſpiritu in meo pectore redintegrato, mentem mihi nouam, nouum animum, & nouas ſuffice vires, virumq; verte in alium: qui, vetere homine depoſito, cum iuſticia gradiatur, veraq; pietate ex præceptis diuinis integram, & innocentem vitam degat: & operam, curam & ſtudium omne in iuuandis hominibus ponat. Ne me à tuo conſpectu reiectum è ciuitate diuina extermina: nec aufer à me ſanctum tuum ſpiritum: Redde mihi læticiam ſalutis tuæ: & fortes alacris halet mihi ſpiritus auras. Cor mundum, καρδίαν καθαρὰν, mentem puram, & agitationem animi caſtam, inuiolatamq; intelligit: in quo, vt in ſpeculo perpurgato fulgens imago liquidò conſpicitur, ſic reluceat, & appareat quaſi facies Dei æterni. Quale cor, quia non poteſt eſſe per naturam,

fiat

ſiat tale per gratiam, inquit Hieronymus: Spiritum verò rectum & intaminatum, πνεῦμα εὐθὲς πληροφορίαν vocat: quæ eſt perſuaſio de condonatione peccatorum certa, conſtans, minimè fluctuans, vacillans, & ventis opinionum obſecundans. Beati mundo corde: nam ipſi Deum videbunt. Chriſtus. Omnium hominum corda inquinata ſunt, & impijs opinionibus de Deo referta: ad quæ accedit dubitatio perpetua de voluntate maieſtatis diuinæ. At verò benignum ſeſe, & miſericordem Deus affirmat: & qui non velit mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Hoc vt non dubitanter, ſed firma, certaq; animi perſuaſione credamus, corde nouo opus eſt nobis: quod niſi ipſe Deus exciſo vetere, doctrinæ cœleſtis miniſterio, creet, augeat, & conſeruet in nobis, viribus, opibusq; noſtris, & ſoluto, ac libero animi noſtri iudicio nunquam nec aſſequemur, nec retinebimus. Spiritus rectus, inquit Auguſtinus, eſt, credo: quo fit, vt anima in veritate quærenda deuiare, atq; errare non poſſit: qui profectò in ea non inſtauratur, niſi prius cor mundum fuerit: hoc eſt, niſi prius ipſa cogitatio ab omni cupiditate, ac fece rerum mortalium ſeſe cohibuerit, & eliquauerit. Quòd obſecrat, ne reijciat ipſum Deus à facie ſua, nec ſpiritu ſuo ſancto, quem in gratiam rurſus recepto clementer reſtituerit, priuet: ad ἁγιασμὸν pertinet, & obœdientiam nouam: vt quia confirmauerit ipſum per Nathanem in perſuaſione certa de beneuolentia diuina: etiam illam ſibi vim ſpiritus largiatur: quæ prauis affectibus, cupiditatibusq; imperet: vt præceptis Dei animo promto, alacriq; obtemperet: ac mente pariter, & corpore à peccati labe conſeruetur. Huc illud: Non dedit nobis Deus timiditatis ſpiritum: ſed fortitudinis, & charitatis, & frugalitatis. 2. Tim. 1. Reijcit, ἀποῤῥίπτει, Deus à facie ſua, quorum cuſtodiam, tutelamq; dimittit: vt exoœcati à via veritatis aberrent: quod quibus accidit, in eos omnium malorum turba irruit: nam vt Chryſoſtomus inquit, τοῦ θεοῦ χωριζόμενον ἀνάγκη πᾶσα τῷ ἐναντίῳ συνάπτεσθαι. Separatum à Deo omnino neceſſe eſt contrario coniungi. Lætitia ſalutaris et principalis Spiritus,

ἀγαλλίασις τοῦ σωτηρίου, καὶ πνεῦμα ἡγεμονικὸν, ad ὁμολογίαν referenda ſunt, cum, quo leonem, & vrſum occidit Dauides animo, non dubitamus etiam maximis propoſitis periculis veram doctrinam de miſericordia Dei in Chriſto profiteri: eamq́; licet capiendi ſint inimici omnes homines, celebrando, commemorandoq́; plena manu ad cœlum tollere. Spiritus rectus, fidem: Sanctus, veteris hominis occiſionem: Promptus, tolerantiam, patientiamq́; operatur. Hagnon. Salutare Dei etiam Chriſtus ipſe Dominus noſter intelligi poteſt: σωτήριον γὰρ ἔθος ὀνομάζειν τῇ γραφῇ τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ, inquit Baſilius. Obſeruentur hoc loco duo dicta, quorum prius eſt Fauſtini contra Arianos. Non omne quod creari dicitur, ſtatim ſecundum ſubſtantiam fieri intelligendum. Alterum Lyrani. Gratia iuſtificans de potentia ſubiecti non educitur, ſed in animo à Deo creatur.

XIII.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

ὑπόσχεσις Promiſſio de grata animi voluntate, & ſtudio ſuo in propaganda doctrina miſericordiæ, & clementiæ diuinæ, quæ ad καινὴν ὑπακοὴν, nouam obœdientiam pertinent. Sceleris conſuetudine efferatis aditum ad pietatem patefaciam: & ad omnia facinora propenſos tecum in gratiam reducam: vt quemadmodum mihi tributa eſt miſericordia: ſic & ipſis peccata condonentur. Non fructus arborem, ſed arbor fructum edit: nec bona opera fauorem nobis, & beneuolentiã Dei conciliant: ſed à reconciliatis, & in gratiam cum Deo poſitis virtutes, & actiones præclaræ cum inſtituuntur, tum numini æterno probantur. De his igitur pollicetur Propheta regius: ſeq́; daturum operam affirmat, vt fructus edat emendata vita dignos: & in prædicanda miſericordia Dei omnem curam, diligentiamq́; ponat: vt & reliqui peccatores diſcant: quàm lenis, & facilis ſit ad ignoſcendum Deus: & ab itinere ſcelerum, & vitiorum dent ſeſe in viam pietatis. Tu, inquit ſeruator Petro, viciſſim recreatus

confir-

confirma fratres tuos. Quare non ſatis eſt, vt ipſe in odio, & auerſatione peccatorum ad diuinæ miſericordiæ perfugium te conferas: ſed hoc quoq; conuenit, vt alios & verbis, & factis ad bonam frugem corrigas. Quo quidem nihil gratius accidere poteſt, nihil acceptius Deo: qui οὐδενὶ τοσοῦτον χαίρει, ὅσον ἀνθρώπου διορθώσει καὶ σωτηρίᾳ, nulla re tam gaudet, quàm hominis emendatione, & ſalute, vt eſt apud Theologum. Iniqui, & impij, ἄνομοι, καὶ ἀσεβεῖς ſunt, non ſolùm, qui bonis eorum, quibus non debent, manus afferunt: qui alicuius ſanguinem, & vitam petunt: qui alterius pudicitiæ labem inferunt: qui nomen cuiuſquam falſa infamia deformant: ſed omnes omnino, qui hominum numero cenſentur: & in ijs, qui ſapientiæ laude vel inprimis excellunt, & ſtudio religionis fallaciter aſſumto, & pietate ſimulata, & compoſita Deum colunt. Viæ Domini, ὁδοὶ κυρίου, miſericordia ſunt illius, & veritas: qua nullo meritorum interuentu ſeſe propter filium reconciliauit humano generi, cui grauiſſimè iratus, atq; inſenſus erat: & ſibi in filios nunc adoptat fractos animo, & afflictos mente, nobisq; ſpiritum ſuum ſanctum impartitur: vt primùm in Chriſtum Dominum credere, deinde cum ſanctitate, & iuſticia coram ipſo viuere queamus cunctos dies vitæ noſtræ.

XIIII.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exaltabit lingua mea iuſticiam tuam.

Petitio δέησις, vt etiam coram Eccleſia, cœtuq; diuino, cædis, adulterijq; abſoluatur. In integrum me reſtitutum à ſanguine vindica Deus, in quo ſolo ſpem ſalutis repoſitam habeo: & ouabit lingua mea, tuamq; celebrabit iuſticiam. Turpe eſt doctori cùm culpa redarguit ipſum, canit ille: Et alius. Durius idq; malum, quod maior fecit, habetur. Sed & notum eſt prouerbium medici indocti: ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. Medicus aliorum vlceribus ipſe qui ſcatet. Quare cùm vereatur

Propheta, ne obſint ſibi in docendo ad auditores vicia, & crimina ſua, ac præcipue ſanguines, αἵματα, hoc eſt, cædes, & adulterium, quibus ſe pollutum eſſe, contaminatumq; confeſſus eſt: deprecatur Eccleſiæ offenſionem & vindicari ſeſe petit à ſangume, ne tam in memoriam à ſe commiſſorum peccatorum incurrant homines pij: quàm exemplo ipſius ad bene de miſericordia, & ignoſcentia Dei ſperandum excitentur: quemadmodū etiam Paulus ſeſe in Deum maledicum, & perſecutorem Eccle-
1. Tim. 1. ſiæ fuiſſe fatetur: ſed ſibi tributam eſſe miſericordiam confirmat: vt in ipſo in primis exereret Ieſus Chriſtus ſummam clementiam, ad eorum exemplum, qui ei fidem eſſent habituri ad vitam æternam. Iuſticiam, δικαιοσύνην, non intelligit hoc loco ſeueritatem iudicij, qua in ſontes animaduertit Deus, & pœnas exigit pro peccatis: ſed clementiam, & miſericordiam: qua ipſe iuſtus iuſtos reddit à morum prauitate ſe reuocantes: eosq; à Satanæ, & impiorum iniurijs tuetur, & defendit.

XV.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Repetitio promiſſionis de grata ſua volunte, adiuncta petitione. Quæ peccatum occluſerat, reſigna Domine, & aperi labia mea: & os meum laudes tuas prædicando extollet. Rogat, vt ſibi præſtò ſit Deus, & ſpiritu ſuo ſancto vires addat, animumq; ad intrepidè de diuinis, quibus eſt affectus, beneficijs confitendum. Neq; enim maius quicquam, & magis arduum eſt rerum omnium: quam narrare nomen Dei alijs: & ad contemplanda opera Domini, qui nullo merito, ſed gratis, & ſua innata benignitate credentes iuſtos præſtat, homines cohortari: remoram nimirum facientibus non ſolùm Satana, mundo, & quicquid in terris ſanctitatis, ſapientiæ, & iuſticiæ laude excellit, qui ſua improbari moleſtè ferunt: ſed imbecillitate quoq; carnis: quæ inferre ſeſe, quod celebrationem nominis diuini comitari ſolet, in periculum capitis, atq; in vitæ diſcrimen pro Dei gloria recuſat.

XVI.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtiq;, holocauſtis non delectaberis.

Ratio cur ſit annunciaturus laudem Domini, quæ tacitam includit ἀνθυποφοράν. Cur non ſacris das operam? quia auerſatur illa Deus. Non enim ſacrificiorum delectatione duceris, vt illa frequentem: non tibi acceptæ ſunt, & gratæ victimarum mactationes: aliàs non deeſſet Regi pecunia: qua capros, vitulos, boues, & tauros emere, & rem diuinam poſſem facere. Quare inſtituta ſint ſacrificia Leuitica, & quam ob cauſam aſpernetur eadem Deus docet Pſalmus qui hunc antecedit. Cruor taurorum, hircorumq; peccata vt tollat fieri non poteſt, inquit autor epiſtolæ ad Hebræos. Et, quis eſt, qui ſuæ redemtionis precium Deo poſſit ſoluere? ait autor alibi. Verùm, cuius vmbra fuerunt ſacrificia, impunitatem nobis, & iuſticiam præſtant obœdientia, & mors Filij Dei: qui puriſſimo ſuo ſanguine expians ſcelera generis humani, optatam nobis ſalutem attulit, vitæq; redemit immortalitatem. Iure igitur, licet ſuo iuſſu introducta ſint, nec vult ſacrificia, nec delectatur ijs Deus: quæ hoc fine procurantur: vt propter perſunctionem operis peccata aboleant: & fauorem vſurpantibus ea, beneuolentiamq; numinis concilient.

XVII.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Quodnam ſacrificium gratum habeat Deus, & acceptum. Sacrificia quibus placatur Deus ſunt, animus propter criminis admiſſi conſcientiam mœrore deiectus: fractam, afflictamq; mentem Deus non aſpernaris.

Non te reſperſæ cædibus aræ,

Non delubra iuuant pingui ſqualentia tabo:
Sed mens fracta metu : tetris mens territa culpis:
Mens exoſa nefas, & amans ſua damna fateri.

Spiritum tribulatum, πνεῦμα συντετριμμένον, & cor humiliatum, καρδίαν ταπεινωμένην vocat animum, qui, propter agnitionem natiuæ corruptelæ, à qua in omnis generis ſcelera, & flagitia impellimur, pauper, & in ſummas anguſtias redactus, & metu iudicij diuini perculſus, afflictus iacet, & proſtratus: cumq; nihil cernat, niſi mortem, atq; inferos: ſpe tamen cum deſperatione confligente, & ad promiſsiones cœleſtes tenaciter annitente, in Dei miſericordia, beneuolentiaq; acquieſcit. Et de cultu igitur Deo gratiſsimo docet hic Propheta, & voluntatem nobis æterni Numinis ob oculos ponit. Non ergo cùm animi dolores, cruciatusq; ob legem violatam miſeros nos habent, ac derelicti nobis, planeq; proiecti propter peccata videmur à Deo, de omni ſpe ſalutis deturbari nos ſinamus: Sed, quia delictorum ſuorum maculas, & turpitudinem ſponte ſua nemo poteſt eluere, eò confidentiùs ſpem ſalutis in Deo, opus naturæ ſuæ inſuetum operante, vt natiuum operetur, & proprium, reponamus: qui non poteſt non, fide ad ſe confugientibus iracundiam ſuam remittere: ac benignum ſeſe, & clementem propter filium ſuum exhibere. Huc pertinent illa: Calamum quaſſatum non confringet, & linum langueſcens non extinguet. Eſa. 42. *Et: Habitans cum contrito, & humili ſpiritu, vt viuificet animos deiectorum, vt viuificet, & recreet cor contritorum. Eſaias. Et: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Pſal. 147. *Autor. Non vult Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed ſacrificium contriti cordis. Auguſt. de Ciuit. lib. 10. cap. 5. Idq; eſt ſacrificium, quod ab ortu ſolis ad occaſum vbiq; locorum allatum iri nomini ſuo Deus affirmat apud Prophetam.*

XVIII.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Zion: vt ædificentur muri Hieruſalem.

ἐπίλο-

ἐπίλογος ἐντευκτικός, *vt longè lateq́; ſpargatur, & diſſeminetur quaſi in populo ſancta doctrina ſalutaris de bona, & propenſa voluntate, & miſericordia, & benignitate Dei. Fauore tuo, beneficijsq́; Sionem complectere, & mœnia Hieroſolymorum ipſe coagmenta, ac celſæ te ſurgant auſpice turres.* εὐδοκία τὸ ἀγαθὸν τοῦ θεοῦ θέλημα: *ſingularis amor, & eximia diuinæ beneuolentiæ affectio. Sion ipſa eſt Eccleſia, quemadmodum etiam muri Solymorũ: hanc ædificari optat, non quidem cementis, & materia, quæ ſunt opera legis, & ſpõtis noſtræ actiones: ſed vera Dei, Dominiq́; noſtri Ieſu Chriſti, quæ eſt vita æterna, cognitione. Vos Dei eſtis ædificium. Apoſtolus.* 1. Cor. 3.

XIX.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſticiæ oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

τὰ ἐκβησόμενα. *Euentus. Tunc iuſta te ſacrificia, victimæ, & holocauſta capient, tunc mactabuntur ad aram tuam vituli: imbuet & gratus ſacrata altaria taurus. Loquitur Propheta de effectu iuſtificationis, ſeu noua obœdientia, actionibusq́; virtutum: quibus fiunt corpora noſtra hoſtia viua, ſancta, accepta Deo, cultusq́; rationalis: quo gratitudinis ergò non pecudes, & bruta: ſed nos ipſos libamus Deo: &, vt ad curationem proximi beneuolentia ſeſe noſtra extendat, ſedulò damus operam: quæ quidem ſacra iuſticiæ vocantur: non quòd iuſtos nos reddant, & innocentes coram Deo: ſed quòd à iuſtificatis fiunt, & ſuper altare Dei, hoc eſt, filium ipſius Ieſum Chriſtum, imponuntur. Nam poſtquam perſona in gratiam reconciliata eſt cum patre cœleſti per fidem: tum & vituli labiorum, qui ſunt confeßio, gratiarumq́; actio, & officia virtutum, accepta ſunt Deo: qui reijcit alioqui, & repudiat præſtantißimas operationes eorum, qui filij ſui merito non nituntur: nimirum propter animorum immundiciem, ingenitamq́; corruptelam, ſimiles ſepulchris incruſtatis, & pomis Aſphalticis: quæ oculis*

tenus oriuntur, cæterum contacta cineréſcunt, vt loquitur Tertullianus. Nam ſine fide, vt quis placeat fieri non poteſt, inquit
Heb. 12. *ille ad Hebræos. Et quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt, ait gentium doctor, & magiſter Paulus. Vitulos, μόσχους, labiorum tauros intelligit, qui ſunt gratiarum actio, & celebratio nomi-*
Oſ. 14. *nis diuini. Condona nobis, & aufer omnem iniquitatem, & dona bonum: & nos ſcluemus labiorum noſtrorum tauros. Oſeas. Maximè opima hoſtia oratio de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profecta. Tertullianus.*

PSALMVS LII.

1. Reg. 22. ## *IN SYCOPHANTAM.*

PSalmus hic conſolatorius eſt παραμυθητικὸς, ſcriptus, id quod innuit titulus, in Doegen Idumæum præfectum paſtorum regiorum. Is enim cùm Dauiden fugientem ſoceri crudelitatem Nobæ conſpexiſſet apud Abimelechum pontificem, qui & viaticum ei, & gladium Goliæ Gethæi dederat, non modò rem eam Saulo enunciauit: verùm, nolentibus etiam regijs ſatellitibus vim afferre ſacerdotibus Domini, primùm manus ſuas immanitati tyrannicæ non dubitauit commodare: & 85. homines ephodum lineum geſtantes perimere: deinde Nobam ipſam ſacerdotum oppidum excindere: & virorum, mulierum, impuberum, pecorumq́ internecionem facere. Doegis ſimiles homines nefarios, & ſanguinarios omnib. ſeculis reperire eſt in aulis regum, & principū: in quibus non poſteriores ferunt Sycophantæ: qui doctrinam ſalutis calumniãtur, doctores pios oppugnant, & ad gubernacula rerum ſedentibus faces quaſi ad effundendū ſanguinem innoxium præferunt. His omnib. pœnas hoc carmine, furijs ipſorum debitas, denunciat Propheta: futurū affirmans, vt vitæ, fortunarum, & ſalutis iacturam faciant. Pios verò conſolatur,

ſolatur, quibus defenſionem contra crudelitatem ſceleratorum promittit: eiſq́ permanſionem in domo diuina, hoc eſt, Eccleſia, & verbi cœleſtis noticiam firmam, & perpetuam pollicetur. Caſsiodorus hunc Pſalmum de Antichriſto interpretatur: quemadmodum Theodoretus de Rabſace, quem ait ab Hebræis ad Aſsyrias defeciſſe.

I.

Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate tota die.

Exordium ἐπιτιμητικὸν, καὶ σχετλιαστικόν. Quid gloriaris, & magnificè effers te in malitia, & praue factis tuis ô ferox: cùm Dei, qui deſertos ſuos nunquam patitur, clementia quotidiano, & continenti, nec vllis temporum interuallis interrupto auxilio, præſidioq́; iuuet. Quod Doëges ſapientiam vocabat, & iuſticiam, hominem, vt videbatur, inimicum regi, ideoq́; meritò exulem, & extorrem oppugnare, & Sacerdotes, qui factioſi eſſent, & coniurationis Dauidicæ ſocij contrucidare, Spiritus ſanctus maliciam vocat, & improbitatem, nimirum τὰ σῦκα, σῦκα, καὶ τὴν σκάφην σκάφην λέγων. Cæterū huius ſententiæ, miſericordia tota die, ſubiectione in omnib. rebus triſtibus, & calamitoſis animus hominis pij conſolatione ſeſe mirifica ſuſtentare poteſt: vt ſiue animi dolores, cruciatusq́; ſuſtineat: conſcientia eum peccatorum exagitante, ſpem bonam in clementia, ignoſcentiaq́; Dei locatam habeat, dicatq́;: miſericordia Dei tota die: ſiue in morbo graui, ac difficili ægrè ſpiritum ducat, minimè tamen animo quoq; fracto ſit, & imbecilli, ſed, de redintegratione virium non deſperans, dicat: Miſericordia Dei tota die: ſiue inopia prematur, & omnium rerum indigentia, non ideo tamen, ſine vlla rerum meliorum expectatione, cadat animo, ſed dicat: Miſericordia Dei tota die, deniq; vel in carcere ſit, vel in exilio, vel quibuscunq; 'andem ærumnis, quæ aut animo poſſunt accidere aut corpori,

nunquam tamen perdat ſpem omnem: ſed cogitatione tota de auxilio cœleſti pendens dicat in omnibus: miſericordia Dei tota die. Montes mouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit miſerator tui Dominus. Eſaias.

Eſa. 54.

II. III. IIII.

Iniuſticiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis: lingua doloſa.

Narratio, quæ deſcriptionem continet hominis, qui διαβολαῖς, καὶ κατηγορίαις *gaudens calumniatur innocentes, eosq; ad Reges, & principes mendacijs onerat: & quæ ſine fraude facta ſunt, in peſſimam partem interpretari minimè dubitat. Scelera & perniciem meditatur lingua tua: qua ſicut nouacula acuta vulnera infligis, & dolum ſtruis, fraudesq; facis: magis tibi cordi malum eſt, quàm bonum: falſa loqui, quàm iuſtas dicere ſententias: ſtudio habes verba facere lingua fraudulenta: quibus decipiantur, fallantur, & inducantur imperitiores. Cum* εἰκασίᾳ, *qua dicit linguã Doëgis nouaculam eſſe acutam, conuenit illud Solomonis. Temerè effutire eſt quaſi gladio perimere. Vt nouacula quæ ſuperfluunt in humano corpore, qualia ſunt crines et capilli, ſine detrimento carnis radi poſſunt: ſic quidquid tibi facere poteſt iratus potens, inter ſuperflua tua numera. Aug. De Verb. Dom. Serm: 6.*

Prouer. 12.

V.

Propterea Deus deſtruet te in finem

nem : euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo : & radicem tuam de terra viuentium.

Comminatio, quæ ἐπαυξήσει verborum incremento pœnas Doëgis ſceleribus ipſius, furoribusq́; conſtitutas à Deo denunciat. Ergo etiam fiet, vt nec domum certam habeas, nec rem familiarem, licet tibi eam conſtabiliſſe pulchrè videaris, retineas : ſed pro perpetrato facinore ſublatus, & euulſus à Deo ex tabernaculo, &, quas tibi conſtitueras ſedibus, ex terra viuorum extirperis : & extorris, inops, & inuiſus omnibus ad cæcas inferorum tenebras amanderis. Huc illud. Abominatio Prouer, 12. *coram Domino labium mendax. Solomon.*

VI. VII.

Videbunt iuſti & timebunt: & ſuper eum ridebunt & dicent.

Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum : Sed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum : & præualuit in vanitate ſua.

Pœnæ impiorum doctrina ſunt, eruditioq́; ſanctorum. Interitum Doëgis videbunt viri ſancti, & reuerebuntur iuſticiam Dei : qui ex homine nefario documentum ipſos capere voluerit : quid crudelibus, & ſanguinarijs tyrannis extimeſcendum ſit : neq; id tantùm, verùm perfuſi etiam gaudio, voluptateq́; ſingulari. En hominem dicent, qui vires ſuas in Deo fixas, & conſtitutas non habebat : ſed diuitiarum copia ad animi ſublatus intemperantiam, potentia ad perniciem piorum abutebatur. Stulticiæ atq; impietatis extremæ eſt, non intelligere, ſe ſub Deo, & ex Deo viuere : ſed in ijs, quæ gerit, & expectat, ſua magis velle confidere poteſtate : Cùm ſi quid illud in ſe ſit, ex Deo ſit. Hilarius.

Ego

VIII.

Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei: ſperaui in miſericordia Dei in æternum & in ſeculum ſeculi.

Antitheſis per comparationem. Doeges, vt arbor infelix, deiectus & extirpatus turpiter & miſerandum ad modum peribit: ego verò illo perdito, & deleto ſicut oliua virens creſcam, & florebo Ego fauſtus ero, & beatus in omnem ætatem: idq́; in domo Domini: vbi ſperantem in clementia, miſericordiaq́; Dei nulla calamitas attinget. Oliua ſeu olea ſemper virens eſt, ſemper onuſta oliuis & nouis & veteribus: arbor pacis, miſericordiæ ſymbolum: pœnitentiæ figura. Sic ferè Stapulenſis.

XI.

Confitebor tibi in ſeculum quia feciſti & expectabo nomen tuum quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum.

Gratiarum actio εὐχαριϛία. Pro tanto beneficio æterne parens gratias tibi ago, agamq́; dum viuam: neq́; vllum tempus prætermittam, quo non in nomine tuo, quo nihil eſt vtilius, & magis ſalutare iudicio piorum omnium, acquieſcam, ſpe & fiducia in te vno collocata.

PSALMVS LIII.

MORBVS ORIGINIS.

CArmen hoc continet doctrinā coniunctam cum vaticinio. Primùm enim de ægrotatione docet, & infirmitate generis humani: quæ prolapſu ab incolumi natura primorum parentum, generatim profluxit in mortales vniuerſos. Ea fieri, vt omnes hominum

minum doctrinæ, actionesq́ ſtulticia ſint infectæ, adeoq́ contaminatæ: vt merito offenſionem ad nos habeat Deus, & faſtidium. In primis autem affirmat: eos, qui ſe magiſtros aliorum profitentur, & ſcientiam ſibi docendi, inſtituendiq́ populum arrogant, rudes eſſe, & imperitos religionis, omnisq́ Dei intelligentiæ: neq́ id ſolùm: ſed, quod maximum eſt, doctrinam de gratuita remiſsione, condonationeq́ peccatorum conuicijs lacerare: neq́ adduci poſſe, vt de fiducia in Deum doceri ſeſe, & inſtrui patiantur. Deinde vaticinatur de aduentu filij Dei: qui n orbo originis depulſo, Euangelij doctrina, & ſancti ſpiritus efficacitate, ad effigiem nos priorem ſit renouaturus: &, vniuerſi generis humani nomine patri cœleſti ſatisfaciens, iter nobis aperturus ad vitam beatam, & immortalem.

I.

Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum.

Propoſitio, πρότασις, ſummam impietatis, corruptionisq́; humanæ naturæ continens. Quorum animi ſtulticia ſunt infecti, licet ſimulatione ſanctitatis aliud oſtentent, in ea tamen mente & cogitatione verſantur: vt nullam vim cœleſtem, numenue diuinum arbitrentur. Inſcientia Dei, & incredulitas inſitum eſt animis hominũ malum, & innatum: idq́; cauſſa impietatis, & fons omnium actionum malarum. Antiqua.) Amplificatio vniuerſum genus hominum exæquans. Nihil eſt in omnibus, qui ab Adamo prognati ſunt, quod non ſit contaminatum, nihil ad quod Deus offenſionem non habeat: improbi ſunt tam animo, quàm corpore: nec vllus rectè factorum faculta-

ſacultatem habet. Qui negant Deum timendum, ijs libera ſunt omnia, & ſoluta. Vbi autem Deus non timetur, niſi vbi non eſt? vbi Deus non eſt: nec veritas vlla eſt. Meritò & talis diſciplina eſt: At vbi Deus, ibi metus in Deum: qui eſt initium ſapientiæ. Tertull. De Præſc. Hær.

II.

Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

Confirmatio ab authoritate ſacrarum literarum.

Deus vertice cœli

Conſtitit, & latis defixit lumina terris, vt videret, nunquis eſſet mortalium, ita qui ſaperet: vt cœleſtem maieſtatem, vimq; diuinam eſſe certa animi inductione, & ſententia ſibi perſuaderet.

III.

Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.

γνώμη γενική. *Verumenimuero fruſtra ille circumtulit*
Pſal. 58. *oculos. Omnes enim pariter deflectunt, & ſunt nequam: non*
Eſa. 1. *eſt, qui vitam colat maleficio vacantem, non eſt ne vnus quidem. Deflectunt impij iam ab vtero. Autor. Totum caput æ*
Eſa. 53. *grum eſt, totum corpus languidum: à vertice vſq; ad talos nihil*
Rom. 3. *in eo ſanum eſt. Eſaias. Et. omnes nos quaſi oues errauimus: vnusquiſq; viam ſuam ſectatus eſt. Idem. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Paulus.*

IIII.

Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem

meam

meam vt cibum panis? Deum non inuocauerunt.

προκατάληψις αὐξητικὴ, καὶ ἐπιτιμητικὴ κατ' ἔλλειψιν. *Iamne homines perditi, & nefarij à peccatis tandem auerſi patientur ſe doceri: qui veram diſciplinam in ore non habent, & religionis tamen, pietatiſq; prætextu, ſicut panem, deuorant populum Dei, cuius fidem non implorant.*

V.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.

ἀπειλὴ, *qua impijs doctoribus malum comminatur, & exitium denunciat, iuxta illud: Non ſinet impunitum Dominus, qui nomine eius abuſus fuerit: cum conſolatione: qua ex perſona Dei Eccleſiæ leuationem pollicetur miſeriarum, & è malorum tyrannide liberationem. Erit, erit tempus illud, cùm incredibili timore percellentur: & vires ac potentiam hypocritarum, initiantiumq; conteret Deus: qui miſeram nunc habent te, & doctrina falſa, ac ritibus nugatorijs vexant, & exagitant: illos fœdabit Dominus: quoniam abhorret eos, & deteſtatur.*

VI.

Quis dabit ex Zion ſalutare Iſrael? cum conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael.

Vaticinium. O vtinam pulcherrimus tandem dies ille illuceſcat: quo detur ex Sione ſalus Iſraelitis: vt, ab exilio ſuos reducente Dominò, optata pace exultent Iacobæi, & Iſraelitæ letícia triumphent.

PSAL.

PSALMVS LIIII.

SIPHAEI.

1.Reg.23. Siph & deſertum fuit, & oppidum in tribu Iuda vicinum vrbi Hebron. Huc cùm Dauides, fugiens immanitatem, importunitatemq́ Sauli regis, aliquoties ſeſe in latebras quaſi coniecisset: Siphæi Gabaam profecti nunciauerunt tyranno, Dauiden apud ſeſe latitare. Contra hos igitur, ſalutem ſuam commendans Deo, auxilium vindictæ cœleſtis implorat Propheta: malum, & vltionem denuncians diuinam, non Siphæis modò, ſed omnibus omnium temporum delatoribus, & quadruplatoribus: qui ſtudio habent periculum creare bonis apud Principes: eosq́ propter verbi Dei, & doctrinæ cœleſtis profeſſionem in diſcrimen capitis, & fortunarum adducere.

I. II.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Propoſitio συνωνυμίᾳ expoſita: quæ petitionem habet fiducia numinis, & potentiæ Dei auxilium cœleſte flagitantem. Qui imperium cœli, & terræ in perpetuum obtines Deus pro nominis tui maieſtate ſerua, & è diſcriminibus, periculisq; me eripe: propter vires tuas Domine, fortitudinemq; patrocinium miſeri ſuſcipe: & cauſſam meam diſcepta: admitte genitor, & parens rerum omnium preces meas: excipe benignis auribus verba oris mei.

III.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum

uerſum me : & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ratio petitionis conſtans διηγηματικῶς, narratiuncula de iniquitate, & iniurijs, quæ præter meritum ſibi ab amicis ſuperbis, & tyranno crudo, & ſanguinario fiunt. Nam hoſtes in me faciunt impetum, irruunt, & irrumpunt in me aduerſarij, & crudeles homines euertere, & vita me ſtudent expellere, Dei nullam habentes rationem. Alienos, ἀλλοτρίους, & fortes, κραταιούς, quos intelligat, explicat ipſe : nimirum qui non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum : hoc eſt, vt loquitur apud Euangeliſtam Chriſtus, qui neq; patrem nouerunt, neq; filium. Tales ſunt, tum aſſentatores ipſi, adulatoresq́;, qui calumnijs premunt bonos, & pios apud eos, qui ad rerum gubernacula ſedent : tum ipſi buſtuarij principes: qui exempla crudeliſsima edunt in homines innocentes propter Euangelij profeſſionem.

IIII.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

παραμυθία, qua ſe ipſe auxilij diuini ſpe ſolatur, & confirmat. En fert mihi ſuppetias Deus : à parte mea ſtat Dominus, & vitam meam ſuſtentat : tutatur animam meam : me, meaq́; omnia à diſcriminibus, & periculis, quæ intentantur mihi ab inimicis, vindicatum tuetur, & defendit. Cui bene cupit Deus, ei neq; impiorum improbitas, neq; fortunæ iniuria quidquam damni poteſt, & detrimenti importare.

V.

Auerte mala inimicis meis : & in veritate tua diſperde illos.

ἀρὰ προῤῥητική. Imprecatio, denunciatioq́; pœnarum,

quæ inimicis, & aduerſarijs ſuis deſperatis impendeant. Iniurias meas perſequere, & malum rependens aduerſarijs vlciſcere eos, & pro tua fide profliga, & internecione occide. Fidem datam fallere nec ſoles, nec potes: quare euerte inimicos meos: vt peſtis, & calamitas, quam mihi machinantur, in vitam, fortunasq́; ipſorum recidat. Veritatem, ſeu Fidem, vocat promiſſi, & recepti conſtantiam: qua vocato ad regnum defenſionem ſuam, auxiliumq́; erat pollicitus.

V I.

Voluntariè ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt.

Gratiarum actionis ὑπόσχεσις *promiſſio: qua reſpicit ad ſacrificia, quæ gratitudinis ergò fiebant, de quibus præcepta extant in Leuitico. Vltro tibi, ac prompto, alacriq́; animo ſacra* Leu. 3. *faciam, tuum tam mite nomen prædicatione extollens. Vt inuocari ſeſe à nobis vult Pater cœleſtis in rebus triſtibus, & aduerſis: ſic gratias quoq́; ſibi idem agi poſtulat, ſimulatq́; illius ope, auxilioq́; conſeruati, & ex ærumnis erepti ſumus. Hoſtiæ ab animo libenti expoſtulantur. Tert.*

V I I.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Ratio cauſam continens gratiarum actionis. Vt enim ab ineunte ætate ex omnibus rebus triſtibus, & calamitoſis me liberaſti: ita hoc quoq́; tempore trepidum eripies ex manibus hoſtium: quorum quidem pœnas, & interitum hiſce oculis magna cum admiratione, & hilaritate audiam. Non ſunt hæc inſultantis in futuras aduerſariorum miſerias, ſed diuinam iuſticiam, quæ vindicat in improbos, clementiam verò, quæ pro colentibus pietatem propugnat, commendantis.

PSALMVS LV.

IVDAS ſeu FVCATVS Amicus.

HIC Pſalmus & ſub perſona Chriſti in proditorem Iudam intelligi,& in precibus vſurpari poteſt contra omnes, qui altera, quod dicitur, manu ferunt lapidem, altera panem oſtentant. Reperiuntur enim non pauci ſeculis omnibus: qui fronte quidem, & vultu beneuolentiam erga pios, & Dei metuentes ſummam præ ſe ferunt: adeò etiam, vt in eam perſuaſionem inducant incautos, & imperitos: vt exiſtiment vel coniunctiſsimorum ſuauitates horum ſibi poſtponendas amiciciæ: quod vitam eiuſmodi homines, fortunasq́; ſuas parui putare præ ipſorum commodis,vtilitatibusq́; ex pollicitationibus crebris opinantur: at verò occultè,non modò obtrectatores agunt, & calumnijs maleuolentiſsimis & dicta, & facta bonorum carpunt: verùm acerrimè etiam eos oppugnant, in perniciem ipſorum exilia, carceres, mortes comparantes. Hominum genus peſsimum,& ſceleſtiſsimum: qui non rarò nobiſcum in vnis viuunt ædibus, vnà cibum capiunt,in cogitationes intimas, & conſilia noſtra ſeſe inſinuant, ijſdem deniq; ſacris vtuntur,& cæremonijs,in domo Dei cum conſenſu nobiſcum ambulantes. Atq; hinc meritò etiam peſtem eis, exitiumq́; imprecatur Propheta: optatq́; mors vt illos tollat, & viui deſcendant in tartara. Quæ quidem imprecatio vaticinium eſt: quo ſignificari vult Spiritus ſanctus omnino impendere talibus hypocritis, vt ad inferos relegati igni vltore mactentur: quandoquidem ſcelera verſantur in illorum medio: neq; in cœlo, cuius metu ad frugem ſeſe recipiant meliorem, numen eſſe, vimq́; diuinam arbitrantur.

I. II.

Exaudi Deus orationem meam: & ne deſpexeris deprecationem meam.

Intende mihi & audi me, contriſtatus ſum in execratione mea & conturbatus ſum.

Exordium μετὰ προτάσεως cum propoſitione petitionis expolita συνωνυμίᾳ, affectum ardenter precantis exprimente. Qui enim cum calamitatibus conflictatur, et ærumnis: ei breuiſſima quæq; mora videtur longiſſima: ideoq; anxio animo, & ſollicito leuationem, liberationemq; quærit. Audi omnium rerum effector, & creator Deus: admoue maxime cœlitum, atq; hominum pater ad voces meas aures tuas: nec à me, auerſando ſupplicationes meas, oculos auerte: attende clamorem meum, & concede, quod lamentatione querula, ac tumultuãte peto.

III.

A voce inimici: & à tribulatione peccatoris: Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi.

Narratio, διήγησις, qua pericula, miſerias, calamitates, & ærumnas ſuas exponit. In anguſtijs, inſidijs, interq; hoſtium tela verſor. Hoſtium voces, qui, vt in inuidiam me vocent, criminibus falſis inſimulant, & impiorum, qui calamitatem mihi machinantur, & obſtinato animo in perniciem, morte, vt putant, digni, feruntur, furores, vt vacuo ſim animo, non ſinunt.

IIII. V.

Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me.

Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.

Amplius

Amplificatio. Ad hæc mala mihi hoc etiam accedit : vt non raro in eam cogitationem incidam: vt exiſtimem,me peccato aliquo meo, quod maius ſit, quàm vt venia detur mihi,commeruiſſe,vt dignus ſim tantis malis, & calamitatibus: quo fit, vt corde trepidem, formidine corripiar, timore, & pauore inuadar, horrore deniq; mortis perfundar. Gaudet Satan addere malum malo : & periculis, quæ intentantur ab hoſtibus,animi perturbationibus cumulare : ſi qua poßit euertere homines ſanctos: & fiduciam eis, quam de auxilio diuino conceperunt,excutere. Quo in caſu nihil neq; prius, neq; melius poteſt facere pius animus : quàm vt tota mente in verbo Dei recogitando verſetur: &, promißionibus diuinis fretus, cum cura, & diligentia in officij ſui munere pertendat.

VI. VII. VIII.

Et dixi quis dabit mihi pennas ſicut columbæ : & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens : & manſi in ſolitudine.

Expectabam eum qui ſaluum me fecit : à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.

Amplificatio alia à voto, per εἰκασίαν. Equidem optare ſoleo identidem dari mihi alas columbæ : vt, quia in patria ſecuro, & tuto eſſe minimè licet, vitam fugæ, & ſolitudini mandem : vt effugere, qui excitatur, ventum, & turbinem : ac vim hoſtium, impetumq; exire poßim. Alibi canit vates ſanctus. Non reformido hominum legiones,quæ me circumſedeant : & ſi contra me caſtra fiant, non metuam animo : ſi in me bellum ſurgat, tamen confidam : At vbi nunc acer ille Dauides, vbi inuictum animi robur? Nimirum non exiſtit eadem ſemper in ſanctis mortalibus ſpiritus alacritas : & tanta eſt non rarò in-

cumbentium in ceruices piorum grauitas onerum, vt vndique mors decerni, & nuſquam vitæ ſpes eſſe videatur.

IX.

Præcipita Domine diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

Imprecatio, execratioq́;, vt quod aduerſarij inter ſe captant, & contra ipſum ineunt conſilium, recidat ad nihilum. Malè perde Domine, diuelle, ac diſsipa linguas eorum. Alludit ad hiſtoriam, quæ in exædificatione vrbis, turriſq́; Babylonicæ contigit: cùm inter operas, confundente illorum ſermonem Domino, ſubita linguarum varietas extitit: vt alter alterius verba non poſſet intelligere: atq; ita vrbis conſtructio omitteretur. Quo ſignificatum eſt: ea, quæ magno conatu impij, & conſcelerati contra bonos, Deiq́; metuentes moliuntur, machinanturq́; turpi, & infelici tandem exitu terminari. Hic dictum Caſsiodori dignum eſt obſeruatione. Deus iratus linguas diuiſit: propitius autem in Apoſtolis adunauit.

X. XI.

Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas: & labor in medio eius.

Et in iuſticia: & non defecit de plateis eius: vſura & dolus.

Vel ratio, & cauſa imprecationis, vel ὑποτύπωσις, deſcriptioq́; effectus execrationis. Nam video immanitatem, & intimo odio, ac corde conceptas iras in vrbe: ciuitas nefariè factis, & ſeditione referta eſt: muros dies, nocteſq́; circumdans verſatur in vrbe crimen, maleficium, facinus, & flagitium: verſatur cum turpitudine, & dedecore coniunctum ſcelus: &

diritas:

diritas: non abſcedit ex vicijs eius dolus: fraus, mendacium atq; perfidia portarum liminibus non abſiſtit. Cum ſemel eò dementiæ, inſaniaq́; adegerit homines impios nequam Spiritus, vt ex oculis metum Dei remoueant: tum verò laqueis ſuis captiuos tenet ad ipſius voluntatem, vt inquit Paulus: vt nihil nec fingi, nec cogitari malorum poſsit, quod ipſorum opera non conficiat: donec per flagitia, ſceleraq; in æternam eos exitium præcipitet.

XII. XIII. XIIII.

Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtiq; : & ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo.

Tu veró homo vnanimis, dux meus & notus meus.

Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.

Amplificatio ex loco, qui eſt τῶν συμβλητῶν, à minore ad maius. Si hoſtes, & inimici in me debaccharentur: ferendum mihi illud, quamuis inuito, aliquo tamen modo exiſtimarem: ſi aduerſarius meus in me cæco impetu, & furore incurreret: darem operam, vt petitiones illius declinatione aliqua effugerem: nunc tu in me petulanter inuadis: qui, ordinis mei homo, ſamiliaritate intima mihi coniunctus eras: qui cum arcana communicare ſuauiter, & in templum coniunctè ſolebam ventitare. Aliquem ab hoſtibus, & inimicis ſuis inuadi neque nouum eſt, neque adeo iniquo animo ferendum: verùm ab ijs, qui in amicitiam noſtram penitus intrarunt, cum quibus multa, & iucunda conſuetudine copulati ſumus, inſidias nobis, & mala, calamitateſq; comparari, indignum eſt, & execrandum. Sed tamen

men & CHRISTO Domino hoc accidit: & omnibus temporibus contingit Eccleſiæ: quæ nullos infeſtiores experitur, quàm eos, qui pietatis ſeſe, religionisq; nomine efferunt: ſeq; ſolos eſſe exiſtimant, quos diligat Deus, charosq; habeat, vt veritas dicti illius comprobetur. Inimici homines domeſtici eius. Matth. 10.

XV.

Veniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viuentes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

Repetitio, ἐπανάληψις, imprecationis. In nec opinantes mors inuadat: & in lethi fauces detruſi, inq; tenebras orci relegati, perpetuis mactentur ſupplicijs. Reſpicit ad excidium Coræ, & ſociorum, quos in ſolitudine facta contra Moſen, & Aaronem coitione, tellus hiatu patefacto cum ſuis rebus omnibus deuorauit. Orandum pro omnibus hominibus eſt, nec pro amicis ſolùm, verùm aduerſarijs etiã, & hoſtibus cum noſtris, tum Dei, et Eccleſiæ: vt ignoſcat eis peccata Deus, & ſeſe à maleficijs metu numinis diuini contineant: verùm ſi ijdem in dies ſingulos deteriores reddantur: vt in dedecore, turpitudineq; iactare ſeſe, ac proterere, et conculcare nomen Dei, itaq; inexplebili ſcelere ſeſe obſtringere minimè dubitent: tum verò ijs, qui diuinitus incitantur, orandum, vt contundat, & comprimat illorum furores Deus: quo, exterminatis malis, & improbis, nomini ipſius honores debiti tribuantur, regno vires accedant, & voluntati ab omnibus pareatur. Quoniam nequiciæ) Ratio ex ſuperioribus repetita, mores, & ſcelera impiorum deſcribens. Quoniam inter eos in ijſdem verſantur penetralibus flagitia: neq; vllum ſcelus eſt, & flagitium, quod apud animum conceptum ſuſcipere, & perpetrare non ſuſtineant.

XVI. XVII. XVIII. XIX.

Ego autem ad Deum clamaui: & Dominus ſaluauit me.

Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus & humiliabit illos: qui eſt ante ſecula: non enim eſt illis commutatio & non timuerunt Deum.

παραμυθία. *Conſolatio per* ἐπιμβολὴν *interpoſita, qua ſeſe erigit, & confirmat ipſe, vt, dum differt Deus vindictam in impios, & ſui, ſuorumq́; defenſionem extrahit, magno ſit, & firmo animo: & precationis oratione fretus de fidei ſeſe conſtantia minimè deijci patiatur, optima quæq; ſibi de Dei bonitate, auxilioq́; pollicens. Ego Dei implorabo auxilium, & Dominus cuſtodia ſeptum tuebitur: & veſpere, & manè, & meridie eiulans orabo: & benignas ad lamenta mea aures adhibebit: vitam meam ſartam tuebitur, tectamq́; à meis oppugnatoribus: quorum quidem quo maior eſt numerus, eo maiorem pro me curam geret, qui mihi adeſt pro multis: admittet preces miſeri Deus, & aduerſarios meos euertet: qui vnus, & idem, ſuiq́; ſimilis in omnem æternitatem permanet.*

XX.

Extendit manum ſuam in retribuendo: contaminauerunt Teſtamentum eius.

Ἐπάνοδος ad expreſsionem morum, ſcelerumq; impiorum. Nulla fit eorum commutatio, non ſe recipiunt ad bonam frugem: ſed obſtinato, obfirmatoq; ad omnia flagitia animo, in peccatis perſeuerant: neq; Deum verentes quidquam, neq; contra pacta fœderaq; iniuriam ei, qui cum ipſis pacem habebat, facere dubitantes.

XXI.

Diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum: & ipſi ſunt iacula.

Εἰκὼν, qua linguam aduerſariorum butyro, verba oleo confert: quorum illa blanditiarum ſimulatione, hæc imitatione, ſpecieq; mollitudinis gladiorum periculum denuncient. Mollius eſt butyro os illorum, cum tamen cor meditetur prælium: verbis vtuntur oleo leuioribus, quæ gladios tamen intentant, & ſpicula. Huc illa faciunt. Ficte blandiuntur, & in corde loquuntur. & Ore blandiuntur, ſed corde ſuo maledicunt. Nec diſsimilia ſunt hæc. Linguæ noſtræ in melle ſitæ ſunt, corda in felle. Plautus. &. Aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Saluſtius.

Pſal. 12. & 52.

XXII.

Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Exhortatio ad pios, & Dei colentes, ſingulos, & vniuerſos: qua docet eos Propheta, quales gerere ſeſe debeant, tum in alijs ærumnis, tum vel maximè, quando propter Chriſtum, & veræ doctrinæ profeſsionem in diſcrimen capitis, & fortunarum vocantur. Nam & cauſa, quam defendunt, Dei eſt, & calamitates niſi conſilio, & numine diuino non accidunt. Curas, moleſti-

moleſtias, & quidquid animum anxium habet, & ſollicitum in Dominum, cuius in amiciciam intraſti, reijce: & in omnibus malis, & calamitatibus te, tuaq́; omnia fidei ipſius, bonitatiq́; committe. Ille enim res tuas afflictas, & iacentes recreabit: nec permittet vnquam, vt qui cum eo in gratia eſt ab impuris, & ſceleratis hominibus opprimatur. Fluctuationis, σάλου, *vocabulum à marina tempeſtate ſumtum eſt. Huc pertinent* Matth. 6. *quæ concionatur Chriſtus de cura, quam de ſuis gerit pater* & Luc. 12. *cœleſtis. & illud Petri Omnem ſollicitudinem veſtram proijcite in illum, quoniam ipſi cura eſt de vobis, & Pauli. Nihil* 1. Pet. 5. *ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Vide* Epheſ. 4. *eiuſdem ad Theſſ. epiſtolam 2. cap. Quid ſuper te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum: non enim ſubtrahet manum, vt ruas. Aug.* τελείας ψυχῆς ἐστι τὸ ἀμέριμνον: ἀσεβοῦς δὲ, τὸ φροντίσι κατατρίβεσθαι. *Nilus.* ἐπιῤῥίπτειν ἐπὶ τὸν κύριον τὴν μέριμναν, ἐστὶν ἀμερίμνους τὸ τῶν ἀγγέλων ἔργον ἔχοντας ὑμνεῖν ἀλήκτως, καὶ ἀδιαλείπτως τὸν κτίσαντα, καὶ τῆς αὐτοῦ κατατρυφᾶν θεορίας. *Iactare curam in Dominum eſt ſine ſollicitudine angelorum opere occupari, quod eſt aſsiduè laudare creatorem, & contemplatione illius delectari. Damaſcenus.*

XXIII.

Tu vero Deus: deduces eos in puteum interitus: Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſperabo in te Domine.

Antitheſis per imprecationis iterationem. Pios, & innocentes defendit, tuetur, & ſeruat Pater cœleſtis: at verò impios, & impuros, qui damno, & malo homines ſanctos mactant, in foueam interitus deturbabit. Viri ſanguinum.) *Epiphonema. Homines qui ex fraudibus, dolis, & fallacijs conſuti ſcelere paſcuntur, & bonorum ſanguine ὠκυμόρους eſſe, & ad ætatis ſuæ medium non peruenire.* Vitæ

Vitæ vocatur impius
Ad exitum, cùm maximè
Floret, vigetq́;, quo die
Minimè putatq́;, euertitur.

Huc referendum illud Germanico prouerbio celebre, quo dicitur canem furioſum vltra nonum diem viuere non conſueſſe:
Prouer. 9. *& huic contraria ſententia, quæ eſt apud Solomonem, vbi ſapientia, per me, inquit, multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Domini metus ætatem conciliat: at impiorum anni decurtantur. Videant ſibi qui infeſti in religionem veram inſeruntur Belialidæ, & nihil aliud moliuntur, nihil vel cogitant, vel ſomniant, quàm de Chriſto addictorum memoria vbiq; gentium abolenda. Non enim contemtam habebit quiritationem pauperum ſuorum Deus, non labefactari permittet, qui Chriſto nomen dederunt: ſed flagitioſam tandem hominum ſanguinariorum, fraudulentorumq́; manum præcipitem aget in perpe-*
Prouer. 10. *tuam inferorum exuſtionem.* Ego autem) *clauſula. Ego omnem ſpem vitæ, fortunarumq́; mearum in bonitate tua beneuolentiaq́; interminata collocabo.*

PSALMVS LVI.

COLVMBA MVTA.

QVerela de Saulo, eiusq́; ſatellitibus: à quorum ſæuitia, & crudelitate tutus vt eſſet Propheta, in exilium ire, & ad Palæſtinos ſeſe conferre neceſſe habebat. Apud quos tamen ipſos, cùm in odium ſe veniſſe principum, & contumelioſis dictis perſtringi animaduerteret, pertimuit adeò, vt geſtum immutaret, & ſimularet ſtulticiam. Qua elapſus ex aula regis Achis carmen hoc poſtea confecit: quod Aureolum inſcripſit de columba muta inter alienigenas: innuens hoc titulo, muſsitanti ſibi inimicorum iniurias, nihil niſi gemendi facultatem, columbæ inſtar, relictam fuiſſe. Conſolatur autem ipſe diuinæ ſe promiſsio-

miſsionis recogitatione,qua ad regnum ſit vocatus: licet in contrariam diſputent ſententiam aduerſarij: nec ad ipſum,ſed ad Sauli liberos imperium contendant pertinere.Nos in precibus noſtris vſurpare poſſumus hunc Pſalmum contra tyrannos: qui ſine intermiſsione doctrinam cœleſtem oppugnant, & inuadere in profeſſores eius,miſeroſq; illos habere non dubitant. Contra quorum iniuſtam violentiam confirmemus animos: quòd ipſum Dei verbum teſtimonium nobis tribuit,nos cauſſam defendere optimam, & iuſtiſsimam: licet hoſtes calumniandi neq; modum neq; finem facientes, nos pro turbulentis hominibus, & deprauatoribus doctrinæ Euangelicæ habeant: ſibiq; ſolis, cum faſtu maximo nomen titulumq; Eccleſiæ arrogent.

I. II.

Miſerere mei Deus quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.

Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me ab altitudine.

Propoſitio, cui narratiuncula διηγημάτιον attexitur de periculis, & calamitatibus: quæ ſibi ab hoſtibus, & aduerſarijs intentantur. Supplici tuo opem affer, & auxilium pro miſericordia tua, & clementia Deus. In exulem, enim & patria extorrem impetum faciunt homines impij, & neſarij: qui omnes vias, & rationes perſequuntur: vt me capite, & fortunis oppugnent. Impreſsionem in me quotidie ſumma ope faciunt aduerſarij mei: irrumpunt in me, irruuntq; hoſtes diebus ſingulis, omnia ſtudia ſua ad obruendum me, opprimendumq; conferentes.

Diei timebo : ego vero in te ſperabo.

Conſolatio. παραμυθία. Verumenimuero inſaniendi in me, debacchandiq́; modum nullum faciant hoſtes : ego, quocunq; tempore animus meus timore aliquo percullſus iacet, tibi confido, & in te ſpem ſalutis omnem repono.

IIII.

In Deo laudabo ſermones meos: in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi caro.

Ratio. Glorior enim non de præclarè factis, & magnificè effero me non de fortiter à me geſtis rebus : ſed de verbo Dei : cuius promißionibus, credens ſpe contra ſpem, fretus ex numine cœleſti pendeo, parum ſollicitus quid moliantur in me mortales. Non appeto regnum, nec in adminiſtrationem Reip. ſponte me ingero : ſed à Deo ipſo vocor in imperium : qui quidem ſuo me tempore in ſedem regiam collocabit: quid autem extimeſcam homines qui caro ſunt, & puluis, & vmbra? τί τρομέω βροτὸν ἄνδρα θεὸς νυ μοὶ ἐλπὶς ἐτύχθη: Noſtra Deus ſpes eſt : timeam quid puluerem, & vmbram? Nonnus. Huc referantur exempla omnium ætatum piorum mortalium : qui in
Rom. 8. *Deo fiduciam habentes, eiusq́; promißionibus fulti, expectationis ſuæ ſpe non ſunt fruſtrati. Si Deus pro nobis quis contra nos. Paulus Apoſtolus.*

V. VI.

Tota die verba mea execrabuntur : aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt & abſcondent : calcaneum meum obſeruabunt : ſicut ſuſtinuerunt animam meam.

Amplificatio. Omnia verba mea calumniantur: nihil tam circumſpectè à me dici poteſt, quod in deteriorē partem illi non rapiant: omnes ſuas cogitationes, omnia ſtudia ad euertendum me conſerunt: concurſant, inſidias ſtruunt, conſilia inter ſe conſociant, res rationesq́; meas captant, dies noctesq́; in id vnum operam dantes, vt me vita expellant: cumq́;, ſi quid ſanæ mentis haberent, ob tanta, quæ concipiunt animo, ſcelera dolere debeant, ſeq́; metu diuini numinis à furoribus reuocare: non modò id facere in animum non inducunt: ſed de prauis quoq́; conſilijs ſibi gratulantur: quaſi me ſublato palmarium ſint reperturi.

VII. VIII. IX.

Pro nihilo ſaluos facies illos: in ira populos confringes.

Deus vitam meam annunciaui tibi: poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo: Sicut & in promiſsione tua.

Tunc conuertentur inimici mei retrorſum: in quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.

Execratio, ſeu vaticinium potiùs: πρόῤῥησις: cui ſtatim per antithesin conſolatio ſubijcitur. Vindica in eiusmodi homines Deus, eosq́; iratus protere. At meas fugas, errationesq́; numeratas habe: ac fletus, & eiulationes in commentarium tuum refer. Quod ſi feceris, retro acti, euertentur hoſtes implorantes nomen tuum: quem à meis ſtare partibus exploratum habeo, ideoq́; deſertum me paſſurum eſſe nunquam certò ſcio. Quod interpretes Græci dixerunt ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς ὤσεις αὐτούς, pro nihilo ſaluos facies illos: Caſsiodorus ſic explicat. Pro nihilo ſaluos facies, ſignificat, quòd Deus

gratis

gratis omnia ſua pietate concedit: nec cuiusquam meritum exigit, vt poßit proprio labore ſaluari: Quid enim meruit latro, vt ſic Paradiſum velociter intraret: quid Publicanus, qui repente de templo abſolutus exiuit? Ipſe dedit confeßionis ſubitum votum, qui donauit & præmium. Conſtat ergo pro nihilo peccatores ſaluos fieri: quando certum eſt, conuerſionem gratuita largitate concedi. Digna eſt autem notatu ſententia hæc, reponis lachrymas meas in vtrem tuum: Ea enim ſignificatur, Deum non modò capillos, vt apud Matthæum ſeruator loquitur, verùm etiam gemitus, qui ab eo abſconditi non ſunt, lachrymasq́; noſtras, in vtrem velut collectas numerare: & ita quidem, vt ne minima quidem guttula præterſtillet: Qua ſanè, conſolatio amplior, ad forti animo tolerandas calamitates, & ærumnas quaslibet, reperiri nulla poteſt. Certè, quæ pars fuerunt ſatis pro genere humano factionis, lachrymæ Ieſu Chriſti, adeò non perierunt: vt pro quibus profudit eas Iudæis, merito ipſarum, multi ſeſe deuouerint ipſi: & ad Chriſtianorum partes tranſierint. Scilicet obliuiſcetur mulier infantis ſui, immiſericors in vteri ſui filium? Atqui etiam ſi fieri queat, vt obliuiſcatur illa, ego tui non obliuiſcar. Iſaias.

X.

In Deo laudabo verbum: in Domino laudabo ſermonem.

Ratio ex ſuperioribus reuocata: quam repetitione auctiorem reddit, & interpretatione clariorem. Glorior de verbo Dei: de promißionibus diuinis magnificè me effero: in Deo omnem ſpem rerum rationumq́; mearum ſitam habeo: neq; vllo metu de conſtantis animi fiducia me patiar dimoueri. Quid enim ſunt homines, aut quid puluis, & vmbra tandem virium habet: quibus, propugnante pro ſeruo ſuo maieſtate diuina, me poßit euertere? Dominus mihi adiutor, Non timebo quid faciat mihi homo. Vox Gordij Cæſarienſis militis martyris inter tormenta. Baſilius.

In

XI. XII.

In Deo ſperaui non timebo quid faciat mihi homo: in me ſunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuiſti animam meam de morte: & pedes meos de lapſu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Gratiarum actio. εὐχαριςία. *Quæ pro ſalute mea nuncupaui tibi vota Domine, ea nunc ſoluo: tibiq́; gratias, quas animus meus capere poteſt, maximas habeo, agoq́;: quòd vitam meam ab interitu, pedes à prolapſione probibueris: vt ſaluus iam, & incolumis vſura lucis fruens diutius, cum pijs omnibus, & mente memori, & voce grata, & actionum honeſtate nomen tuum celebrem.*

PSALMVS LVII.

ODOLLIA.

ET inſcriptionis parte, & argumenti ſumma congruit Pſalmus hic cum eo, qui præceſsit. Habet enim querelam Propheta de Saulo, eiusq́; aſſeclis: quorum furoribus effrænatis in eas compellebatur anguſtias: vt, ne vitæ adiret periculum, in ſpeluncam abdere ſe cogeretur: quemadmodum id annotatum legimus libro de rebus geſtis regum Hebræorum pri- 1. Reg. 22.
mo. Non diſcrepat ergo nec vſu à carmine ſuperiore: ſed eo oppugnemus licet oppreſſores Eccleſiæ, & eorum conſiliarios, & adminiſtros: qui ad nutum, voluntatemq́; tyrannorum compoſitis calumnijs, & ſententijs, doctrinam cœleſtem in odium adducunt, & inuidiam: inſtructi, armatiq́; dentibus, & linguis, quæ ſpicula ſunt, vt Spiritus loquitur ſanctus, & ſa-

gittæ, & gladius acutus. Verumenimuero eſt cur meritò agamus in precibus noſtris gratias præpotenti Deo, & Chriſto eius, parenti ſalutis noſtræ. Nam &, quas ad noſtram ruinam foſſas cauant, & puteos deprimunt, in eos ipſi, nec opinantes delabuntur: &, quæ improbitas nobis intentatur ab illis, ea dedecori authoribus erit, & ſempiterno exitio.

I.

Miſerere mei Deus miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea: & in vmbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.

πρότασις, Propoſitio adiuncta ratione, cuius pars prior ἀναδιπλώσει, exprimendi affectus gratia, poſterior imagine à gallinis accerſita, exornata eſt. Deus cuius ditione, ac nutu geruntur omnia precor, vt in periculo verſantis maximo te miſereſcat mei: quem antehac ſæpè expertus ſum pro ſalute mea propugnare, Domine excuba pro me. Nam certè omnem ſpem indemnitatis, incolumitatisq́; in tuæ clementiæ defenſione repoſitam habeo: nec aliter ſub miſericordiæ tuæ vmbram me, dum tranſeat calamitas, abdo, quàm inuolante in eos accipitre, ſub alas gallinæ, ne abripiantur, pulli confugiunt.

II. III.

Clamabo ad Deum altiſsimum: Deum qui benefecit mihi.

Miſit de cœlo & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me: miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam.

ἐπιμονὴ ἐξεργαστικὴ ἀπὸ τῶν ἐκβάντων, cui in fine anne-

annectitur epiphonema. Clamo ad te, qui, alta incolens, humilia vides maxime omnium rerum moderator, & princeps: auxilium tuum imploro æterne pater, & Domine: qui cùm actum iamiam videtur eſſe de ſalute mea, pro tua bonitate, & promißionis veritate ex calamitatibus me, & miſerijs omnibus eripis: qui de cœleſti ſedis tuæ loco opem fers, & miranda ratione ab iniurijs oppreſſorum me defendis. Semper Deus in ſui colentes ſua miſericordia vtitur, & fide.

IIII.

Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus: filij hominum, dentes eorum arma et ſagittæ: & lingua eorum, gladius acutus.

Διηγημάτιον. *Narratiuncula cum deſcriptione crudelitatis, & immanitatis aduerſariorum, & ſycophantarum: qui cum ingrati animi criminis Dauiden in regem, & ſocerum, perturbationis, ac ſeditionis in repub. impietatis deniq; in Deum inſimularent: propter tam malicioſæ, & atrocis calumniæ iniurias, ipſe eos leonibus, & flammis: dentes illorũ contis, & ſagittis: linguas verò enſibus confert, & componit. Ab immanibus leonibus vita mea tenetur obſeſſa: inter incendiarios iaceo, quorum & dentes ſpiculis ſunt acutiores, & lingua gladijs incidentior. Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Iohannes.* 1. Ioh. 4.

V.

Exaltare ſuper cœlos Deus: & in omni terra gloria tua.

Δέησις, *qua precatur, vt contra mendacia ipſum, importunitatemq; hoſtium defendat, propter gloriam nominis ſui: in quod petulanter incurrant. In te Domine iniurioſi ſunt hoſtes mei: dum enim me accuſant: ipſum te, à quo ad regnum vocor, calumniantur: tollere igitur magne ſupra cœlos Deus, inclyta famæ Gloria vulgetur qua patet orbis iter. Gloria,*

δόξα, Dei eſt fidem diuinam implorantes exaudire, laborantibus opem ferre, iacentes erigere, oppreſſis miſerijs, & calamitatibus dextram porrigere.

V I.

Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam: foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

πρόῤῥησις imagine illuſtrata: quæ denunciat hoſtibus perniciem. Aduerſarij quidem mei obnixè faciunt manibus, pedibusq; omnia: vt periculum mihi creent, & exitium: ideoq; retibus compoſitis inſidias ſtruunt greſſibus meis: quæ ex re accidit: vt non poſſim non ancipiti cura diſtrahi, animoq; interdum cadere. Verùm quid fit? excitant ſcrobes illi, & foueas aperiunt: ſed dicto citius in ſuos ipſi laqueos, & inſidias incur-
Eccle. 10. runt. Qui foſſam fodit, in eam cadet. Concionator. Qui foueam cauat, in eam cadet: & qui laqueum ponit, eodem capietur:
Sir. 27. qui mala facit, ea in eum reuoluentur. Siracides.

VII.

Paratum cor meum Deus paratum cor meum: cantabo & Pſalmum dicam.

ἐυχαριστία, Gratiarum actio. Propterea ardeo cupiditate incredibili canendi, celebrandiq; modulatè, gloriam nominis tui:

Hinc animus promptus meus eſt, & lingua parata,
Vt canat æterno carmina grata Deo.

VIII.

Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

Alloquitur Pſalterium, & citharam ſuam per apoſtrophen: ſeq; ad collaudandum Deum excitat, & confirmat. Vocat

cat autem per μετάληψιν inſtrumenta muſica gloriam,ſeu decus ſuum : quòd ijs Dei nomen, & famam longè, lateq; diuulgatam celebret. Expergiſcere decus meum, excitare Pſalterium,& lyra mea : experrectus conſurgam è lectulo primo diluculo.

IX. X.

Confitebor tibi in populis Domine: & Pſalmum dicam tibi in gentibus. Quoniam magnificata eſt vſq; ad cœlos miſericordia tua: & vſq; ad nubes veritas tua.

αἴτιον πλαιόν, cur laudes diuini numinis celebrare, & patri cœleſti pro ſua in nos bonitate, & miſericordia gratias, & habere, & agere nos par ſit: nimirum, vt de nobis exemplum capiant non pauci : quo & ipſi ad cognoſcendam Dei cum voluntatem, tum fauorem, benignitatemq; inuitentur: ac, verbis, promißionibusq; eius fidem habentes, optima quæq; de placabilitate ipſius, atq; clementia per omnem ſibi vitam polliceantur. Prædicabo te apud gentes Domine, tuiq; nominis laudes celebrabo apud populos : cuius clementia ad cœlos, cuius fides, & promiſſorum conſtantia ad nubes pertinet.

XI.

Exaltare ſuper cœlos Deus : & ſuper omnem terram gloria tua.

Petitionis repetitio, τῆς δεήσεως ἐπανάληψις, quæ eſt Pſalmi concluſio. Excitare, & ſupra ſidera euehere Deus: vt, declarata vi potentiæ tuæ in impios, nominis tui maieſtas,& gloria omnibus terrarum oris innoteſcat.

PSALMVS LVIII.

ASPIDES.

SVB perſona eorum, qui ad ſe euertendum omne ſtudium conferebant, aſperè appellat, & obiurgat Propheta, cum omnes impios, & conſceleratos, tum præcipuè doctores: qui peſtiferarum opinionum commenta in vulgus edunt: & tanta pro ĳs obſtinationis peruicacia propugnant: vt auribus, aſpidis veluti, veritati clauſis, non modò errorem ſibi eripi non patiantur, ſed minas etiam iactent, pericula intendant, formidines opponant. Verùm conſolatur & ſe, & Dei metuentes omnes ex natura ſumptis imaginibus: quibus innuit fore, vti eiuſmodi magiſtrorum furoribus exitus minimè reſpondeant: ſed ſpe fruſtrati turpiter in medĳs aggreſsionibus concidentes, ad extremum ſua vertant omnia. Sæpenumero nimbis pluuialibus auctus torrens aliquis lapſus è montibus, tanto impetu fertur, & ſtrepitu, vt ſtraturus exiſtimetur agros, & ſata læta, boumq́ labores: at, *ſimul*atq; plana attigit æquora campi, diffluit, neq; damni dat, & detrimenti quidquam. Dirum minatur, qua tela torquentur eminus, & ſagittæ, machina: verùm, ſi arcus frangitur, aut rumpitur neruus, fallit eadem iaculantis manum, nec formidata loco ſuo ſagitta figitur. Cochlea exerit ſe domicilio ſuo, & protendit cornua: ſed, antequam in obuia incurſat, iam aut contraxit arma, aut ipſa in limum abĳt. Quid, nonne & quæ molæ appellantur, vteros tendunt grauidis: & abortus maximo cum parientium dolore eduntur: ſed & illæ motu carent, & hi deſtituuntur vita. Nonne rhamnus floret, ramos ſpargit, aculeis pungit? at verò idem ſecuri cæſus, & in ignem coniectus quam breui temporis ſpacio in cinerem redigitur? Ad eundem planè modum molitiones, machinationesq́; eorum, qui ſeditioſis conſilĳs, & doctrinis turbulentis infeſtant Eccleſiam, vt nullas non

ſeſe

ſeſe vertant in facies, quò, opinionis errore quam ſibi finxerunt, authoritatem conſequantur, & potentiam: in nihilum tandem maximo cum dedecore, & ignominia recidunt.

I. II.

Si verè vtiq; iuſticiam loquimini: rectè iudicate filij hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniuſticias manus veſtræ concinnant.

ἐπιτίμησις ἀγανακτικὴ *per interrogationem,* ψόγον *habens, & reprehenſionem aduerſariorum: quibus ſilentium iniuſtum, iudicium peruerſum, conſilia ſcelerata, vim, & immanem crudelitatem exprobrat. Ergone ſceleſtiſsimi hominum ita fieri oportet: vt non modò vobis turpiter inhæreat lingua, ne iuſta pronunciare in cauſa mea, & libidinem furioſam tyranni refutando, rectum facere iudicium poſsitis? ſed etiam impotentibus inſtructi conſilijs, quæ ſecretò coxiſtis, inſidias ſtruere, & ex conſtituto, animoq́; prauo, maloq́;, librantes quaſi iniurias, & vim iudiciali ſtatere appendentes, conflare mihi perniciem, machinationesq́; nefarias iuſticiæ ſpecie venditare non vereamini? In interpretatione Septuaginta* ἐλλιπὲς *eſt:* εὐθείας κρίνετε *ſcilicet* κρίσεις.

III.

Alienati ſunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa.

καταγραφὴ γενικὴ, *qua oſtendit animos impiorum in ipſa conceptione contracta culpa, & labe, morbo natiuo, qui eſt*

 originis,

originis, & hæret in ipſis viſceribus, ita infectos eſſe, & corruptos: vt cum in omnia alia ſcelera, & flagitia, tum vel maximè vanitatem orationis, & calumnias incredibili procliuitate ferantur, κακοῦ nimirum κόρακος κακὰ ᾠά. Prodeuntes in lucem hanc mentes opinionibus prauis imbutas adferunt impij: mendacijs infecti ſunt ab ipſis incunabulis ſcelerati.

IIII. V.

Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.

Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis ſapienter.

αὔξησις ſimilitudinis illuſtratione ornata. Furor impiorum ſerpentum furori ſimilis eſt: & vt aſpis, ne magi carmina audiat, vnam aurem terræ applicare fertur, alteram cauda inflexa obturat: ſic nullas iſti admittunt voces, nullius conſilijs, & admonitionibus locum relinquunt, voluntariam ſibi ſurditatem procurantes, μὴ κλείσῃς τὰ ὦτα πρὸς παιδείαν κυρίου, καὶ νουθεσίαν ὡς ἀσπὶς πρὸς ἐπάσματα. Noli obturare aures ad diſciplinam, & monita Domini, vt ad veneficia, & cantiones aſpis. Theologus.

VI.

Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: malas leonum confringet Dominus.

Precatio allegorica. Nam mendacia, calumnias, conſiliaq; hoſtium dentes vocat: & propter vires, potentiam, ac crudelitatem ipſos catulos leonum appellat. Deus excute dentes eorum, & maxillares leoninos elide: compeſce immanem crudelitatem, & furentem rabiem hoſtium frange.

VII. VIII. IX.

Ad ni-

Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: ſuper cecidit ignis & non viderunt Solem.

Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum ſicut viuentes ſicut in ira abſorbet eos.

πρόῤῥησις ſimilitudinibus amplificata. Vaticinatur vanos fore & irritos conatus impiorum, &, vindicante in illos Deo dicto citius conſilia, deliberationes, machinationesq́; vniuerſas ad nihilum planè venturas: id quod exempla oſtendunt Pharaonis, Sauli, Sennaheribi, Amani, Antiochi, Iuliani, & ſimilium. Diffluent quaſi aqua humi fuſa, quæ recolligi non poteſt: Conſiſtunt arcu adducto, & oculos pariter telumq́; tendunt: verùm expulſa ſagitta inter volandum frangetur: Accidet eis, quod limaci in limum abeunti: quod abortui mulieris, qui ſolis lumen non cernit. Ac veluti rhamnus, priusquam ſpinæ eius maturerint, ſecuri reciſus in ignem conijcitur: ſic eos vis iræ diuinæ in ipſis aggreſſionibus de medio tollet. Quidam Talpam, & Lebetes, & crudas carnes hoc loco apponunt: quæ omnia Hebrææ linguæ vſum habentibus commendamus.

X. XI.

Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.

Et dicet homo ſi utiq; eſt fructus iuſto: vtiq; eſt Deus iudicans eos in terra.

Αντίθεσισ παραμυθική. Dabunt ad extremum ſcelerum ſuorum pœnas homines impij, & conſcelerati, pro ſua iuſticia animaduertente in illos Deo: qua ex re, quòd gloria numinis hac ratione magis illuſtrabitur, voluptatem incredibilem iuſti capient. Adeo autem maior opinione exiſtet vindicta diuina: vt tanta ſit futura ſtrages hoſtium: vt veſtigia in ſanguine impiorum Dei metuentes lauent. Itaq; fiet, vt vbiq; vocibus lætiſſimis aures perſonent omnium: Bonis fructum tandem eſſe, & præmia, Deo terras moderante, & exercente iudicia.

PSALMVS LIX.

CANES.

PSalmus εὐκτικὸς, ſeu precatorius, contra furioſam immanitatem Sauli, & aſſectatorum illius, factus ad hiſtoriam, quæ ſcripta eſt in hiſtoria regum Hebræorum: ne periret: cùm miſiſſet tyrannus, qui domum Dauidis cuſtodirent, perimendi iugulandiq; ipſius cauſſa. Transferri poteſt ad Chriſtum Dominum de canibus Iudæis conquerentem: qui etſi definito Dei Patris conſilio, & prouidentia traditus eſt: tamen hoſtes illum ſceleſtis manibus comprehenſum, & ad palum alligatum, ſublatumq; delere, & ex rerum natura voluerunt exterminare: tum quod ſcriptum in eorum diſciplina extabat: Oderunt me gratis: tum quod eum, à quo eſſet miſſus, non noſſent. Vaticinatur autem fore, vti non quidem extirpentur radicitus: ſed in omnes tamen fines terrarum agitati, diſsipatiq; diſijciantur: &, gladios habentes in labris, niſi mendacia, calumnias, & deteſtandæ linguæ execrationes nihil quidquam doceant. Id quod vſq; ad hunc etiam diem nauiter fecerunt: omnia ſua ſtudia, omnes operas ad deformandum Chriſtum, & oppugnandam doctrinam conferentes. Ac recipiunt ſanè

dignam

dignam quoq; ſcelerum ſuorum mercedem : dum veſperi, quod eſt, in vltima mundi huius tempeſtate ſtrepunt, & ringuntur, & famelicorum canum inſtar vrbem obeuntes fruſtra cibum quæritant. Quo enim ex tempore Apoſtolorum opera longè, lateq; per cunctas nationes doctrina Euangelij propagari cœpit, ſpoliati ſacerdotio, regnoq; exuti, certum in quo conſiſtant locum non habent: ſed vagam perſequentes vitam, maxima cum deſiderij cupiditate, quærunt vbi ſedes figant, imperiumq; conſtituant: verùm operam, quod dicitur oleumq; perdunt: ac canes ſint oportet, qui non modò terris pulſi omnibus, huc vagentur, & illuc: nec micis veritatis, de menſa quæ cadant Chriſtianorum, digni habeantur à Deo : ſed ſine Repub. etiam ad cœcas inferorum tenebras relegati, in miſerias proijciantur ſempiternas, Sauli exemplo, & poſterorum illius: qui, etſi nihil non agerent, nihil non molirentur, quò regnum in ſua familia retinerent, canes tamen manere cogebantur: donec ad extremum exciſi, & funditus ſunt deleti.

I. II.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalua me.

πρόταστς, Propoſitio συνωνυμία exornata, & incremento, ἐπαυξήσει. Eripe me, cuius ſempiterno numine, & immenſa benignitate omnia ſuſtinentur, Deus ex hoſtium manibus : propugna pro me Domine, qui cunctarum rerum principatum tenes contra inimicos, qui me vi, oppreſſioneq; euertere decreuerunt : tuere, & defende à facinoroſis: & à ſanguinarijs tutum, & incolumem præſta. Quia

III. IIII.

Quia ecce acceperunt animam meam: irruerunt in me fortes: neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine.

Sine iniquitate cucurri & direxi: exurge in occurſum meum & vide.

Narratiuncula, διηγημάτιον periculi, cum innocentiæ ſuæ commemoratione: non quòd coram diuino iudicio vacet culpis, & peccatis contaminatus non ſit: quis eſt enim qui non in multis delinquat momentis ſingulis? Sed quòd hoſtibus nullam occaſionem præbuerit vel minima offenſione, propter quam miſerum infeſto animo oppugnent, & pernicici ipſius, exitioq; ſtudeant. Ecce enim collatis conſilijs, & intentis animis obſeruant, ſi qua damnum dare, & vitam mihi poſſint eripere: inſtructi opibus, & potentia præter meum meritum in me conglobantur: concurſant nullo meo vicio præpotentes: ſeq; in perniciem meam infeſtis animis comparant.

V.

Et tu Domine Deus virtutum Deus Iſrael: intende ad viſitandas omnes gentes: non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Propoſitionis iteratio ἐπανάληψις diductioq;. Affer igitur opem mihi, & auxilium, vindicans in aduerſarios. Expergiſcere, & obuiam veniens mihi cœlitum, hominumq; rex, & Domine Deus exercituum, vim, iniuriasq; inimicorum intuere: excitare Deus Iſraelitarum: neq; quo minus in impios vindices, & atrocia animaduerſionis tuæ exempla edas in perfidos,

ſidos, maleficosq́;, vllius te miſereſcat. Ad Chriſtum relatus hic verſus conuenit cum illo. Ite doctum, & eruditum omnes gentes. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Viſitauit Deus gentes, cùm in vniuerſum orbem terrarum legauit Chriſtus Apoſtolos: qui hominibus amiciciam cum numine cœleſti conciliarent: & vitæ æternæ in mentibus illorum ſpem inſinuarent, & deſiderium. Matth. 28. Marci 16.

VI.

Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes: & circumibunt ciuitatem.

Execratio, ἀρὰ, εἰκασία imagine illuſtrata. Veſperi fame enectorum canum inſtar ringantur, fremant, & vlulent vrbem obeuntes cibi quærendi gratia. Pij homines ex æquo fauore proſequuntur, & beneuolentia tàm amicos, quàm inimicos, idq; de præcepto Chriſti, & patris cœleſtis exemplo: ac ne laceſſiti quidem mali, & aduerſi quidquam optant ſuis aduerſarijs: at verò ſi ijdem per latus quaſi ſuum in Dei gloriam arma ſtringi animaduertunt, ſancta animi indignatione accenſi, pro laude nominis diuini propugnant preeibus: vtq́; impiorum furores reprimat Deus, eosq́; exterminatos euertat, & perdat, vota faciunt.

VII.

Ecce loquentur in ore ſuo & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?

Ratio cui attexitur μίμησις. Ecce enim abdita conſerunt conſilia: & ſermone blaterant pleno crudelitate, cæde, & ſanguine. Et quidem effrænata eorum audacia eò dementiæ progreditur: vt exiſtiment ſe, quæ coquunt inter ſe, de bonorum pernicie, conſilia, non omnes, modò mortales, ſed ipſum quoq; Deum

celare

cælare poſſe. Certe non dubitant inter ſe in nefarias voces prorumpere : quis audiret : non eſt Deus, cuius aures ad iſta pateant. Gladij, ῥομφαῖα ἐν τοῖς χείλεσιν, quos ait in aduerſariorum labris eſſe, mendacia ſunt, calumniæ, fallaciæ, & fraudulentæ interpretationes : quæ tam in diuinis, quàm piorum hominum ſermonibus deprauandis, vſurpantur.

VIII. IX. X.

Et tu Domine deridebis eos : & ad nihilum deduces omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam : quia Deus ſuſceptor meus.

Deus meus miſericordia eius præueniet me : Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos.

Παραγγελία, denunciatio fruſtrandi cũ conſilij conſolatione. Atq; hæc quidem illi: verùm tu Domine, irrita iubens eſſe conſilia nefaria, ludes eos: & gentes vniuerſas naſo ſuſpendes. Hinc fit, vt, quò tutus ſim ab hoſtium immani potentia, ad te fidenter me applicem: vt qui propugnare pro ſeruo tuo, & tueri me, ac defendere & potes, & ſoles : plus bonorum in me congerens, quàm illi malorum inferunt. Præſtabis certè, vt, cùm quæ opto eueniſſe videro, voluptatem ex impiorum euerſione ſingularem capiam. Hac particula: Deus præueniet me : vtitur Auguſtinus libro De Nat. & Gr. contra Pel. Et lib. 2. ad Bonificium contra eosdem. Vt enim ſibi quisquam tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viuentis animæ vigor, ſed mortuæ carnis tumor, inquit Fulgentius. De gratia.

XI.

Ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei : diſperge illos in virtute

tute tua : & depone eos protector meus Domine.

πρόῤῥησις, Significatio pœnæ : quæ oraculum habet de Iudæorum diſsipatione, & in omnes terrarum oras diſiectione. Ne macta eos ſtatim, & vita exue : ne ſeueritatis tuæ in impios exemplum, vlla vnquam apud populum credentium deleat obliuio : ſed pro tua eos potentia diſsipa Domine, clipee, & propugnator noſter : & in diuerſiſsimas regiones diſiectos, & extorres per orbem terrarum vagantes, ſacerdotio pariter, & regno exue. Iudæi monumenta exempli, quod in ijs ſtatuit iræ ſuæ Deus, circumferre, & vel inuiti coguntur oſtentare, tum vt documento ſint mortalibus vniuerſis, quid ſit furore, & amentia præcipites ferri, contráq; venire Dei verbo, mandatiſq;, ac viſitationis ſuæ tempus, vt loquitur Seruator, negligere : tum ſuo vt exilio non opera legis : ſed fidem in Chriſtum veram eſſe coram Deo iuſticiam demonſtrent.

XII.

Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum : & comprehendantur in ſuperbia ſua : & de execratione & mendacio annunciabuntur.

Ratio ex ſuperioribus ἐπανάληψει reuocata, & oraculo interpoſita. Sermo illorum ſcelere refertus eſt, & flagitijs : animi intemperantia ſublati, in ſe omnia putant collocata : quo fit, vt ore maledico, petulantiq; lingua in aduerſarios inuehantur: &, vt commenta ſomniorum ſuorum adſertione comprobent, mendacijs, calumnijs, præſtigijſq; inuoluant omnia : ac non rarò in contraria, pugnantiaq; incurrant.

XIII. XIIII XV.

In conſummatione: in ira conſummatio-

mationis & non erunt : & ſcient quia Deus dominabitur Iacob : & finium terræ.

Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes : & circumibunt ciuitatem.

Ipſi diſpergentur ad manducandum : ſi verò non fuerint ſaturati & murmurabunt.

συνέχεια, oraculi continuatio, cum execrationis repetitione. At verò exterminatos, & in diſiunctiſſimas terras diſperſos extirpa tandem radicitus : &, adhibita miſericordia nulla, confectos in nihilum redige : vt per omnes vulgetur nationes dominatorem in Iacob exiſtere : ad veſperam ringantur, ſtrepant, vlulent, & famelicorum canum inſtar vrbem obeant victus quærendi gratia, nec vnde famem depellant quidquam inueniant. Iudæi diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem, ſine homine, ſine Deo rege : quibus nec aduenarum iure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur. Tert. Apol.

XVI. XVII.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam : & exaltabo mane miſericordiam tuam : quia factus es ſuſceptor meus: & refugium meũ in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi pſallam : quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia tua.

Promiſi-

Promiſsio gratiarum actionis, ἐυχαριςίας ὑπόχεσις, quæ eſt Pſalmi concluſio. Ego potentiam celebrabo carminibus: bonitatem, & miſericordiam tuam ſingulis diebus, idq́; manè ſummo, laudibus extollam: qui mihi refugio es, munimentoq́; triſtibus, & periculoſis temporibus, canticis nomen tuum Domine clementiſsime, defenſor & propugnator ſalutis meæ illuſtrabo.

PSALMVS LX.

ROSA DECORIS.

AGit gratias Deo Propheta, pro dato ſibi, illius beneficio, regno pulcherrimo: in quo verbum traditum diuinitus explicabatur, & reſp. legibus, & inſtitutis præclarè adminiſtrabatur: quibus reb. cum nihil ſit, quod melius queat, & præſtantius accidere imperijs, ideo etiam χλιδόνα, & ſegmentum vocat hoc carmen de Roſa decoris, hoc eſt, regno ipſo, quod cœleſte erat, & diuinum ornamentum. Antequam Dauides ad reip. curationem accederet, quo tempore Saulus adhuc potiebatur imperio, magna erat, quod principium conqueritur Pſalmi, perturbatio rerum omnium: nam & Paleſtini incurſionibus, populationibusq; agros Hebræorum vexabant: & religionis, ac cultus diuini nulla, aut exigua certè ratio habebatur: & multa deniq; ab ijs, quorum conſilijs, operaq; vtebatur Saulus in gubernatione regni, minus iuſtè fiebant: id quod euenire eſt neceſſe, vbicunq; Dei verbum remouetur ex oculis: & numinis reuerentia animi non tanguntur. Verumenimuero præſtitit tamen, inquit Propheta, ſignum ſuis Deus: ad quod ſublatum concurrerent: quo, ſeſe magnificè efferentes, pericula, & malorum diſcrimina effugerent: ac bonitatis, clementiæq; diuinæ certi, compoteſq; fierent: quibus verbis intelligit, tabernaculum Moſis: &, ad

quam precantes ſuppliciter exaudiebantur, arcam fœderis, cum propitiatorio; quam captam quidem etiam ex poteſtate hoſtium mirificè reduxit Deus. Atque hæc quidem parte Pſalmi priore. Altera enumeratione recenſet, cum regni ſui inſignia, Sanctuarium, & verbum ipſum Dei, tum bello acquiſitas prouincias: ac profiteri minimè dubitat: humani laboris, & induſtriæ non eſſe vrbem munitam, hoc eſt, pace, & præſidijs firmatum regnum poſsidere: & in Idumæam penetrare, populosque, ac nationes vincere, domitasque imperio ſuo adijcere: ſed Dei illa omnia fortunantis, proſperantisque actiones gubernatorum munus eſſe, & beneficium. Nos Pſalmum hunc Deo canimus pro Eccleſia longè, lateque omnibus terrarum finibus propagata: in qua templis conſtitutis, & apertis ſcholis doctrina cœleſtis explanatur: & Spiritus ſancti donis, Dei, Chriſtique Domini nomen profitentes ex animo, cumulantur.

I. II.

Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos: iratus es & miſertus es nobis.

Commouiſti terram & conturbaſti eam: ſana contritiones eius, quia commota eſt.

Propoſitio, πρότασις, querela intertexta, quæ cauſam continet gratiarum actionis: Qui propter peccata, ſceleraq; defenſionis tuæ præſidio indignos proieceras Deus, & iracundè huc atq; illuc diſsipaueras, reconciliatus es nobis: qui terram hanc tempeſtatibus irruentium hoſtium concuſsiſti, medicinam attuliſti fiſsionibus, calamitatibusq; eius: & termino malorum poſito, in priſtinum nos ſtatum pacis & quietis reſtituiſti.

III. IIII.

Oſten-

Oſtendiſti populo tuo dura: potaſti nos vino compunctionis.

Dediſti metuentibus te ſignificationem: vt fugiant à facie arcus.

διηγημάτιον. Narratiuncula allegorica: quæ repetitionem habet querelæ & auxilij, opiſq; diuinitus allatæ commemorationem. Duriter accepiſti populum tuum, triſtia præbens nobis, & acerba ſpectacula: dediſti nobis bibere tetra, & noxia vina, infundens pocula, quibus obruti ſumus, calamitatum, & omnium miſeriarum. Verùm idem ſignum tamen, & vexillum extuliſti rurſus bonitatis, & clementiæ metuentibus nomen tuum: ad quod recipientes ſeſe, tempeſtatum impetus, & calamitatum impreßiones effugerent. Bibendi verbum perpeßionem notat, malorum, miſeriarum & ærumnarum: quæ vini & poculi mortiferi nominibus intelligit. Signum Hebræis Arca fœderis, Chriſtianis Dominus, Deuſq; noſter Ieſus Chriſtus.

V.

Vt liberentur dilecti: ſaluum fac dextera tua, & exaudi me.

Cauſæ cur opem tulerit ſuis Deus, & auxilium: eoſq; tandem liberatos, ex malis & calamitatibus eripuerit: adiecta precatione δεήσει, vt beneficia ſua perpetua eſſe velit. Qua igitur cœpiſti in nos vti miſericordia, & clementia, ea ne nos priues, dextera pro nobis inuicta propugnando: vt virtute diuina ſeruati mortales pij, nomen tuum laudibus celebrent: & ipſe auxilium ferendo, qui te exorant, promißionum tuarum veritatem, & conſtantiam comprobes.

VI. VII. VIII.

Deus locutus eſt in ſancto ſuo: lætabor & partibor Sichimam & conuallem tabernaculorum metibor.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda rex meus.

Moab olla ſpei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ ſubditi ſunt.

Confirmatio ab oraculo, καὶ τῶν ἐκβησομένων. Euenient optata: Tu enim quidem certè ipſe tuo in ſacrario de propitiatorio inter duos Cherubos arcæ oraculi impoſito, opem nobis polliceris, & auxilium: quo confirmatus, animo læto ero, & tranquillo: nullus dubitans, quin, vt regno priùs Hebræorum ſum pôtitus: ſic nunc quoq; de hoſtibus externis victoriam ſim reportaturus. Partibor Sichimam) *Enumeratio, ἐπαρίθμησις, vrbium, locorum, montium, & prouinciarum, quæ diuino ſibi beneficio parebunt. Ergo Sichimam diuiſurus ſum: dimetiar vallem Suchotinam: ſub meam ditionem prouincia cadet Galaatica: erunt, qui à Manaſſe trahunt originem mei: erunt qui gloria belli pares non habent, ad Ephraimum principium referentes generis, firmamentum capitis mei: Iudas princeps, & legum arbiter. Moabus armis domitus ollæ nobis præſtabit vicem: & maximè ſeruilia opera, negotiaq; adminiſtrabit: Idumæa ſub pedum meorum ſubiungetur ſandalium: deniq; Paleſtina vniuerſa victori plaudet, & gratulabitur. Sichema fuit in monte Ephraimitico regia, vt quibusdam vide-*
Gen. 33. *tur, Isboſethi. Vallis Suchotis, à tegetibus, ſeu tabernaculis ſic*
Gen. 31. Num. 32. *dicta, vltra Iordanem eſt ad torrentem Iabocum. Gilead mons, & ipſe vltra Iordanem, quaſi tumulus teſtimonij, cum toto agro, qui Gaditis & Rubenitis in poſſeſsionem ceſsit. Ephraimum capitis ſui firmamentum appellat, quòd ea tribus ſemper bellicoſa eſt habita. Iudam principem, ſeu legiferum, reſpiciens ad*
Gen. 49. *illud Patriarchæ: Non auferetur ſceptrum de Iuda. Moabitæ à Lotho trahunt originem vicini Arabiæ Petrææ. Edomitæ, ab Edomo,*

domo, qui & Eſaus: illos ollas, ſeu lebetes ſuos nominat, propter officia, & miniſteria ſeruilia: hos calceamentis ſuis ſubiunctos dicit, propter infimam, ad quam redacti fuerant, conditionem, occiſis maribus, & regione in præfecturas diſtributa. Philiſtini Chami nepotes ſunt, ex Miſraimo filio. Tenuerunt Cananææ loca maritima, ſemper infeſti Hebræis. Hos ſibi acclamare iubet Propheta, vtpote victos à ſe, & ſuis ducibus, & gratulationibus fauſtis regem agnoſcere. In hanc particulam, In Idumæam extendam calceamentum meum, ſic Hugo Victorinus, ſeu quicunq; alius ſub titulo Auguſtini. Calceamenta Dei myſticè ſignificant incarnationem ipſius, quam ex mortalitate humani generis aſſumere dignatus eſt. Intelligit autem, plebi gentilium manifeſtabo incarnationē meam. Libro de eſſent. Diu. 2. Reg. 8.

IX. X.

Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me vſq; in Idumæam?

Nonne tu Deus qui repuliſti nos? & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?

Gratiarum actio, quæ confeßionem habet infirmitatis, & imbecillitatis humanæ & ſapientiæ, & potentiæ in adminiſtratione reip. iuxta illud. Per me reges regnant, & gubernatores iuſta decernunt. Solomon. Quis me ad vrbem munitam ſiſtet, tutum mihi, & tranquillum ſtatum imperij conciliando: quis in Idumæam vſq; deducet me, & hoſtium potiundorum faciet poteſtatem? an non ipſe tu Deus: qui in nobis, qui non dabamus operam, vt verbis legis tuæ pareremus, perdendis, atq; euertendis lętabaris, nec cum noſtris copijs in pugnam exibas? Seruatur, eſſe qui fatetur ſe reum. Prouer. 13. Deut. 28.

XI.

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.

Precationis ἐπανάληψις repetitio, quæ eſt concluſio. Quemadmodum inſtituiſti Deus, quandocunq; tempeſtate aliqua ingruente, calamitatum nos procellæ perturbabunt, præſtò ſis miſeris, & opem fer, auxiliumq; laborantibus.

Quia vana ſalus hominum) *Ratio. Ab humanis enim opibus, viribus, & ſapientia quæ defenſio expectetur, tutela, & propugnatio, nulla eſt.*

XII.

In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

Epiphonema. Te ſine nulla ſalus: Quare te præſente Deus, hoc eſt, proſperante, egregia edemus facinora: & protritis hoſtibus vniuerſis laudem, & victoriam ex illis reportabimus. Regnum Dei, alma fauſtitasq; nos manet.

PSALMVS LXI.

PRO MAGISTRATV.

SVpplicatio pro ijs, qui ad rerum gubernacula ſedent: vt cœleſtis moderator clemẽter eos reſpiciat: quo in timore numinis ipſius, ac veneratione, reipub. habenas tranquillè, & quiete tractent, & imperium feliciter adminiſtrent: ad quem modum Apoſtolus quoq; iubet nos orare, cùm, Fiant, inquit, deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarũ actiones pro omnib. hominibus, pro regibus, & omnib. poteſtate eminentibus: vt quietam, & tranquillam vitam
1. Tim. 2. degamus in omni pietate, & grauitate. Nam, vt apud regem ſapientem eſt, propter regionis peccatum fre-
Prouer. 28. quentes ſunt eius principes. Iam quo in imperio crebræ

bræ gubernatorum contingunt mutationes: fieri non poteſt: quin quod hic bene, & prudenter conſtituit, ille temerè, negligenterq́; euertat: Sic .n. tritum habet ſermone prouerbium: Nouus rex, noua lex. Vt aũt omnes mutationes periculoſæ ſunt, & verè dictum eſt ab illo, πᾶσαι μεταϐολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι: ſic beatiſsima eſt ea ciuitas, quam bonus, et pius princeps multis annis intelligenter, ſapienter, feliciterq́; fouet, curat, tuetur, & complectitur. Lyranus ad hiſtoriam applicat hoc carmen, quæ eſt 1. Reg. 23.

I. II.

Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me: deduxiſti me.

Exordium ὀδυρμῷ querimonia conſtans. Omnium rerum moderator, & princeps Deus, qui ex infima conditione pro tuo me fauore, & beneuolentia ad regiam extuliſti dignitatem, accipe auribus querelas meas: nec irritas eſſe patere, & inanes preces, quas, multis, & magnis difficultatibus, ſuſtineo quas in imperio, affectus, atq; afflictus, è terris ad te vltimis, qui ſedes incolis beatas cœlitum, fundo. Extrema terræ, τὰ πέρατα τῆς γῆς, quidam intelligunt ſiluas, ſaltusq́; Iudææ, in quibus fugiens aduerſariorum iniurias exul vitam inopem, vagamq́; perſequi cogebatur. In petra exaltaſti me) *Propoſitio allegorica, adiuncta ratione. In rupem elatum defende: Loco tuto, munitoq; abditum protege.*

III. IIII.

Quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula: protegar in velamento alarum tuarum.

Conſolatio παραμυθία, εἰκασίᾳ illuſtrata. Nunc quidem fugiens iniurias hoſtium ſiluas, ſaltuſq; peragro Hebræos: & miſeram colo, inopemq; vitam procul à patria, procul à ſacris, & cæremonijs diuinitus inſtitutis: verùm illuceſcet tandem dies ille optatiſsimus, quo reductus ab exilio, & patrio ſolo, & templo, ritibuſq; fruar ſanctiſsimis: & in omnem ſeculorum perennitatem alarum tuarum præſidio ſecurus, & quietus agam.

V.

Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam: dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Ratio παρενθέσει interiecta. Eſt enim locus apud te Deus precibus noſtris: & nomen tuum colentes in hæreditatem, ac poſſeſsionem mittis eorum bonorum, quæ certa, firma, ſtabiliaq;, neq; vllis fortunæ iniurijs obnoxia ſunt. Hæreditas, κληρονομία, doctrina eſt de venia, & impunitate peccatorum, iuſticiæ aſsignatio, munus Spiritus ſancti, & vita beata, & immortalis.

VI.

Dies ſuper dies Regis adijcies: annos eius vſq; in diem generationis & generationis.

Continuatio συνέχεια conſolationis. Neq; verò in regiam modò reſtitues me rurſus dignitatem: ſed ætatem etiam ætati regis adijcies: vt eius anni continuentur ſeculis infinitis: nec vllus eius imperij finis ſit. Reſpicit ad promiſsionem de perpetuo regno Chriſti.

VII. VIII.

Perma-

Permanet in æternum in conſpe-ctu Dei: miſericordiam & veritatem e-ius quis requiret?

Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi: vt reddam vota mea de die in diem.

Precatio cum gratiarum actionis promiſsione. Clementia regem, fidesq́; tua conſeruet: habitantem apud te in omnem ſeculorum æternitatem miſericordia tua, & veritas tueatur, & defendat. Sic tui nominis gloriam perpetuis celebrabo carminibus: & vota mea perſoluam quottidie.

PSALMVS LXII.

SILENTIVM.

INſtitutio de ſpe non in hominum fauore, opibus, & potentia, ſed in Dei beneuolentia, miſericordia, præſidioq́ ponenda. Non paucos eſt reperire, qui, vbi in principis alicuius, aut alioqui diuitijs pollentis hominis familiaritatem intrarint, cœlum ſeſe arbitrentur digitis attingere: ideoq́ ſpiritus ſibi ſumunt non ferendos: ac faſtidio animi elati, intolerabili inſolentia proterere quaſi alios minimè dubitant: maximè ſi parietem conſpexerint inclinantem, hoc eſt, iam ante ventos alicuius non admodum ſecundos eſſe: aut alioqui faſtui ſuperborum expoſitum, ita vt propulſare abs ſe vim, & iniurias nequaquam poſsit. Vt enim, quemadmodum eſt in fabulis, in occiſum ab Achille Hectorem Græci accurrentes haſtas ſuas iactabant: ad eundem modum in miſero, & proſtrato iſti vires ſuas oſtentant: & in gratiam optimatum proculcando euerſum, & iacentem, nihil pro-

teruitatis, petulantiæq́ prætermittunt. Et neq́ reputant ſecum, quàm inanitate ipſa inanior ſit in homines confiſio: neq́ calumniandi alios, & pericula creandi bonis, innocentibusq́ ante finem faciunt, quàm reipſa experiantur, quantum non alijs, ſed ſibi ipſi damni, detrimentiq́ importarint. Nitamur igitur vno, ſolo, vero, & præpotenti Deo, & ſpe in illius fauore beneuolentiaq́ requieſcamus: in proximos verò neq́ verbis, neq́ factis iniurioſi ſimus. Hoc enim ſi fecerimus, & coram Deo, & mortalibus conſiſtemus.

I.

Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.

πρότασις propoſitio, adiuncta ratione. Equidem tranquillo ſum animo, & ab omni perturbatione vacante: mente ſum ab omni moleſtia ſoluta, & libera: ſollicitudine, ſi qua premebat me, Deo tranſcripta: in cuius, ſalus quòd ab eo pendet mea, fauore, beneuolentia, auxilioq́; lætus acquieſco. Silet animus noſter Deo, cùm rebus minus ſecundis non lamentis nos muliebriter, lachrymisq́; damus, non vias, & rationes, eijciendi nos ex miſerijs à Deo minimè conceſſas, ſequimur: ſed in ipſius voluntate curas, angores, moleſtias, & ſollicitudines vniuerſas deponimus. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Eſaias. Salu-
Eſa. 30. *tare, τὸ σωτήριον vel opem, & auxilium intelligit eius, qui condidit, & in naturam nos perduxit: ἴδιον γὰρ δημιουργοῦ, τὸ τῶν ἑαυτοῦ ποιημάτων τῆς ἀσφαλείας φροντίζειν: vel etiam ipſum τὸν σωτῆρα τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων. Baſilius.*

II.

Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus: ſuſceptor meus non mouebor amplius.

Expo-

Expolitio ἐξεργασία rationis πληροφορικὴ metaphoris conſtans, & ſynonymia. Eſt enim arx ille, eſt munimentum, eſt perfugium meum : quo pro ſalute mea propugnante, nulla vis eſt malorum, calamitatum, & prauorum motuum, & affectuum tumultu in me tanto incitata, quæ de gradu me conſtantiæ deturbare poſſit.

III.

Quouſq; irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ.

ἐπιτίμησις, qua in aduerſarios inuehitur, & ſtudia, conatusq́; in ſe euertendo illorum reprehendit. Quouſq; impreſſionem facietis in me, iniurioſe tractatum, tanquam parietem inclinantem, tanquam maceriem conuulſam euerſuri, & luce communi priuaturi? Paries inclinatus, τοῖχος κεκλημένος, et maceries conuulſa, φραγμὸς ὠσμένος, prouerbiale, de eo cuius res minùs ſecundæ ſunt: vt quàm leuiſſimo momento ad caſum dari poſſit.

IIII.

Veruntamen precium meum cogitauerunt repellere : cucurri in ſiti, ore ſuo benedicebant & corde ſuo maledicebant.

καταγραφὴ inſidiarum, & machinationum aduerſariorum, expreſſam continens picturam aulæ, in qua fraudes regnant, & ſcelera, vt rectè dixerit ille: Exeat aula, qui vult eſſe pius. In oppreſſione mea fixos, & locatos habent animos nectendis dolis, parandis fraudibus, ſtruendis inſidijs, quibus, violata exiſtimatione noſtra, de ſtatu me deijciant, intenti: ac verbis ſanè, & vultu beneuolentiam præ ſe ferunt, animo verò meditantur execrationes.

Verun-

V. VI. VII.

Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.

Quia ipſe Deus meus & Saluator meus: adiutor meus non emigrabo.

In Deo ſalutare meũ & gloria mea: Deus auxilij mei & ſpes mea in Deo eſt.

Propoſitionis repetitio, ἐπανάληψις, & explanatione, ἐξεργασία expolitioneq́; diductio per apoſtrophen. Verumenimuero licet in omnes occaſiones euertendi mei animos intentos habeant illi, mens tamen noſtra in Deo acquieſce. Deus enim ſalus mea eſt, Deus eſt meum propugnaculum, meum auxilium, mea defenſio: Deo me ſuſtentante non euertar, non deijciar: In Deo ſita eſt ſalus mea: gloria mea ex Deo pendet: Deus numen eſt roboris, & potentiæ meæ: in Deo omnis ſpes, omnis fiducia mea poſita eſt: qui me creauit, à morte liberauit, & ſpiritu adoptionis auctum omni vbertate amplificat. μακάριος ὃς τὸν θεὸν ἑαυτῷ δόξαν ποιούμενος. Baſilius.

VIII.

Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum.

Παραίνεσις, qua hortatur pios mortales, vt ſuo exemplo ſolum Deum ſpectent, ſpe, & fiducia in beneuolentia eius defixa. Et triſtibus, & ſecundis temporibus ô homines, repudiatis naturis omnibus, in Deo ſint ſpes veſtræ: curas, moleſtias, &, quæ vos coquunt, ſollicitudines, in ſinum eius, qui fiducia eſt noſtra, & perſonis non indulget, exonerando. Nullum Iudæi, Græciq́; diſcrimen eſt: idem eſt omnium Dominus, qui eum inuocant.

inuocant. Quiſquis enim Domini nomen inuocauerit, ſeruabitur. Apoſtolus. Accedamus confidenter ad gratiæ ſolium, vt miſericordiam adipiſcamur, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. Autor ad Hebræos. Rom. 10. Heb. 4.

IX.

Veruntamen vani filij hominum mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

Ratio per antitheſin. Vaniſſima enim res ſunt, inaniſſimaq; homines vniuerſi: non infimæ ſolùm ſortis, & conditionis mortales, verùm qui ſapientia etiam, opibus, & potentia maximè præſtant, ſutiles ſunt, & mendaces, & quaſi à ſole ex agris tepefactis, & ex aquis excitatus, vapor. Quare qui, illorum gratia innixi, & fiducia freti, magna ſibi pollicentur, non poſſunt non falli, decipi, deſtitui. In ſtateris.) *Amplificatio ſimilitudine, & imagine exornata. Certè vſq; vanum adeò, & inane quiddam eſt hominum genus: vt, ſi in ſtatera ſimul ſuſpendantur vniuerſi, vanitate ſint ipſa inanitateq; leuiores.*

X.

Nolite ſperare in iniquitate: & rapinas nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.

Admonitiuncula de fugienda iniuſta aliorum oppreſſione, & importunitate, quæ ex proſpero rerum ſucceſſu, & copiarum, opumq; affluentia oritur. Ne, confiſi potentia vel veſtra, vel aliorum, per vim tenuiores opprimite: ne ad res futiles animos adijcite: at verò ſi quid pecuniæ acceſſerit, ne mente, & cogitatione, in nummis defixi, faſtu efferamini, & ſublatos animos geratis. Iis qui diuites ſunt in hac vita præcipe, ne ſuperbiant, neue ſpem habeant in incertis diuitijs: ſed in viuente Deo: qui nobis largè, & prolixè omnia ſuppeditat. Apoſtolus. 1. Tim. 6

ſtolus. De diuitijs vſus eſt pulchra metaphora ab aquis ſumpta. χρυσὸς γὰρ ἀεὶ τὰς τοῦ ἔχοντος χεῖρας διαῤῥέων, ἐφ' ἕτερον μεταβαίνει, καὶ ἀπὸ ἐκείνου πρὸς ἄλλον. *Aurum enim, per manus quaſi fluens habentis, ad alium tranſit, & ab illo rurſus ad alium, inquit Baſilius.*

XI. XII.

Semel locutus eſt Deus duo hæc audiui : quia poteſtas Dei eſt.

Et tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.

Concluſio, qua epiphonemate quaſi ex certa, rataq; diuini verbi firmitudine attexit ſuperioribus & promiſsionem, & comminationem, illam, bonos vt confirmet, hanc, vt malos terreat. Semel vocem miſit Deus, quam non ſemel accepi auribus, Dei eſſe potentiam infinitam : tuamq; eſſe Domine indulgentiam, & miſericordiam: qui ſuis cuiq; factis digna ſoluas.

Prouer. 22. *Qualia enim quis ſerit, talia metet.* πᾶσι σὺ μισθὸν ἄναξ

Hiob. 33. ὁπάσσεις ἀντάξιον ἔργων.

Roman. 2. *Cuiq; ſua ex merito Rex præmia reddis. Appollinarius.*

Marci 16. *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit. Hiobus. Semel non ad numerum referendum : ſed ad ſententiæ firmitatem. Hieron. Reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. Apoſtolus. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſeruabitur : qui verò non crediderit, condemnabitur. Chriſtus.*

PSALMVS LXIII.

EXVLIS DESIDERIVM.

IN exilio Propheta, dum vitam colit vagam, & inopem, primùm vota facit hoc Pſalmo : vt tandem aliquando optatiſsimam illam diem videat: qua ad tabernaculum adire, doctrinam cœleſtem audire, & ritibus

tibus, ac cæremonijs, inſtitutis diuinitus, ſibi liceat intereſſe: deinde conqueritur de Saulo, & eius aſſeclis: quorum ob iniurias, inſidias, & machinationes patria carere, & tam longo interuallo abeſſe à cultu Dei neceſſe habeat. Interim tamen non dubitat ſibi regis arrogare titulum, fretus nimirum promiſsione, deſignationeq́ diuina: qua quidem ad æquitatem ſeſe refert animi, & dolorem moderatur. Imitentur igitur, hoc Pſalmo in votis ſuis vſurpando, pij mortales Dauiden: qui in ditionibus tyrannorum, licet cupiditate doctrinæ ſalutaris ſingulari flagrant, ab auditione tamen illius abſterrentur, & excluduntur. Non enim propterea ius filiorum Dei, & regni cœleſtis hæreditas minùs ad eos pertinent: qui & fide præditi ſunt, & deſiderio verbi tenentur: patienti præſtolantes animo tempus, quo de conſilio Dei Saulus ipſorum è medio tollatur.

I.

Deus Deus meus: ad te de luce vigilo: ſitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea: in terra deſerta & inuia & inaquoſa.

Propoſitio ὀδυρτικὴ, καὶ εὐκτικὴ, temporis & loci commemoratione amplificata. Cum audiendi verbum tuum Deus, tum ſacrorum ritus, & cæremonias celebrandi teneor cupiditate incredibili. Summo diluculo exopto, requiroq́; te Deus, Deus meus: te ſitienter expetit mens animi: tui ſtudio fractum, debilitatumq́; malorum pondere incenſum eſt corpus meum, in ſolo inculto, ſqualido, torrido, & ſiticuloſo.

II.

Sic in ſancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Επι-

Ἐπιμονῇ. In loco inquam deſerto, & cultu vacante regione, conſpicere te in ſanctuario tuo Domine, & potentiam, gloriamq́; tuam intueri mirandum in modum cupio. Potentiam, & gloriam, arcam fœderis intelligit, iuxta illud. Tradidit in captiuitatem virtutem ſuam, & gloriam ſuam in manus hoſtium. Autor. &. Translata eſt gloria Domini de Iſrael. Hiſtoria Regum.

Pſal.78. 1.Reg.4.

III.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

Ratio interiecta. Neq; enim in vita optabilius homini contingere quidquam poteſt, quàm miſericordiæ tuæ, & clementiæ habere noticiam: manſuetudo tua Domine, facilitasq́;, qua communiter quidem, & promiſcuè vteris aduerſus omnes mortales, ſeparatim verò aduerſus pios, & tui numinis ſtudioſos, iucundiſsimo ſolis lumine ſuauior eſt, gratiorq́;: quo fit, vt non poſsim non lingua illam mea collaudare.

IIII. V.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & in labijs exultationis laudabit os meum.

Immorationis ἐπιμονῆς continuatio. Percupio in omni te vitæ meæ curſu, in ſanctiſsimo ſacrario tuo, iuſtis, & debitis ornare præconijs: nulla de re laboro magis, quàm vt manus tuo in nomine liceat attollere: quod quidem ſi contingeret, nulla, ne ſuauiſsimis etiam ſaturato epulis voluptas maior poſſet animum perfundere: læticijs quidem certè incederem omnibus, ſi facultas daretur mihi celebrandi nominis tui in ſanctuario, καὶ

χείλεσ-

χείλεσιν ἡμετέροισι τεὸν κλέος ὑμνοπολεύειν.
Ore decus celebrare, tuas & dicere laudes.

ἐικὼν ſumptum eſt ab ijs, qui in accubatione epulari amicorum, ſimulatq; pluſculum aliquanto inuitarunt ſeſe, exhilareſcunt, & in læticiam effunduntur. Oraculorum diuinorum meditatio voluptas eſt, & cibus ſempiternus. Theodoretus.

VI. VII. VIII.

Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum:in matutinis meditabor in te.

Fuiſti adiutor meus : & in velamento alarum tuarum exultabo.

Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.

παραμυθία conſolatio. Verumenimuerò etſi nec domi ſtare, nec ſtatuta, ſolenniáq; mihi ſacra obire licet : non minus tamen &, cùm cubitum eo veſperi, memor ſum tui : & manè, cubitu cùm ſurgo, de te loquor : &, quia patronus es, propugnatorq; meus, ſub alarum tuarum vmbram receptus, glorioſe me oſtento : quid enim, an ex tua pendentem miſericordia, & clementia non ſuſtentare dextera tua, & fortiſſimè deſenſum dare poteſt?

IX. X.

Ipſi veró in vanum quæſierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ.

Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

πρόῤῥησις, denunciatio exitij, quod impendeat hoſtibus : cui adiungitur antitheſis de ſua, & bonorum omnium felicitate. Ergo etiam qui inſidijs in me inuadunt, vt oppreſſum vi-

ta expellant, lucis vſura amiſſa, ipſi ſub telluris ima deuenient, & ferro iugulati, & proiecti paſtum præbebunt vulpibus.

δεινὸν ἀλωπήκεσσιν ἕλωρ ϗ δασμὸς ἔσονται. *Non,*
Membra dabunt auidis dilanianda lupis.

XI.

Rex verò lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

ἀντίθεσις. *Ego verò, quem regem deſignauit Deus, imperio potitus, beneuolentiam propter, fauoremq́; diuinam triumphabo: cuius per ſalutem quicunq; iurabit, in ſumma erit gloria, mendaciloquorum faucibus obſtructis, & obturatis. Erat in patrijs Hebræorum moribus, vt qui ſanctè aliquid religioſeq́; affirmare vellent, per regis vitam, & ſalutem iurarent,*
Gen. 42. *vtpote per maiorem. Sic Ioſephus. Ita viuat inquit Pharao: &*
2. Reg. 14. *Thecuana ad Dauiden. Ita viuas Domine Rex. Reſpicit autem Propheta ad Chriſtum: cui honorem maieſtati cœleſti debitum, qui in metu conſiſtit iurantium, & veritatis teſtificatio-*
Eſa. 45. *ne, tribuit: de quo Eſaias. Mihi & omne genu flectetur, & o-*
Rom. 14. *mnis lingua iurabit. Quod interpretatur Paulus: omnis lingua Deum celebrabit. Ex quo Chriſtum Deum eſſe confitendum eſt.*

PSALMVS LXIIII.

CONTRA SYCOPHANTAS.

PRecatio Dauidis contra inuidos, calumniatores, conuiciatores, aduerſarioſq́; ſuos, Abſolonem, Achitophelum, Semein, reliquos: qui, nullorum non criminum notas illi vt inurerent: ſedulò, & ſtudioſè dabant operam: ideoq́; & per vim occupati primùm regni, & malè deinde adminiſtratæ reip. apud populum illum inuidioſè criminabantur, omnes eius

actiones

actiones lingua procaci,& verbis iniquis abiȷ̈ciendo: ad quem etiam modum Doëges antea, & manipulus aſſentatorum Sauli negocium illi exhibuerant. Verùm auocat à curis, moleſtiȷ̈ſque animum conſolatione ea, quod in aduerſantium ſibi capita, conſilia, & quas comminiſcuntur fraudes, & machinationes ſint reuerſuræ, lingua eos, quam vt enſem acuerant, propria percutiente, & molitionibus perniciem afferentibus: quod etiam Abſolonis interitus, Achitopheli, & aliorum comprobant. Non diſsimilem ad modum Pſalmum hunc precari nos poſſumus, contra calumniatores, deformatoreſque doctrinæ, & vitæ noſtræ: qui aulas nunc regum, & principum obſident: qui quidem animis in exitium noſtrum defixi, dies, noctesque mendaciȷ̈s ſtudent, obtrectationibus, fraudibus, & inſidiȷ̈s, eundem, quem viri ſancti hoſtes conſiliorum actionumque ſuarum exitum habituri: plaudentibus piȷ̈s, & Chriſtum colentibus vniuerſis: & Dei opus laude, & prædicatione debita proſequentibus: ſemper enim ἡ βουλὴ κακὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Id quod docet etiam hiſtoria Danielis: de quo Lyranus & Paulus Hebræus hunc Pſalmum interpretantur. Sed illa explanatio, inquit Stapulenſis, olet Iudaiſmum.

I. II.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

Protexiſti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.

πρότασις Propoſitio repetitione expolita. Exaudi me

Genitor, & effector rerum omnium, & defende. Pateant ad querelas meas aures tuæ, qui omnium rerum procurationem habes Domine: meq́; vitamq́; meam contra crudelitatem, & immanitatem hoſtium defendendam, tuendamq́; ſuſcipe: à nefarijs impiæ cateruæ conatibus, ab inſultibus turbæ ſceleratiſſimorum hominum in tutum me aliquem locum abſtrude. Ad iſta: à terrore inimici eripe animam meam, hæc κατ' ἀναγωγὴν addit ſpeculi Peccatoris author. Non dicit à poteſtate, ſed à terrore. Quare? ad inſinuandum, quàm magna ſit pœna, quàm horribilis, quàm intolerabilis ſit terror ipſius inimici. Heu, ſi talis, & tantus tremor eſt animæ peccatrici ex ſolo Satanæ viſu: quanta confuſio, quantusq́; horror, quanta afflictio, quanta lamentatio erit eius conſortium.

III. IIII.

Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram.

Vt ſagittent in occultis immaculatum: ſubitò ſagittabunt eum & non timebunt.

διήγημα Narratio, deſcriptionem διαγραφὴν continens hoſtium, ſimilitudinibus exornatam. Qui linguas gladijs acutis incidentiores habent, qui venenatis ſermonibus iaculorum inſtar vtentes, ex inſidijs in innocentem, qui nulla illos affecit iniuria, tela ſua conijciunt: &, ſine aduerſus Deum metu, hominesq́; reuerentia, ex inopinato, nihil formidantem hoſtile, conficiunt.

V. VI.

Et firmauerunt ſibi ſermonem nequam: narrauerunt vt abſconderent laqueos: dixerunt quis videbit eos?

Scrutati

Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: accedet homo ad cor altum.

Parant ſeſe in ſcelera, & facinora omnia, de ſtruendis inſidijs conſilia inter ſe conferentes: tam non ſolliciti, ne quis machinationes ipſorum deprehendat: vt ne Deum quidem videre eas, & animaduertere ſibi perſuaſerint. Vafri, & malicioſi animis fixis in omnes fraudes, & inſidias, concinnant, quos magno ſilentio diſsimulant, dolos: & nihil non tectum, nihil non veteratorium agitantes, in omnes incommodandi mihi, & malum, perniciemq; comparandi, occaſiones ſunt intenti.

VII.

Et exaltabitur Deus: ſagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.

Conſolatio, παραμυθία, qua erigit ſeſe, confirmatq; animum ſuum Propheta: & comminatio, ἀπειλὴ, qua fruſtrationem conſiliorum aduerſarijs, exitiumq; denunciat, in mucrones proprios, quos in ipſum exacuerant, gladiorum incurſuris. Verùm, nec opinatò in eos tela furoris ſui immittet Deus: tantoq; eos feriet impetu, vt vulnerum dolorem diſsimulare, & obtegere non poſsint, ipſorum eis lingua exitium, conciliante & interitum. Reſpicit ad ſimilitudines ſuperiores, quibus linguas hoſtium ferro acuto, & verba ſpiculis comparauit.

VIII. IX. X.

Et infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum: conturbati ſunt omnes qui videbant eos.

Et timuit omnis homo: & annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.

Lætabitur iuſtus in Domino & ſperabit in eo : & laudabuntur omnes recti corde.

Conſceleratorum pœnæ remotis à pietate terrori, ſanctis verò læticiæ ſunt, & occaſioni iuſticiam diuinam prædicatione extollendi : παθήματα, μαθήματα. Attonitis animis ridebunt pariter, & mirabuntur alij caſum iſtorum, à Deo in eos vindicatum eſſe affirmantibus vniuerſis : at verò qui in amore Dei ſunt pij mortales læticia inde perfundentur, & confirmati animis Domini bonitati ſe, ſuaq; committent, de diuina ſeſe tutela, defenſioneq; magnificè efferentes.

PSALMVS LXV.

BENEFICIA COELESTIA.

VItæ genera, qui & ordines ſeu claſſes appellari poſſunt, verbi diuini authoritate comprobata, tria ſunt. Eccleſiaſticum, Politicum, Oeconomicum. Eccleſiaſticum verbo conſtat, & ritibus, ac ceremonijs diuinitus traditis, & inſtitutis. Hæc ciuitas quoq; ſancta, & Dei, cœlorumq; regnum vocatur. In eo obtinet principatum ipſe Deus : nos verò, qui ſacra baptiſmi vnda loti, doctrina cœleſti imbuimur, municipum tenemus iura, & ciuium. Politicum, ſeu res communis, & publica, reges habet, principes, magiſtratus, &, quæ legibus, inſtitutiſq; gubernantur, ciuiles hominum ſocietates. Ad hunc ordinem forum pertinet, & iudicia, præterea præmia virtutum, & ſupplicia viciorum. Oeconomicum, quæ & res familiaris, in coniugijs conſiſtit, liberis, ſeruis, agricultura, & artibus, ad quærendum cultum & victum, neceſſarijs. Hæc vitæ genera ne, aduerſarij noſtri libidine, ſeceſsionibus diſcerpantur, cædibus euertantur, diſſen-

diſſenſionibus confundantur, quia Dei ſolius munus eſt, & beneficium : ideo gratias agit hoc Pſalmo Propheta patri cœleſti, cum, & quidem præcipuè, pro fœcunditate terræ, & fructuum, frugumq; vbertate, & copia : tum verò etiam pro doctrinæ ſalutiferæ, religionis, & pacis, tranquillitatisq; publicæ largitione, communicationeq;, &, repreſsis hoſtibus, & bellis ſublatis, quæ vndarum murmurantium, & ventorum vi agitati, turbatiq; maris inſtar vaſtatura videbantur omnia, conſeruatione. Pro quibus quotus tandem quisq; eſt, qui gratum ſeſe Deo, memoremq; probet, ac non potius petulanter ĳs omnibus abutatur? Sed nimirum cùm vulgus hominum, Sodomitarum exemplo, victus ſaturitatem, ocĳq; proſperitatem habens, ſuperbiat, & beneficiorum diuinorum oblitum, nihil non ſcelerum, flagitiorumq; perpetrare ſuſtineat : procul omni dubitatione, niſi ad meliora conuerſi, à morum ſeſe prauitate reuocauerint, quas Sodomitæ iuſtas tandem, grauesq; improbitatis procacitatisq; pœnas perſoluent.

I.

Te decet hymnus Deus in Zion: & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Propoſitio πρότασις. *Tibi, cuius ſempiterno numine, & benignitate immenſa omnia ſuſtinentur, Deus laus, tibi meritò omnis debetur gratia. O ſingularem bonitatem tuam Deus, & precibus, optatis, votis in ſilentio Sionio celebrandam. Sion quod antea quoq; eſt annotatum, ipſa nobis eſt Eccleſia, in qua ſola ritè colitur in filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto pater æternus: & prædicatione iuſta laudes illius efferuntur. Silentium eſt ſedata animi moderatio, quæ neq; locum, neque tempus, neque modum opitulandi Deo præſcribit : Sed omnia*

omnia relinquens in illius arbitrio, perſuaſiſſimum habet, ſe tandem adiutum iri. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. E-
Eſa. 30. *ſaias.*

II.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Rationes, Prima. Aures enim attentas ad preces, tuam miſericordiam implorantium, adhibes: quo fit, vt vniuerſi mortales ad te confluant. Et precibus adiri gaudet Deus omnium, & ab obſecrationibus eorum, qui fidenter ad illum confugiunt, aures nunquam auertit: ex quo conſequitur, cum, quæ optamus, à Deo non auferimus, precibus nos ardenti fide incenſis
Mar. 11. *minimè vſos fuiſſe. Neq; enim falſum eſt illud Chriſti. Quidquid orantes poſtulatis, credite, & vobis continget. Omnis caro ad te veniet,* σὲ δὲ πᾶσα λιτάζεται ἀνδρομέη σάρξ: *vaticinium eſt de vniuerſis mortalibus, cognitione Chriſti omnibus terrarum finibus propagata, ad verum purumq; Dei cultum conuertendis. Ad te omnis caro veniet: quid eſt, niſi omnis homo? Hugo. Vict. de Cont. Carnis nomine totus homo deſignatur. Fulgentius ad Tras. 1.*

III.

Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propiciaberis.

Altera ratio occupatione tacita, προκαταλήψει, *expoſita. Quia veniam tribuis nobis, & miſericordiam, expians peccata, quæ in multas nos coniecerunt difficultates, pœnas ijs debitas remittens. Verbum Hebræa loquendi conſuetudine rei habet ſignificationem. Sunt ergo verba iniquorum, ſeu iniquitatum, peccata, vicia, errata, delicta. Quod in calamitates ſæpenumero impellimur, & multis conflictari neceſſe habemus incommodis: ſcelerum noſtrorum, viciorumq; culpa acci-*

pa acci-

pa accidit : quæ quidem in cauſſa ſunt etiam : quo minus in rebus aſperis ad fidem Dei, clementiamq; confugere audeamus. Verùm non ideò propter acrem peccati ſenſum ſpem quoq; ſalutis abijcere debemus : ſed ex metu potius iræ diuinæ quaſi erumpere, & promiſſione, qua propter Chriſtum pollicetur reſipiſcentibus ſe veniam daturum pater cœleſtis, arrepta, ad miſericordiam diuinam preſſius nos, coniunctiusq; applicare, opem illius, & auxilium fidenter expoſcendo.

IIII.

Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis: replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum.

Ratio tertia. Quia cooptas nos in Eccleſiam, & ad cœtum nomen tuum pietate vera colentium adiunctis, ius filiorum communicas. Vtitur ἐκφωνήσει, admiratione infinitæ bonitatis, & miſericordiæ, gratuitò, quantumuis indignos, complectentis Dei expreſſa.

O quater & quoties non eſt numerare beatos,
quos dignos exiſtimas, vt, ex omnibus ſelectos nationibus, tuæ ciuitatis facias participes, habitaturos in porticibus tuis, & cognitione tui, iuſticia, condonatione peccatorum, dono precum, ſecuritate conſcientiæ, & reliquis domus, & ſacri tui penetralis bonis explendos. Nihil in vita magis optandum nobis, & votis omnibus expetendum : quàm vt in domum Dei, quæ eſt Eccleſia, receptis audire liceat doctrinam, quam ex patris æterni ſinu prolatam mortalium generi filius ipſius Dominus, & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus expoſuit : cuius cognitione quisquis auctus eſt, omnia quæ ad bene beateq; viuendum neceſſaria ſunt, habet : eaq; bona poſſidet, cum quibus omnes omnium principum, & tyrannorum Gazæ, ne minima quidem ex parte componi, conferriq; poſſint.

V.

Mirabile in æquitate : exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ & in mari longè.

Ratio quarta. Quia pro mirifica exauditos iuſticia, fauore tuo complecteris, & contra furores, importunitatemq; hoſtium ſpem ſalutis in tua indulgentia habentes conſtitutam defendis: & fraudes, quasq; texunt ſallaciarum plagas veritatis inimici refutando, ſincerum nobis verbum tuum, & ab omni falſitatis admixtione purum conſeruas: vt longius, latiusq; in dies ſingulos omnium gentium oris doctrina ſalutaris propagetur: & qui ad remotiſſimos fines terræ, marisq; ſedes habent, ad tuum ductum, cultumq;, ſi credant verbo, aggregentur. Mirificam vocat iuſticiam, quæ eſt fidei. Quid enim admirationem, aut potius abſurditatem maiorem habet: quàm nulla nos virtute noſtra, nulla actionum præſtantia, ſed ſola Dei ignoſcentia, propter ſontibus annumeratum, & latronis inſtar in crucem actum Ieſum Chriſtum iuſtos duci, & haberi innocentes, modò confiteamur ex animo de peccatis noſtris: & illius fiducia Dei nos miſericordiæ committamus? Fines terræ, & longè mari remotos nominat, quia Patriarcha dixerat. Ipſe erit expectatio

Gen. 49. *gentium: &, an Iudæorum tantum Deus eſt? an non etiam gentium, inquit Apoſtolus: & rurſus. Nullum Iudæi, Græciq;*

Rom. 10. *diſcrimen eſt, cùm idem ſit omnium Dominus, diues omnibus, qui eum inuocant.*

VI. VII.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia.

Qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum eius; Turbabuntur gentes.

Quinta

Quinta. Quia das pacem, & libertatem tranquillam: quia, ne inducantur diſcordiæ, conflentur ſeditiones, odijs, & diſsidijs euertantur vrbes, prohibes. Non hominum ratione, & conſilio: ſed Dei ope & auxilio Reſpub. gubernantur. Montes, virtute cinctus, & fortitudine, firmas, ſtabilisq́; : vi ventorum agitati, turbatiq́; maris tempeſtates coërces: & motus concitationesq́; populorum, cùm forte coorta eſt

Seditio, ſæuitq́; animis ignobile vulgus, comprimis.

Montes, ὄρη, ἀλληγορικῶς, *regna ſunt, & imperia: maris verò efferueſcentia* συντάραξις τοῦ κύτους τῆς θαλάσσης, *& æſtus fluminum, vndæ ſeditionum ſunt, & quemadmodum ſeſe ipſe explicat vates, tumultus,* ταραγμὸς, *populorum. Quæ ſunt poteſtates à Deo inſtitutæ ſunt, inquit Apoſtolus: & non modò humanis conſilijs, ſed ſolius Dei nutu, & arbitrio reguntur ciuitates, deſcribuntur leges, iudicia adminiſtrantur: verùm nullus eſt, etiam concitatæ multitudinis furor, nulla tyrannorum immanitas, nulla hoſtium crudelitas tanta, quam non ſedare ille, auertereq́; poſsit, & retundere. Atq; huc pertinent illa. Per me reges regnant. Solomon. Et. Aurem audientem, & oculum videntem Deus vtrunq; facit. Idem &. Qui auſert bella ad finem terræ. Autor.* Rom. 13. Prou. 8. 20. Pſal. 46.

VIII.

Et timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.

Ἐπεμβολὴ *de pacis commodis. Magnitudine portentorum tuorum obſtupeſcunt qui vſquam habitant, te & matutinos ortus, & veſpertinos exhilarante. Diſcordiarum compoſitiones, compreſsiones ſeditionum, auerſiones bellorum, in tanto hoſtis humani generis diaboli odio, & nocendi nobis incitata libidine, prorſus Dei opus ſunt, ideoq; prodigiorum inſtar: &, vt nullum eſt infortunium, acerbitas, diritas, exitium, quod perculſæ bello vrbes, & proſtratæ prouinciæ non ſentiant: ſic pace, quæ optima rerum eſt,* Quas

Quas homini nouiſſe datum, leges valent, florent artes, pudor, virtus, honeſtas locum habent: pace vomer bidensq́; vigent,

tum faciles choreas ducit per prata voluptas:

Pſal.104. *Et lætatur humus, lætantur agreſtes.*

Exitus matutinos, & veſperæ, ἐξόδους πρωΐας καὶ ἑσπέρας *declarant illa. Oritur ſol, & prodit homo ad opus ſuum, & ad munus ſuum vſq; ad veſperum. Autor.*

IX. X.

Viſitaſti terram & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam: flumen Dei repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum, quoniā ita eſt præparatio eius.

Riuos eius inebria: multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.

Sexta. Quia curæ tibi eſt, vt ad vſum, & cultum quæ ſunt neceſſaria, largè nobis ſuppeditentur. Terram, vt fruges ferat, curas, & perpetuas, eamq; irrigando ditas, & locupletas. Fonticulus diuinus aquis abundat:

Hinc quæ creduntur benè cultis ſemina campis,

Vberius largo fœnore reddit ager.

Aruorum ſulcos inebrias, liras emollis, & aperto bonorum theſauro cœlo tuo, & pluuiam ſuo tempore immittendo, & germina fœcundando

das ſata ſideribus nutrita ſecundis

Vt rumpant victis horrea limitibus.

Inebriari, ſaturari ſignificat, ac multiplicari, ditariq́;. Nam ita inebriari, vt inebriantur ebrioſi, nec ipſi terræ vtile eſt: quoniam maiore quàm ſatietati ſufficit humore corrumpitur: ſicut vita ebrioſorum, qui non ſatietate ſe replent, ſed mergunt

diluuio. Aug. Quæſt. 5. Gen. Fonticulum, ſeu riuulum Dei, τὸν ποταμὸν τοῦ θεοῦ, vel Iordanem intelligit, qui meßis tempore ad ſummas abundat ripas: vel etiam Iudæam ipſam, quòd Dei quaſi ſit peculium. Fons enim poſſeßionis interdum ſignificationem habet, vt, Fontes tui deriuentur foras. Solomon. Non ſe reliquit Deus non teſtatum gentibus benefaciendo, de cœlo nobis pluuias, frugiferaq́; dando tempora, explendo cibis, & lęticia noſtros animos. Paulus Apoſtolus. Prouer. 5. Act. 14.

XI. XII. XIII.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ouium: & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.

ὑποτύπωσις, qua ſub oculos quaſi ſubijcit rei familiaris commoda: & quibus anno vertente, pro ſua nos benignitate Deus afficit opportunitates: Annum corona quaſi bonorum tuorum induis.

Poma dat autumnus, formoſa eſt meßibus æſtas,
Ver præbet flores, igne leuatur hyems:

Campi pinguitudine tuorum veſtigiorum ſtillant: rura fructuoſa, villæ ſunt locupletes:

Apricis ducit in collibus vua colorem,
Paſcitur in pratis, luxuriatq́; pecus:

Valles frumentis obducuntur, meſſe peracta, Dei bonitatem vt celebrent, agreſtes ducunt fœmina, virq́; choros.

PSALMVS LXVI.

DEFEN-

DEFENSIONIS CELEBRATIO.

INuitat Propheta ad gratias Deo agendum vniuerſos mortales: quod mentem animi, voluntatemq́ ſuam Eccleſiæ ſuæ verbo enunciato cœlitus, & prodigijs, oſtentisq́ mirificis patefecerit: quibus adducti primùm agnoſcere illum, & præpotentem eius maieſtatem, miſericordiamq́ celebrare, ac laudibus extollere: deinde in miſerijs, & quæ illius arbitrio nobis, iudicioq́ immittuntur calamitatibus, ſpem concipere optimam poſsimus: fore, vti pro amore in nos ſuo, & beneuolentia, ex malis, & rebus afflictis omnibus ſit erepturus. Non enim, quos morte ſibi, & ſanguine filij ſui à poteſtate Diaboli in libertatem adſeruit, vindicauitq́ cœleſtis parens, & Spiritu nunc auctus ſancto, donec ad vitam ducat beatam, & immortalem, regit, & gubernat, ſine defenſione libidini hoſtium expoſitos, & ærumnis, miſeros haberi patietur: non magis, quàm Iſraelitas olim: quos manu forti, & brachio exerto eductos ex Aegypto, per vaſtas rubri maris aquas, hoſtibus eorum demerſis, ab omni periculo, & incommodo ſartos, & tectos traiecit.

I.

Iubilate Deo omnis terra: Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

Exordium προτρεπτικὸν ποικιλίᾳ & μετωνυμίᾳ ornatum, vt omnes omnium nationum populi mirificas actiones Dei animis intueantur, eiq; pro ſuis in ſingulos, vniuerſosq; beneficijs gratias agant. Ornate Deum præconijs vbiq; terrarum, & gentium mortales: omnibus ſermonibus gloriam nominis eius illuſtrate, ſummis laudibus præſtantiam honoris diuini efferentes.

Dicite

II. III. IIII.

Dicite Deo quàm teribilia ſunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

Venite & videte opera Dei: terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.

Commemoratio ἐπεξεργαστικὴ κατ᾽ ἀποστροφὴν προσευκτικήν. Dicite mirifica ſunt opera tua Deus: potentia tua Domine tanta eſt, tamq; immenſa, vt vis ei inimicorum nulla queat obſiſtere, in nihilum conatibus illorum recidentibus: te quantus eſt orbis terrarum colat, te, laudesq; tuas omnium linguæ celebrent: canant maieſtatem nominis tui mortales vniuerſi. Agite dum, & admirabilitatem actionum diuinarum ante oculos vobis proponite, conſilia iudicij, quo in gubernandis vtitur mortalium rebus conſiderantes. Omnis terra adoret te, id eſt, omnes homines, qui ſunt in terra. H.Vict: Lib. de Cont.

V. VI.

Qui conuertit mare in aridam: in flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo.

Qui dominatur in virtute ſua in æternum: oculi eius ſuper gentes reſpiciunt, qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis.

Διήγημα, Narratio. Orditur autem à perulgatis, & maximè notis, tum opere liberationis ex Ægypto, tum Iorda-

nis

nis traiectione. Mare vehementi Euro redegit in ſiccum, fundum pelagi reddidit peruium: vt Iſraelitæ de manu inſequentium elaberentur hoſtium, aqua murum illis dextra, ſiniſtraq; præbente. Iordanis flumen diſcluſit meßis tempore cùm ad ſummas abundat ripas: vt ijdem Ioſua duce, contra Hierichuntem, in promiſſam patribus regionem traijcerent, apertè lætician ferentibus vniuerſis. Immenſa virtute, & potentia in omnem ſeculorum perennitatem dominatur, ita oculos in populos, nationesq; intentos habens: vt qui ab illo deficiunt, nec proucbantur vnquam, nec conſilijs ipſorum exitus reſpondeat.

VII.

Benedicite gentes Deum noſtrum: auditam facite vocem laudis eius.

Επιμβολὴ, *repetita exhortatione. Laudate Deum noſtrum populi vniuerſi: laudem maieſtatis illius omnibus terrarum oris longè, lateq; diuulgantes.*

VIII.

Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Συνέχεια *narrationis. Qui, quam tribuit nobis, vitam conſeruat: nec labare patitur pedes noſtros, dum ſpiritu nos, & verbo ſuo moderatur: ne in opiniones falſas, & errores turbulentos inducti, in tentationes, & laqueos aduerſarij, qui*
1. Pet. 5. *nocte, dieq; circuit leonis rugientis inſtar, quærens quem deuoret, incidamus.*

IX. X. XI.

Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum.

Indu-

Induxiſti nos in laqueum: poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro.

Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra: tranſiuimus per ignẽ & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.

Amplificatio commemoratione periculorum, calamitatumq́;, quas imaginibus fornacis, carceris, onerum, incendij, & naufragij illuſtrat. Huc maximam partem hiſtoria Iudicum pertinet: vbi recitantur oppreſſiones à vicinis regibus populi diuini, & eiuſdem liberationes. Periculum quidem feciſti noſtri Domine, exploraſti nos non aliter quàm in fornace argentum igne excoquitur: paſſus es nos compingi in carcerem, cathenis conſtringi, oneribus premi: tyrannos impoſuiſti in ceruicibus noſtris: per ignes, & aquas tranſire neceſſe habuimus: ſed tandem afflictos tamen erexiſti, oppreſſos recreaſti, & ex tenebris triſtiſsimis in lucem clariſsimam eduxiſti. Ignis, τὸ πῦρ, & Aqua, τὸ ὕδωρ, calamitates ſunt, incommoda, & res miſeræ, & afflictæ: quibus purgantur, & eluuntur in hac vita, qui ſeſe Deo, Chriſtoq́; conſecrarunt. Nam qui ex his verſiculis manium expiationem aſtruunt: & receptaculum coædificant apud inferos, in quo digreſsi ex hac vita manes ad definitum tempus emendatorio igne cruciatæ purgentur, quò in æternam patriam ingreſſus deinde eis pateat: helleboro indigent: ideoq́; vt bibant purgantes pectora ſuccos Anticyras amandandi. Si cui placet, inſpiciat hoc loco Methodum apud Epiphanium contra Origenem.

XII. XIII. XIIII.

Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea.

Quæ diſtinxerunt labia mea: & locutũ eſt os meum: in tribulatione mea.

Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boues cum hircis.

ἐπανάληψις. Iteratio, reſumptioq; cohortationis à ſuo exemplo. Quod cùm ita habeat ſeſe, vt grati animi mentem teſter tibi, & ad eandem pietatem excitem alios quoq;, deducam ad ſanctiſsimum tuum templum victimas, vota, quæ rebus triſtibus, & aduerſis concepi animo, perſoluturus: faciam verò ariete, & tauro, cum ſuffito hircino.

XV. XVI. XVII. XVIII.

Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamaui: & exaltaui ſub lingua mea.

Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet Dominus.

Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

μίμησις, quibus verbis vſurus ſit in cœtu, & concione diuina. Neq; ſanè ſiſtet hic cultus noſtri religio: ſed in hæc quoq; verba in æde ſacra verſantes alloquar: Adeſte huc, & audite ſancti, & religioſi vniuerſi commemorantem beneficia: quæ pro ſua miſericordia Deus vitæ meæ præſtitit. Fudi preces ad illum meas, eumq; lingua mea extuli laudibus: quæ, ſi quas ſuſcepti ſceleris labes habuiſſem in animo, nequaquam audiuiſſet ille; ſed & audiuit ille, & ad obſecrationes, querimoniasq; meas aures faciles adhibuit. Non iactat ſuas actiones, & virtutum operationes Propheta: ſed cor ſeſe beneficio diuino

purum

purum habuiſſe, & fidem gloriatur. Etſi enim nocentes non exaudit Deus: tamen ad bonam frugem redeuntibus, & ad miſericordiæ aram confugientibus non poteſt non facilem ſeſe, & benignum præſtare.

XIX.

Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam & miſericordiam ſuam à me.

ἐπιφώνημα. *Quas animus meus capere poteſt maximas habeo, agoq́; Deo gratias: qui non auerſatus eſt preces meas, nec clementia ſua me, benignitateq́; priuauit.*

PSALMVS LXVII.

VATICINIVM.

ORaculum de Chriſto Domino, quòd regnum ſit, imperiumq́ poſſeſſurus, quâm longe patet, lateq́ terrarum orbis: & gentes, nationesq́ cunctas voce Euangelij ita moderaturus, vt ex Satanæ manu liberati, vindicatiq́ à peccatis iuſti ſint, & innocentes, gratijsq́ agendis, qui eſt caſtiſsimus, pleniſsimusq́ ſanctitatis Dei cultus, vim, maieſtatemq́ cœleſtem colant: vt non intra Iudææ iam tantùm fines religio vera contineatur: ſed vbiq́ terrarum quidquid eſt mortalium Dei venerationi ſeſe dedant: & beneficio illius ſalutem, vitamq́ gaudijs affluentem omnibus conſequantur: non ad ritus ſeſe adiungendo, & ſacrorum vſurpationes Iudæorum: ſed corrigendo tantum errores: & repudiata virium, actionumq́ propriarum confidentia, in filium, in quo ſita eſt ſalus, & iuſticia noſtra, credendo.

I.

Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis : illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Propoſitio πρότασις προῤῥητική, illuceſcet tandem aliquando lætiſſimus ille dies, cùm pro infinita ſua, & interminata in genus humanum indulgentia miſerebitur noſtri cœleſtis parens : & mentem in nos accipiens, animumq; benignum ex tenebris errorum, inſcitiæq; ereptos ſplendidiſſimo vultus ſui lumine colluſtrabit. Miſeretur noſtri Pater æternus : cùm filij ſui ergò veniam nobis, pro diuite ſua clementia, tribuit delictorum omnium : Fauet nobis Filius: cùm per ſanguinem ſuum, vt ſimus inculpati, cumulat nos iuſticia, & innocentia ſua, & auget omni vbertate diuina : illuminat nos Spiritus ſanctus : cùm ex erroribus inextricabilibus nos doctrina cœleſti ad viam veritatis reuocat : vt ius adepti, adeundi hæreditatem vitæ immortalis, pro certo ſtatuamus Ieſum Chriſtum peccata noſtra luiſſe ſanguine ſuo : itaq; in tutela, & præſidio Dei ſecuri, & læti conquieſcentes, omnem operam, curam, & ſtudium in iuuandis hominibus ponimus. Dei facies vtiq; imago eius, qui eſt Filius. Hier.

II.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam : in omnib. gentibus ſalutare tuum.

Narratiuncula διηγημάτιον, per cunctas nationes propagatum iri verbum : & doctrinam ſalutis. Omnibus terrarum finibus tua vis, apud gentes omnes ſalus tua innoteſcat. Via Domini, ὁδοὶ κυρίου, miſericordia ſunt, & veritas. Et ſalus, τὸ σωτήριον, eſt ipſe filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem parauit Deus pater ante faciem omnium populorum, auxilium mundo, vt gentibus eſſet

In tenebris lux, Iſacidos noua gloria gentis.

Ioh. 17. *Huc illa referenda. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum*

ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. &. Hæc eſt voluntas patris mei, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi: & docebit eos vias ſuas, & ambulabunt in ſemitis eius. Eſaias. Ego ſum via, veritas & vita. ζωὴ, ἀληθεία, καὶ ὀρθὸς εἰμι πορεία. *Chriſtus.* Eſa. 2. Ioh. 14.

III. IIII.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate et gentes in terra dirigis.

εὐχαριστία. *Habent, aguntq; tibi gratias Domine gentes, celebrant nominis tui gloriam populi, læticia completæ, voluptateq; perfuſæ gratulantur ſibi nationes: quòd rectè, ordineq; iudicas vniuerſos, proq; indulgentia tua amantiſsimè moderaris, & gubernas. Ad cultum venerationemq; Dei requiritur læticia: &, Iuſtificati fide pacem habemus cum Deo, inquit Apoſtolus. Iudicat autem, & regit nos,* κρίνει, καὶ ὁδηγεῖ, *pater cœleſtis, cùm lege quidem arguit nos, contaminatosq;, & iræ filios pronunciat: Euangelio verò condonationem peccatorum reſipiſcentibus denunciat: & afflatos Spiritu ſuo ſancto, in rebus cum ſecundis, tum triſtibus, ad verbo eius fidem habendam inducit. Sponte enim ſua neque voluntatem ad meliora conuertere, neque ſermonibus diuinis credere quiſquam poteſt.* Roman. 5.

V. VI.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit fructum ſuum: benedicat nos Deus Deus noſter.

Repetitio ἐπανάληψις affectum vatis innuens, & includens vaticinium de vocatu omnium gentium. Gratias agentes gloria te, prædicationeq; efferunt gentes: grati, memoresq; in te laudes congerunt omnes populi: quòd ſuos fructus agri, ſuos prouentus edit terra. Fructus terræ, ὁ καρπὸς τῆς γῆς, prouentus ſunt fidei, de quibus Eſaias. Et erit opus iuſticiæ pax, & cultus iuſticiæ ſilentium, & ſecuritas vſq; in ſempiternum. Fidem nouitas vitæ conſequitur neceſſariò: ad hanc pertinet ſui reformatio, animi ſubmiſſio, orandi ſtudium, æquanimitas, tolerantia, actionum ad vtilitatem proximi relatio, & quæ ſunt eiuſdem generis: quæ quidem quorum in vita ſeſe minimè proferunt, & oſtendunt, dubium eſſe nequaquam poteſt, quin, licet verbis quidem, & voce vſurpent fidem, cognitionis tamen Dei radix in cordibus eorum defixa non ſit.

Eſa. 32.

VII.

Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Δέησις Precatio, quæ eſt Pſalmi concluſio repetitione, & geminatione earundem dictionum illuſtrata. Faueat nobis Deus Deus noſter: indulgentiam nobis tribuat Deus, eiusq; numini, maieſtatiq; cultus debitos omnes terrarum tractus, finesq; adhibeant, qui ſolus beatus, & potens regnantium Rex, ac dominantium Dominus habet immortalitatem, lumenq; habitat inacceſſum: quem hominum nullus neq; vidit, neq; videre poteſt. Terna repetitio nominis æternæ maieſtatis vnitatem in diuinis perfectam in tribus innuit: qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: cui honor, & imperium æternum. Amen.

1. Tim. 6.

PSALMVS LXVIII.

TRIVMPHVS CHRISTI.

Præ-

PRædictio de Chriſti Domini in vitam immortali natura ſurgentis de ſepulchro, reuerſione, & de peccato, morte, nequam dæmone triumphantis emigratione in cœlum: vnde afflatos Spiritu ſuo miſſurus ſit Apoſtolos; vt de ſalute, & vitæ æternitate doctrinam omnibus terrarum finibus longè, lateq; propagent, in mœrore iacentes conſolentur, eripiant ex interitu peccatores, &, euerſo Iudæorum ſacerdotio pariter, & re publica, ipſisq; diſsipatis, & diſiectis, conſtituant ciuitatem: in qua non Moſes, ſed dux ſit, moderatorq; Chriſtus: & non Lex, ſed Euangelium, cum continenti nominis diuini commemoratione celebretur: vt, abiecta omni alia cogitatione, vnus Deus ametur, colatur, & in rebus cunctis nihil niſi ille reſpiciatur, & laudibus afficiatur ab omnibus. Tribuit verò Apoſtolis appellationem regum, & imperatorum: quid ita verò? quia doctrina de vindicatione hominum ab exitio ſempiterno, reſtitutioneq; ad vitam beatam, & immortalem bellum habent cum morte, peccato, Satana, ſtultis, & falſis, quam ſapientiam, & cultum diuinum mundus opinatur eſſe, opinionibus, ſuperſtitionibusq; : deinde vocat eosdem montes Dei, peculium diuinum, currus cœleſtes: adhæc cantores, & ſymphoniacos in pompa pulſantium tympana puellarum: quæ omnia eò pertinent: vt commendet nobis regnum Gratiæ. Propheta: quod in diuini nominis ad infinitas ſeculorum ætates propagatione ſitum eſt. Quod quidem regnum vt confirmet, ornatumq; tueatur parens cœleſtis in perennitatem interminatam precatur.

I.

Exurgat Deus & diſsipentur ini-

mici eius: & ſugiant qui oderunt eum à facie eius.

Exordium translatum de libro Numerorum, vbi proficiſcente arca Domini ſic præfabatur Moſes. Surge Domine, & diſsipentur hoſtes tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Num. 10. *Arca fœderis ἀντίτυπος, & imago fuit, cum doctrinæ de ſalute, & ab interitu hominum receptione ſempiterno: tum in primis Domini, & liberatoris noſtri Ieſu Chriſti: quem propoſuit Deus propiciatorium, & placamentum per fidem interuentu ſanguinis ipſius, vt loquitur Apoſtolus.* Rom. 3. *Rectè igitur traducit Propheta compellationem Moſaicam ad veram arcam Dominum ipſum, ac vindicem noſtrum filium Dei, cùm inquit. Exurgit Deus, & diſperguntur hoſtes, atq; in fugam conijciunt ſeſe omnes eius oſores. Hunc verſum ſolita eſt canere cum virginibus ſuis ſcholaſticis Publia mater Iohannis Antiocheni Presbyteri, quoties Gymnaſium ipſius Iulianus Imperator præteriret. Theodoretus.*

II.

Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis: ſic pereant peccatores à facie Dei.

ἑρμηνεία interpretatio amplificata ſimilitudine. Non diſtrahit modò fuga aduerſarios: ſed pereunt etiam à Deo, non aliter

atq; leuis tenues vapor euaneſcit in auras,
Et fluit in tepidis cera ſoluta focis.

Fumus, καπνὸς, impij ſunt, & nefarij homines: qui non tantùm pro nihilo putant vim cœleſtem, ſed Dei, Chriſtiq; cultores flamma quoq;, ferroq; perſequuntur: Cera, κηρὸς, verò peccatores, qui etſi in ſceleribus volutantur: legis tamen voce perterrefacti, à morum prauitate reuocant ſeſe: & errores pœnitendo corrigunt. Illi quamuis, velut denſa caligo, eriguntur ad ſidera: diſijciuntur tamen, & pereunt, ceu

ceu ſumus in auras
Commiſtus tenues fugit diuersà: Hi
velut intabeſcere flauæ
Igne ſolent ceræ, molliuntur: & , metu diuini iudicij perculſi, peccata ſua deteſtantur ex animo: & ſpem abſtergendorum illorum omnem in ſola Dei miſericordia ponunt: itaq; ſalutem per Chriſtum, & vitam æternam conſequuntur. In hunc verſum extat concio apud Auguſtinum de Temp. Serm. 109. in qua inter cætera memorabilis hæc ſententia ponitur de cauſa peccati. Hominem Deus fecit: peccatorem ſe ipſe homo fecit.

III.

Et iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Antitheſis. At verò iuſti efferantur apud Deum gaudio: &, perfuſi lætitia, hilaritatem capiant, & iucunditatem infinitam. Et ipſe Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus immutabili continetur æternitate: & ſalus per illum parta, & iuſticia nulla varietate temporum interrumpitur: quare iuſti etiam, hoc eſt, qui fidem adhibentes doctrinæ ſalutiferæ, & non corporis, ſed ſpiritus arbitrio parent, immortales ſint neceſſe eſt: & æuo, voluptateq; perfruantur ſempiterna.

IIII. V. VI.

Cantate Deo Pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi: Exultate in conſpectu eius: turbabuntur à facie eius.

Patris orphanorum & iudicis viduarum: Deus in loco ſancto ſuo.

Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo: qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant qui habitant in ſepulchris.

Propoſitio παρακλητικῇ *definitione* ὑπογραφικῇ, *aut potius* κατ᾽ ἔπαινον, *& repetitione, iteratione'q;* παραινέσεως *aucta, amplificata'q;. Carminibus Deum celebrate, cantus edite numini eius: tribuite laudem viam faciendo ſuauiter in domum ſuam inuehenti, cui nomen Dominus. In læticiam effundimini coram eo: qui parens orphanorum, & viduarum vindex Deus eſt in ſacro, quod inter nos habet, maieſtatis ſuæ domicilio: Deus qui vitam agentes ſolitariam liberorum auget multitudine: qui captiuos ſuo tempore liberat: perduelles verò, & hoſtes in terra inculta, & deſerta fame, ſiti'q; confectos ſinit*
Eſa. 40 *contabeſcere. Viam facimus,* ὁδοποιοῦμεν, *Chriſto Domino,*
Matth. 4. *quod & Propheta Eſaias, & Iohannes Baptiſta iubent, cùm lege diuina perterrefacti caſtigamus nos ipſi dementiæ, & impietatis, atq; in anguſtijs, acerbitatibus'q;, quas animus ſuſtinet ob conſcientiam peccatorum, ex cœleſtibus pendentes promiſsionibus, ad infinitam Dei miſericordiam confugimus: qui, etſi, vt inquit Apoſtolus, lucem habitat inaceeſſam, quam*

qui caligine cæca
Offuſi degunt, ſed nec ſupera alta tenentes
Noſſe queunt: *idem tamen humanitatis amictu*
1.Tim. 6. *quaſi veſtiri voluit, & libertatis noſtræ cauſſa in omnibus rebus extra culpam, & peccatum, par, & ſimilis nobis redditus, non dubitauit mortem acerbiſsimam occumbere, vt nos vita afficeret beata, & immortali: & quamuis triumphato peccato, morte, & diabolo iam reuerſus ſit in ſempiternam illam, & ab animis cogitationibus'q; mortalium omnium remotam domum: præconum tamen ſuorum, hoc eſt, Apoſtolorum voce ſuauiter in Eccleſiam inuectus, ad ſe inuitat vniuerſos his verbis.*

Venite

Venite ad me omnes qui laboratis & onuſti eſtis, & ego recre- Matth.11.
abo vos: ſubite iugum meum, & diſcite à me, qui mitis ſum, &
humilis corde: & inuenietis animis veſtris requiem. Tribuitur
verò, alibi quoque dictum quod eſt, Deo nomen Domini, Iehouæ, ab infinita poteſtate creante, & conſeruante omnia: quod Phil. 2.
hoc loco conciſum, & mutilatum quaſi ponitur, vt innuat Propheta, quod Apoſtolus dixit explicatius. *Chriſtus Ieſus cùm*
eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem
Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, & eò vſq; ad nihilum redegit:
vt forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, &
figura repertus vt homo, adeò humilem præbuerit ſemetipſum,
vt factus ſit obœdiens vſq; ad mortem, & quidem mortem crucis. Quid autem dulcius his verbis, quibus adfirmat Chriſtum
primùm patrem eſſe pupillorum, πατέρα ὀρφανῶν, & patronum viduarum, κριτὴν τῶν χηρῶν, quas deſtitutas auxilio
humano ipſe deſertas eſſe minimè patiatur: deinde ſedem ſibi,
& domicilium inter nos conſtituere, quos verbo ſuo regat, &
Spiritu ſancto moderetur: ad hæc ſolitariæ Eccleſiæ natos conciliare, quam contra furores tyrannorum tueatur, & defendat: Zach.9.
poſtremò compedibus vinctos educere de lacu, & fouea, in qua
aqua non eſt: vt condonatis peccatis in partem nos regni ſempiterni accipiat? At cõtra verò quid horribilius comminatione iſta:
fore, vti rebellatores, hoc eſt, cum impij, & nefarij homines,
tum prauarum opinionum magiſtri, & tyranni ſiticuloſa incolant loca: & deſtituti leuatione omni, & vindicatione à dolore
ac mœrore animi, ſecluſi à cœtu, & concilio piorum in perpetuas tenebras relegentur. At illud L. interpretum. *Habitare facit vnius moris, ſeu vnanimes in domo:* hanc ſententiam adſcribit Cyprianus. *In domo Dei, quæ eſt Eccleſia, niſi concordes, & vnanimes non habitant, niſi ſimplices non perſeuerant.*
Monachi, quos quidam in hunc locum inſerciunt, qui, ſi Dijs
placet, ex hominum turba ſecedunt, vt ſermones cum cœlitibus,
& conſilia conferant, in deſerta ſolitudinesq; Arabiæ, aut ἐς
κόρακας potiùs ablegentur. Nihil enim illis, hoc quidem tempore, cum domo Dei.

Deus

VII. VIII.

Deus cum egredieris in conſpectu populi tui: cum pertranſieris in deſerto.

Terra mota eſt : etenim cœli diſtillauerunt à facie Sinai à facie Dei Iſrael.

Narratio, quà promulgationem Legis confert, & componit ἀντιθέσει eum doctrina Euangelij. Cùm antegredereris populum tuum Deus: cùm per ſolitudines vaſtas incederes, terra concuſſa eſt : cœlis deſtillantibus nubes effuderunt aquas, mons ipſe Sinæus ad præſentiam Iſraelitarum Dei deliquit. Menſe poſt eductionem Hebræorum tertio cùm ad ferendam legem ſuam Dominus in montem Sinam deſcendiſſet, extiterunt fragores, & fulgura, & nubes in monte denſiſsimæ. Populus verò viſis fulgetris, & montis fumo animaduerſo, audito præterea tubæ clangore, etiam atq; etiam contremuit. Qua hiſtoria innuitur, quæ Legis ſit in pectoribus mortalium vis, & efficacitas. Etſi enim lex quidem ſancta eſt, & præceptum ſanctum, iuſtum, & bonum, vt loquitur Apoſtolus : tamen natura
Rom. 7. *noſtra corrupta & deprauata, non poteſt non ad vocem eius*
Rom. 4. *metu perturbari : nam, vt idem ait : Lex iram operatur. Quæ etiam cauſſa eſt, cur in loco vaſto, & inculta ſolitudine legem ſuam ferre voluerit Deus: vt lapidum nimirum, arbuſtorum, virgultorumq́; inuolucris, ſpineta ſenticeta, & ſaxeta pecto-*
Iud. 5. *rum noſtrorum nobis ob oculos poneret. Non admodum diuerſa leguntur in cantico Deboræ.*

IX. X.

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ : & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.

Anima-

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Nunc verò pluuiam copioſam effundis Deus in peculium tuum: feſſumq; illud, & æſtu Legis ſiccum, & aridum gratiæ, benignitatisq; tuæ imbribus recreas: vt copiæ in eo tuæ conſidant, te paupertatem inopum tuorum, pro bonitate infinita recreante. Pluuia, βροχὴ, qua irrigat patrimonium ſuum pater cœleſtis, doctrina eſt Euangelij de remiſsione, & condonatione peccatorum gratuita: cui ritus, & cæremoniæ, quæ obſignant promiſsiones diuinas, adiunctæ ſunt: per quæ omnia efficax eſt Deus Spiritus ſanctus in mentibus eorum: qui priùs ſine Chriſto, ab Iſraelitarum rep. alieni, fœderibus promiſsionis carentes, ſpem non habentes, & Dei expertes in mundo, cōſperſi nunc ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti vegetantur, & fructus ferentes per tolerantiam, aluntur ad vitã beatam, & immortalem. Hæc pluuia ἑκούσιος, voluntaria eſt: Libera.n. inductione animi diffundit eam Deus, non meritis redditam, ſed gratis datam, vnde etiam gratia nominatur, inquit Auguſtinus. (De Trin. lib. 4.) Animalia, τὰ ζῶα, diuina ſunt, de quibus Chriſtus apud Euangeliſtam. Ego ſum paſtor ille bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcor ab eis. Epheſ. 2.

XI.

Dominus dabit verbum: euangelizantibus virtute multa.

Ratio ἐπεξεργαστικὴ per allegoriam expoſita, ſumptam à re bellica. Sermonem enim, & verbi tui doctrinam magna læta nunciantium multitudine longè, lateq; diuulgas. Alludit cùm ad fœminas, quæ apud Hebræos victis hoſtibus Deo ſolebant canere ἐπινίκια, vt Maria, Debora: tum ad mulieres, quibus in vitam reuerſus Chriſtus primùm omnium ſe oſtendit: &, vt in vitam ſeſe reuocatum fratribus ſuis nunciarent, mandauit. Exod. 15. Iud. 5.

XII.

Rex

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

τὰ ἑπόμϑνα. Hinc fit, vt duces, & imperatores exercitus conſpirantes inter ſe caritatis inflammatæ concordia ſint coniuncti: & materfamiliâs ſpolia diſtribuat. Duces Apoſtoli ſunt, & qui in eorum facultatem, poteſtatemq́; ſucceſſerunt, bellum verbo, & diuini nominis imploratione gentes cum Satana, & omnibus eius adminiſtris: concordia, doctrinæ conſenſus: exercitus. Deo & Chriſto fidē habentes: ſpecies et decus domus, ὡραιότης τοῦ οἴκου, materfamiliâs, Eccleſia: ſpolia, verbū ſalutis, condonatio peccatorum, iuſticia, & vita immortalis. His enim omnibus hoſtis humani generis diabolus nudarat nos, ſpoliaratq́;. De concordia eorum, quos paſtores ſuo gregi compaſcendo, cuſtodiendoq́; creauit Deus, notum eſt illud: Ecce

Pſal. 133. *quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Quò etiam illa referri poſſunt. Concordi collegio nihil firmius. et. Concordia paruæ res creſcunt diſcordia maximæ dilabuntur.*

XIII.

Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.

ὁμοίωσις per apoſtrophen: qua caſtrorum exercitus diuini pulchritudinem depingit. In quibus inter ſarcinas cubantes, manetis tentoria non aliter collucent, quàm

Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur:
Quæ ſita ceruices circum, collumq́; coronat,

interdum colore argenteo,

Interdum claro fulgens ceu rubra pyropo.

Columbarum colla cùm conuertuntur plures oſtendunt colores, cùm tamen vnus tantùm exiſtat illic color. Intelligit autem Propheta donorum cœleſtium varietates, & diſcrimina, quæ ſunt. Sapientia, ſcientia, fides, prodigiorum effectiones,

vaticinatio, Spirituum dijudicatio, genera linguarum, & earum interpretationes: vt in epiſtola ad Corinthios prima Apoſtolus ea enumerat. Sarcinæ militares crucis ſunt onera: ſub quibus iacent cum pij omnes, tum præcipuè quorum munus eſt, & officium verbo præire alijs, & doctrina Euangelij. Color ruber fidem ſignificat, & ſanguinis pro illa profuſionem: albus verò innocentiam, & virtutes, ſeu fructus fidei: quæ cùm luce ſua colluſtrat Chriſtus, pulchrius fieri illis, ſplendidiusq; nihil poteſt in conſpectu diuino.

XIIII.

Dum diſcernit cœleſtis Reges ſuper eam niue dealbabuntur in Selmon.

Effectus Euangelij, lux noua in cordibus credentium, & certa cùm naturæ, tum voluntatis Dei erga genus humanum notitia. Omnipotente hinc, & inde reges conſtituente, & in illa ſuas cuiq; prouincias aßignante, fugatis tenebris, clarißima luce perfunduntur omnia: quæq; caligine antea premebantur, monte Salmonio candidiora fiunt. Salmon mons Iudææ niuibus hybernis ſpectabilis. Iohannes Euangeliſta de filio Dei. Erat lux, inquit, vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundũ. Vitæ omnis lucisq; fons eſt Chriſtus: ab illo per fidem Iud. 8. *communicantur ea credentibus: vt, licet non habitet in illorum carne bonum, aßignatione tamen, attributioneq; cœleſti niue ſint candidiores, et tanquam luminaria micent in Mundo, in medio praui, peruerſiq; generis hominum. Obſeruandum verò non humano ſtudio, & induſtria: ſed fauore fieri Dei, & benignitate, vt, mißis ab illo Apoſtolis ad nos, & verbi diuini præconibus, oculi nobis aperiantur: vt ex tenebris errorum in lucem, & ex Satanæ poteſtate ad Deum conuertamur, & ita* Act. 26. *peccatorum veniam, & ſanctorum ſortem conſequamur.*

XV. XVI.

Mons Dei mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis.

Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Επιμβολὴ, qua allegoriæ priori aliam allegoriam interijcit. Occaſione enim montis Salmonij ipſam Eccleſiam, quæ eſt regnum Dei, montem diuinum, & cœleſtem appellat, iuxta
Pſal. 15. *illa: quis requieſcet in monte ſancto tuo? &. Quis aſcendet in montem diuinum? increpans, quæ ſunt in terris, imperia, & reſpublicas: & mandans, vt poſito ſapientiæ tumore, & potentiæ, ſuos illi vertices humiliter ſubmittant. Mons Dei Mons opimus eſt, & magnitudine, fertilitate, fœcunditateq; cumulatus: quid petulanter exultatis montes reliqui, & granditate elati veſtra, ex alto deſpicitis montem rerum moderatori omnium gratiſſimum, & in quo habitare decreuit ſeculis infinitis? Fertilis eſt Eccleſia Chriſti, & copia, vbertate, varietateq; fructuum, virtutumq; inſigniter præſtat: non enim verbum cœ-*
Eſa. 55. *leſte ad autorem ſuum ſine fruge reuertitur, vt eſt apud Eſaiam. Aſſurgit eadem cumulata quaſi, & ex alijs collibus coagmentata: quia, vt Apoſtolus inquit, diſcrimina ſunt donorum, cùm ſit idem ſpiritus: & diſcrimina ſunt miniſteriorum, cùm ſit idem Dominus, & diſcrimina ſunt effectionum, cùm ſit idem Deus, qui omnia operatur in omnibus, Qui Domino confidunt,*
Pſal. 124. *ſimiles ſunt montis Sionij: qui perpetuò manet immobilis, bo-*
Eſa. 29. *ſtium turba quaſi tenui puluere, & ferocium multitudine quaſi palearum aceruo repente diſpellenda. Autor ipſe, & Eſaias. Montem, & Eccleſiam ſuam amat Deus, & chariſſimam habet: reliquos colles, regna, & imperia auerſatur: vt Turcas, Parthos, Tartaros, Adulterhomanos: Hi enim partim ignorant, partim contumelia Chriſtum afficiunt.*

XVII.

Currus Dei decem millibus multiplex:

tiplex: millia lætantium, Dominus in eis in Sinai in ſancto.

ἐπάνοδος ad allegoriam priorem de re militari: deſcribit autem victoriam nunc, & triumphum Chriſti, & doctrinæ Euangelicæ progreſſum. Curruum, & quadrigarum diuinarum millia ſunt infinita: in quibus inuehitur idem Dominus ipſe, qui in monte olim Sinæo præſentiam, potentiamq; ſuam declarauit. Currus cœleſtes, & Angeli ſunt, qui defendunt Eccleſiam, vt videre eſt in hiſtoria Eliſæi: & copiæ ipſæ innumerabiles Apoſtolorum pariter, & credentium omnium: qui duce Chriſto contra diabolum, peccatum, & mortem fortiter rem, proſpereq; gerunt.

XVIII.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus: etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

ἀποστροφὴ ad victorem ipſum, triumphatoremq; Chriſtum. Victoria potitus corpore immortali ad ſiderei tete, ardua culmina cœli ex hominum aſpectu extuliſti: & ſurſum ſublatus penetraſti in cœlum: & per triumpham ducens captiuitatem, in ſpoliatos principatus, ac poteſtates, & in ipſum, qui mortis habebat imperium, palàm exemplum edidiſti: acceptis donis à patre cœleſti, ad cuius dextram conſediſti, quæ in mortales, quos in vitam reuocas, & in cœleſtibus collocas, diſtribuis, adeoq; contumaces etiam, & à cultu diuino prorſus alienos: vt in ſubiunctis ijs ſub ditionem, & imperium regni tui, ſedem habeat, domiciliumq; Deus in omnem æternitatem. Huius loci interpres optimus eſt Apoſtolus his verbis: Cùm mortui eſſetis per Coll. 2. *delicta, in vitam vos cum eo reuocauit, condonans vobis delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum de medio ſuſtulit, affixum cruci,*

expoliatosq́; principatus, ac poteſtates oſtentauit palàm, trium-
Eph. 4. phans illos in ſemetipſo. &c. ad Epheſios. Itaq; aſcendens in ſublime captiuos (inquit ille) abduxit, & dona dedit hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat prius in inferiores terræ partes: qui deſcendit, ipſe eſt, qui & aſcendit ſupra omnes cœlos, vt impleret omnia. Et idem. Dedit alios quidem Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem
Eph. 4. corporis Chriſti &c. In Chriſto duæ naturæ in vnum coniunctæ ita, & coagmentatæ ſunt: vt in omnem nunc æternitatem diſtrahi, diuelliq́; adeo non poſsint: vt paſſus pro nobis, & mortuus carne Chriſtus emigratione ſua in cœlum euexerit naturam humanam ad omnipotentis Dei excelſitatem. Ex quo fit, vt de doctrina τῆς μεταδόσεως quod de vna natura dicitur, verè & reipſa dicatur quoq; de altera: ſed vt loquuntur differendi Magiſtri ἐν τῷ συγκειμένῳ, concreto: & confitetur cœtus piorum omnium Chriſtum perfectum Deum, & perfectum hominem eſſe: qui accepta à patre omni poteſtate in cœlo, & in terra, & omnes theſauros habens cognitionis Rex ſit, & gubernator ſapientiſsimus, potentiſsimusq́; Eccleſiæ ſuæ in æternitatem infinitam. Quis autem, inquit Caſsiodorus, fidelium dubitet iam de conceſſa libertate, cum ſit extinctus interitus, & captiuata captiuitas. Cæterùm Propheta noſter, Accepiſti inquit, dona in hominibus: At Paulus Apoſtolus, Dona, ait, dedit hominibus: hæc quonam modo concinnata concordent, Auguſtinus docet de Tr. lib. 15. cap. 19. Et certè ea diſtribuit Chriſtus, quæ acceperat, ſecundum hoc, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ite igitur doctum omnes gentes. Matth. vltimo, Chriſtus captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Vicit enim Diabolum, & dedit nobis promiſſionem, & Spiritum ſanctum, vt auxilio diuino vincamus & ipſi. Phœnix Apol.

XIX. XX.

Bene-

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

ἐπιφώνημα εὐχαριστικόν. Grates vindici, & parenti libertatis humanæ Deo, qui peccata noſtra in ſe transferens: eaq́; agnoſcens pro ſuis, deleto peccato, mortis portis æreis perruptis, ferreisq́; clauſtris perfractis, ac funditus euerſa tyrannide diaboli, ſeruitutis iugum à ceruicibus noſtris repulit: cruciatibusq́; ſuis ſalutem nobis pariens, ex malis, periculis, calamitatibusq́;, ipſius de conſilio, & voluntate quæ nobis immittuntur, ereptis vitam donat, felicitatemq́; nullis ſeculorum ætatibus terminandam. Deus ſaluos faciendi Dominus: eſt Ieſus, quod interpretatur Saluator, ſiue ſalutaris. Aug. 17. de Ciu. Dei. 18. Dominus exitus mortis eſt Dominus, quòd liberat oppreſſos à morte, & transfert in vitam æternam. Hagnon.

XXI.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

πρόῤῥησις de euerſione cum Reip. Iudæorum, tum impiorum omnium. Contundet Deus caput inimicorum ſuorum, & cæſariem aduerſantium ſibi truncabit, regnum pariter, & ſacerdotium illorum diſturbando: quòd obſtinatè pertendentes in ſceleribus, tempus, quo ratio illorum fuit habita, præterfluere paßi ſunt. Percußiſti caput de domo impij, denudaſti fundamenta eius vſq; ad collum. Abacucus. Luc. 19. Abac. 3

XXII.

Dixit Dominus ex Baſan conuer-

tam: conuertam in profundum maris.

ἐπιμβολὴ de ſeruandis Hebræorum reliquijs, & gentium ad religionem Chriſti conuerſione, μιμητικῶς ex perſona Dei. Verùm de pinguibus tamen conuertam, & ex pelagi profundo retraham aliquot, inquit Dominus: qui non aliter, quàm populus olim Iſraeliticus ex mari rubro, ſeruabuntur. Baſana regio fuit vberrima. Hinc vocabulum Baſan pro pinguitudine, & fertilitate ſumitur. Hoc autem loco Baſanici, ſeu pingues, & potentes, Iudæi ſunt ipſi, qui gloriantur lege, & ritibus ſacrorum traditis diuinitus inflati, virtutum actionibus, & iuſticia propria efferunt ſeſe, magnificosq́; faciunt: Gurgites verò pelagi, gentes: quæ ventis opinionum, & affectuum, libidinumq́; fluctibus agitati turbantur.

XXIII.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorũ ex inimicis ab ipſo.

Reuerſio ad victoriæ, & pompæ debellatis hoſtibus deſcriptionem ἀλληγορικὴν: loquitur verò præcipuè de euerſione, & diſturbatione Hieroſolymorum. Tantam verò ſtragem edes hoſtium, & inimicorum tuorum: vt ſanguine illorum pedes tuos laues, eundemq́; canes lingant. ποὺς τοῦ θεοῦ ἡ ἁγία αὐτοῦ σάρξ: Pes Dei ſancta illius Caro. Damaſc. Simile illud.

Pſal. 58. *Manus ſuas lauabunt in ſanguine peccatoris iuſti.*

XXIIII. XXV.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei Regis mei qui eſt in ſancto.

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

ὑπο-

ὑποτύπωσις pompæ, & apparatus triumphi permutatione, quæ allegoria, informata. Conſpicitur inceſſus tuus Deus, inceſſus Dei mei, regis mei, in magnifica ſanctitatis tuæ pompa: qua & iuſtus es ipſe, & iuſtos facis fidem tibi habentes. Antegrediuntur cantores, ſequuntur ſymphoniaci cum puellarum choro,

quæ quatiunt molli tympana rauca manu.

Nullum genus hominum, nulla ætas, nullus ſexus à regni cœleſtis hæreditate excluditur, & amat omnium mortalium linguis, artibus, & ſtudijs celebrari Deus. Vnde Prudentius Hymno omni hora.

Te ſenes, & te iuuentus, paruulorum te chorus,
Turba matrum, virginumq́;, ſimplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perſtrepunt concentibus.

Cantores Prophetæ ſunt: ſymphoniaci Apoſtoli, Chorus puellarum Eccleſia ex Iudæis, & nationibus reliquis Chriſto Domino addicta, & conſecrata: Greſſus Domini, aduentus Filij Dei in mundum, & regreßio eius ad patrem. H. Vict. de eſſ. Di.

XXVI.

In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſraël.

μιμηλικῶς carmen recitat piorum Chriſto, Deoq́; canentium. Celebrate laudes Dei in congregationibus, conuentibusq́; propter fontes Iſraeliticos. Fontes Iſraelitici, πηγαὶ ἰσραὴλ, tum regnum ſunt Chriſti Domini, quod fontis inſtar ortum inter Hebræos ſcaturit ad vitam æternam, populos, gentes, & terras vniuerſas inundans: tum ipſa ſacrorum voluminum monumenta: è quibus de natura & voluntate diuina doctrina ſalutaris hauritur.

XXVII.

Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu: principes Iuda Duces

eorum: Principes Zabulon & principes Nephthalim.

ἀπαρίθμησις, enumeratio ducum, hoc eſt, Apoſtolorum, alluſione ad tribus aliquot Hebrææ gentis. Principem locum obtinet Beniamin paruulus: accedunt cum ſuo comitatu
Rom. 11. *proceres Iudæi, Zabulonij, & Nephthalij. Paulus Apoſtolus ex*
Phil. 3. *tribu fuit Beniaminia: quem ideo paruulũ vocat, vel, quòd Beniamin filiorum Patriarchæ Iacobi extitit minimus: vel, quod Spiritui ſancto alludere placuit ad nomen ipſum Pauli: qui quidẽ ſe minimum Apoſtolorum pronunciat ipſe. Exceſſus mentis, ἔκ-*
2. Cor. 12. *στασις, interpretum ſeptuaginta, ad raptum Apoſtoli ad tertium vſq; cœlum poteſt referri. Appellationibus Iudaicæ tribus, Zabuloniæ, & Naphthalienſis reliquos intelligit diſcipulos Chriſti: quod ortum ferè ex illis tribubus duxerint: & Eſaias*
Eſa. 11. *propheta terræ Zabuloniæ, & Naphthalienſis mentionem facit: cum vaticinatur fore, vti habitanti populo in tenebris lux magna affulgeat.*

XXVIII. XXIX.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Hieruſalem: tibi offerent Reges munera.

Acclamatio εὐκτική. Vt contra falſarum opinionum magiſtros, & tyrannos ſeruet Deus Eccleſiæ verbum ſuum: diuulgatæq; cum omni libertate in omnes terrarum partes cœleſtis doctrinæ prouentus augeat. Horum opera ſalutarem credentibus potentiã regni tui profers: quod vt conſtitueres, quia robur tibi, vireſq; dedit, ſuggeßitq; Deus: precamur, vt opus ſuum idem, qui cœpit, & ſine quo nihil poteſt fieri, prouehat propter, è templo Hieroſolymitano ortam, Eccleſiam tuam: ad quam fama maieſtatis tuæ accenſi reges, & principes adiungent ſeſe: & numen tuum muneribus ſuis deuenerabuntur. Niſi opus ſuum confir-

confirmet in nobis Deus: facili momento in ſecuritatem, incuriam, negligentiamq́; animi noſtri prolabuntur.

XXX.

Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati ſunt argento: diſsipa gentes quæ bella volunt.

Increpa beſtiam, quæ ſub arundinibus cubat: territa multitudinem taurorum inter vitulos: qui proculcant pecuniæ ergò omnia: diſsipa gentes, quibus bella cordi ſunt, & prælia. Beſtiæ inter arundines, θήρια τοῦ καλάμου, *cũ Satanas eſt ipſe, quem Vſita Behemota vocat, dormientem ſub vmbra in ſecreto calami: tum eius adminiſtri, doctores peſtiferi, & principes tyrannici: qui idem tauri ſunt inter vitulos,* ταῦροι ἐν ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, *hoc eſt, ſub imperiũ ipſorum ſubiectas gentes, & populos: cum quibus rectè coniungas eos de quibus ille:*

Nulla fides, pietasq́; viris qui caſtra ſequuntur,
Venalesq́; manus, ibi fas vbi maxima merces.

XXXI.

Venient legati ex Ægyto, Æthiopia præueniet manus eius Deo.

De vocatu gentium. Principes Ægyptiaci venient: Æthiopia manus ſuas Deo ſine vlla cunctatione porriget. Huc illa. Filia Tyri cum muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Autor. &. Coram illo procident Æthiopes: reges Pſal. 45. *Tarſis, & inſulæ munera offerent. Idem. Deus perſonis nihil* Pſal. 72. *tribuit: ſed ſua clementia comprehendit omnes mortales, quantumuis barbaros, & peccatis inuolutos. Nullum enim Iudæi, Græciq́; diſcrimen eſt: ſed idem eſt omnium Dominus diues omnibus, qui eum inuocant. Paulus.* Roman. 10.

XXXII. XXXIII. XXXIIII.

Regna terræ cantate Deo : pſallite Domino.

Pſallite Deo : qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem : ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.

Date gloriam Deo ſuper Iſraël, magnificētia eius & virtus eius in nubibus.

Concluſio per προτροπὴν cohortationem. Imperia & reſpublicæ canite Deo :

qui lata gentes reges ditione tenetis ſundite Domino cantica, qui ab initio cœlis inſidet : Ecce vim tribuit, efficacitatemq́; tonitrui ſuo : Aſsignate Deo regnū, & potentiam : cuius maieſtas in gente Iſraelitica clara eſt, cuius virtus æterna, & īnfinita. Tonitrus, vox eſt doctrinæ Euangelicæ : qua Spiritus ſancti beneficio, ad ſalutem vocati, nihil viribus, & actionib. noſtris, diuinæ verò miſericordiæ, et clementiæ omnia aſſcribimus :

Hæc agit in nobis, agitante caleſcimus illa :
Hic vigor è cœlo, non aliundè, venit.

XXXV.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ : benedictus Deus.

ἐπιφώνημα. Qui Deus mirificus eſt in ſanctitatis ſuæ ſacrario : Deus Iſraelis, qui contra hoſtes, & aduerſarios ſuo populo vires tribuit, & robur ſubminiſtrat, laudetur in omnem ſeculorum perennitatem.

πάντοτε παμβασιλεὺς ἀειδείκετος αἰνετὸς ἔστω.
Sit Deus omniregens æterno carmine dignus. Apoll.

PSALMVS LXIX.

ROSA, ſeu CHRISTVS dierectus.

PRecatio Domini, ac ſalutis noſtræ liberatoris, & vindicis Ieſu Chriſti, qua in crucem ſublatus, ſummis & animi, & corporis oppreſsis doloribus, vſus eſt. Primùm autem, quamuis expers culpæ, & ab omni crimine remotus eſt, peccatorum tamen labe infectum eſſe, inquinatumq́ ſeſe confitetur: cur ita? quòd cauſſam generis humani ſuſceperat: & criminibus noſtris reum ſe patri æterno pro nobis ſuppoſuerat. Deinde conqueritur de immanitate, crudelitateq́ tum eorum, qui in crucem ipſum egerant, & ſitienti fel, acetumq́ porrigebant bibendum: tum qui verborum contumelijs conuicijsq́ petulanter exagitabant. Adhæc vaticinatur de Iudæorum cœcitate, ſtupore, &, quam videmus contigiſſe, regni ſacerdotijq́ diſturbatione. Poſtremò prædicit fore, vti longè, lateq́ diuulgata Euangelij doctrina pleniſſima ſanctitatis religio, & maieſtati diuinæ gratiſsimus cultus inſtituatur: quo, ritibus legis, & cæremonijs antiquatis, Deus pater per filium piè, ſanctéq́ in omnem æternitatem colatur.

I. II.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

πρότασις Propoſitio annexa ratione, & expolitione ἐξεργασίᾳ allegorica: quæ eſt vice narratiunculæ, exponentis pericula, & acerbitatum ærumnas. In tanto ſum animi dolore, vt emoriar. At tu opem ſer parens miſericordiæ in periculum vitæ, in a-

quis calamitatum, & miſeriarum maximis, adducto. In profundiſſimæ paludis voraginem immergor: in luto ſum, qui fundum non habet: venio in vaſtiſſimam aquarum immenſitatem:

Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Pſal. 18. *Frangitur, & rupta merſum caput obruit vnda.*

Mortis premor anguſtijs, improborum torrentes me turbant,
Matth. 26. *dolores inferni me circumplicant, mortis laquei præpediunt. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Chriſtus. Auguſtinus intelligit hæc verba: & non eſt ſubſtantia: ἀλληγορικῶς de vicijs, iniquitate, peruerſitate, quæ naturæ à Deo formatæ non ſunt: (οὔ τε γὰρ ἐνυπόστατον τὸ κακόν ἐστιν, inquit Epiphanius) & Chriſtus tamen in illa noſtri cauſſa infixus eſt, & immerſus.*

III.

Laboraui clamans raucæ factæ ſunt fauces meæ: Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum.

Amplificatio ἐκ τῶν ἑπομένων. Senſus enim animi, aut corporis acerbus, in quiritationes ſolet, & clamores erumpere, clamando raucitatem contraxit guttur: oculi ſuſpiciendo diuinum auxilium caligant. Vox quoq; feſſum ipſa fugit: dumq; contentiore oculorum acie cœlum intuens, auxilium inde tuum expecto, tenebris nigreſcunt omnia circum. Limum, ἰλὺν, & altitudinem maris, τὰ βάθη τῆς θαλάσσης, & tempeſtates, καταιγίν, intelligit, quos incredibiles perpeſſus eſt cruciatus, & angores animi propter peccata noſtra, quæ in ſe tranſtulerat, incitantibus ſe in derelictum ab omnibus naturis, ira Dei, diabolo, morte, & vniuerſis inferorum tormentis.

IIII.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: qui oderunt me gratis: Con-

for-

fortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui tunc exoluebam.

ἑρμηνεία, interpretatio. Hoſtium meorum, qui me non præter meum meritum ſolùm, ſed præclariſſima quoq; in illos conferentem beneficia, oderunt, plures ſunt, quàm capilli capitis mei: qui quidem potentiam, & vires, quibus pollent, in perniciem meam omnes conſerunt, ad pœnam me repoſcentes eorum maleficiorum gratia, quibus me non obſtrinxi.

Heu miſer illa luo, quæ nunquam facta patraui:
Atq; aliena malis damna rependo meis.

Cùm debitor mortis, peccatiq; non eſſet, tanquam peccati, & mortis debitor tenebatur. Hilarius. Principes ſacerdotum, & Scribæ acriter eum accuſabant. Filium Dei ſeſe fecit: Excitat populum: Cæſari tributa ſolui vetat. Tolle tolle: crucifige eum. Luc. 23.

V.

Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

προκατάληψις. Contaminatus quidem, & infectus ſum, ſed proprij alicuius ſceleris macula nullà. Tu ſcis, an me aliquo crimine polluerim: neq; tibi ignota ſunt mea peccata: vt quæ non mea ſunt, ſed vniuerſi generis humani. A Chriſto commiſſum erat nihil, quamobrem malè multaretur, & in crucem tolleretur: ſed, quia deprecatorem ſeſe pro nobis apud patrem cœleſtem præbuerat, vt compedibus vinculisq; ſcelerum laxati, è ſeruitute eriperemur diaboli, iuſticiæ diuinæ ſatisfacere, & peccata noſtra ſanguine ſuo puriſſimo neceſſe habuit expiare. Caput inquit Caſſiodorus, de ſuo corpore loquitur. Vocat autem noſtra peccata ſua Chriſtus: ex quo conſequitur, innocentiam ipſius, & iuſticiam noſtram eſſe: neq; damnationi fore obnoxios eos, qui in Chriſto Ieſu non corporis, ſed ſpiritus arbitrio parent. Chriſtus fuit delictorum ſuſceptor,

non commiſſor. Auguſtinus. Chriſtus non meritum, ſed mandatum mortis habens, & mortem ſine merito debito ſoluens, à morte debita nos redemit. Rapuerat enim Adam peccatum: quando manum in arborem præſumtione deceptus extendit: vt incommunicabile nomen inconceſſæ diuinitatis inuaderet, quam filio Dei natura contulerat, non rapina. Idem in Euang. Iohan. Tr. 79.

VI. VII.

Non erubeſcant in me qui expectant te Domine Domine virtutum: Non confundantur ſuper me: qui quærunt te Deus Iſrael.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.

Alia ratio propoſitionis. Ideo peto ſeruari Domine Deus exercituum, ne pudori ſim Eccleſiæ tuæ, quæ in te ſolum ſpectat: ne ſim lapis offendiculi, & ſaxum illiſus ijs, qui omnes cogitationes ſuas in te habent conſtitutas: neu deficiant animis tuæ gloriæ Deus Iſraelitarum ſtudioſi: ſi viderint me tui nominis ergò infamia oppreſſum eſſe, & dedecore, & faciem habere notatam ignominia. Chriſtus carnis integumento obduci voluit, tum vt, diaboli tyrannide euerſa, animos hominum, qui caligine viciorum, & cupiditatum occæcati rectam de natura diuina opinionem non habebant, ad lucem, & veram Dei colendi rationem traduceret: itaq; gloria ſua conſtaret inter homines patri cœleſti: tum, vt diſperſos filios Dei congregaret: quos non ſolùm à morte ſempiterna liberaret, ſed omnium etiam bonorum ſuorum faceret participes.

VIII.

Ex-

Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.

Συνέχεια τῆς ἐξεργασίας. Continuatio expoſitionis ærumnarum per amplificationem circumſtantiarum. Habent me pro alieno fratres mei, pro extraneo domeſtici. In ſua venit Ioh. 1.
& ſui eum non acceperunt (admiſerunt.) Iohannes. Neq; eius 1. Cor. 1.
fratres ei fidem habebant. Idem. Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offenſionem, Græcis verò ſtulticiam. Paulus Apoſtolus.

IX.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

αἴτιον προκαταρκτικόν. In tuæ domus ſtudio inflammatum conuiciatorum tuorum maledicta congeruntur. Cùm Ieſus nactus eſſet in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes, facta ex loris ſcutica, omnes eiecit ex delubro: ouesq́; & boues, & menſariorum æs effudit: euertitq́; menſas, & columbarum venditoribus dixit. (Votis ſacrata, pijsq́; hæc precibus domus eſt.) Hæc auferte hinc, & ex mei parentis domo ne facite domum mercatoriam. Quo facto, recordati ſunt, inquit Euangeliſta, diſcipuli eius quòd ſcriptum eſt: Zelus Domus tuæ confecit me. Iohannes. Chriſtus non Iohan. 2.
placuit ſibi, ſed ſicut ſcriptum eſt, opprobria opprobrantium Roman. 15
tibi in me inciderunt. Paulus. Quibus ex locis, quæ ſit huius verſus explanatio poteſt intelligi: nimirum arſiſſe Chriſtum cupiditate incredibili, vt domus Dei, quæ eſt Eccleſia, repurgaretur ab contaminationibus Satanæ vniuerſis: & in ea patris maieſtas ſola coleretur, celebrareturq́; in æternitatem infinitam: cuius quidem amore nihil non criminationum, &, quibus honori ipſius labes inſerretur, contumeliarum, adeoq́; totius humani generis peccata ſuſtinere promptus fuerit & paratus.

Et

X. XI. XII.

Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt opprobrium mihi.

Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.

Hinc conficior lachrymis, ſic vt ferre non poßim: cumq́; afflictus mœrore conſumar inedia, probris tamen, maledictisq; hoſtium vexor: In centone amictum, & iacentem in ſordibus improborum ſonant dicteria: qui in curia ſedent, magno hominum riſu miſerias meas cauillantur:

Sed neq; ſine me plenis fiunt conuiuia menſis:
dum qui maioribus poſcunt poculis,
De me fingentes carmina fœda vomunt.

Ad fletum Chriſti referenda vrbis Hieroſolymorum deploratio, & lachrymæ in reſuſcitatione Lazari. Nec Chriſtus ipſe, nec qui cum illo faciunt vel verba, vel facta ſua mundo probare poſ- Ioh. 11.
Luc. 19. *ſunt: vt iuſtificetur nimirum ſapientia à filijs ſuis. Riſus ſum popularibus meis, & quotidiana cantilena. Si hominibus pla-*
Matth. 11. *cerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Paulus Appſtolus.*

Gal. 1. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII.

Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus: In multitudine miſericordiæ tuæ: exaudi me in veritate ſalutis tuæ.

Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me & de profundis aquarum. Non

Non me demergat tempeſtas aquæ: neq; abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.

Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor: velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Repetitio ἐπανάληψις propoſitionis per commorationem, ἐπιμονὴν: qua redit ad expoſitionem ærumnarũ ſuarum, & clementiæ diuinæ opem implorat, eandem ſententiam alijs, atq; alijs verbis oratione modificata verſans: & exemplum nobis præbens, vt in miſerijs, ærumnis, & calamitatibus, & ipſi precibus ad miſericordiam diuinam ſuppliciter confugiamus. Fortiſsima enim turris nomen Domini, in quam perfugiendo iuſtus protegitur, inquit Rex ſapiens.

Nulla ſalus medio verſanti turbine leti:

quare meum cum ſit orare, obteſtor Domine, vt, ſatis iam ſuperq́; pœnarum, & ſuppliciorum perpeſſo, gratiam tuam reſtituas: Nunc tempus eſt auxilij: ſine ergo exorem te Deus: proq́; interminata, & quæ maior eſt peccatis omnibus, bonitate tua te mihi facilem præbe: Præſto mihi ſis, qui promiſſa ſeruas: adiuua me, affer ſalutem, eripe me ex limo ærumnarum, ne ſubmerſus nuſquam compaream: libera me ab hoſtibus meis, & ex vaſta aquarum profunditate: ne

caua

eorum: Principes Zabulon & principes Nephthalim.

ἀπαρίθμησις, enumeratio ducum, hoc eſt, Apoſtolorum, alluſione ad tribus aliquot Hebrææ gentis. Principem locum obtinet Beniamin paruulus: accedunt cum ſuo comitatu proceres Iudæi, Zabulonij, & Nephthalij. Paulus Apoſtolus ex
Rom. 11. Phil. 3. *tribu fuit Beniaminia: quem ideo paruulũ vocat, vel, quòd Beniamin filiorum Patriarchæ Iacobi extitit minimus: vel, quod Spiritui ſancto alludere placuit ad nomen ipſum Pauli: qui quidẽ ſe minimum Apoſtolorum pronunciat ipſe. Exceſſus mentis, ἔκ-*
2. Cor. 12. *στασις, interpretum ſeptuaginta, ad raptum Apoſtoli ad tertium vſq; cœlum poteſt referri. Appellationibus Iudaicæ tribus, Zabuloniæ, & Naphthalienſis reliquos intelligit diſcipulos Chriſti: quod ortum ferè ex illis tribubus duxerint: & Eſaias*
Eſa. 11. *propheta terræ Zabuloniæ, & Naphthalienſis mentionem facit: cum vaticinatur fore, vti habitanti populo in tenebris lux magna affulgeat.*

XXVIII. XXIX.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Hieruſalem: tibi offerent Reges munera.

Acclamatio εὐκτική. Vt contra falſarum opinionum magiſtros, & tyrannos ſeruet Deus Eccleſiæ verbum ſuum: diuulgatæq́; cum omni libertate in omnes terrarum partes cœleſtis doctrinæ prouentus augeat. Horum opera ſalutarem credentibus potentiã regni tui profers: quod vt conſtitueres, quia robur tibi, vireſq́; dedit, ſuggeßitq́; Deus: precamur, vt opus ſuum idem, qui cœpit, & ſine quo nihil poteſt fieri, proueat propter, è templo Hieroſolymitano ortam, Eccleſiam tuam: ad quam fama maieſtatis tuæ accenſi reges, & principes adiungent ſeſe: & numen tuum muneribus ſuis deuenerabuntur. Niſi opus ſuum

confir-

confirmet in nobis Deus: facili momento in ſecuritatem, incuriam, negligentiamq́; animi noſtri prolabuntur.

XXX.

Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati ſunt argento: diſsipa gentes quæ bella volunt.

Increpa beſtiam, quæ ſub arundinibus cubat: territa multitudinem taurorum inter vitulos: qui proculcant pecuniæ ergò omnia: diſsipa gentes, quibus bella cordi ſunt, & prælia. Beſtiæ inter arundines, θήρια τοῦ καλάμου, cũ Satanas eſt ipſe, quem Vſita Behemota vocat, dormientem ſub vmbra in ſecreto calami: tum eius adminiſtri, doctores peſtiferi, & principes tyrannici: qui idem tauri ſunt inter vitulos, ταῦροι ἐν ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, hoc eſt, ſub imperiũ ipſorum ſubiectas gentes, & populos: cum quibus rectè coniungas eos de quibus ille:

Nulla fides, pietasq́; viris qui caſtra ſequuntur,
Venalesq́; manus, ibi fas vbi maxima merces.

XXXI.

Venient legati ex Ægyto, Æthiopia præueniet manus eius Deo.

De vocatu gentium. Principes Ægyptiaci venient: Æthiopia manus ſuas Deo ſine vlla cunctatione porriget. Huc illa. Filia Tyri cum muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Autor. &. Coram illo procident Æthiopes: reges Pſal. 45. *Tarſis, & inſulæ munera offerent. Idem. Deus perſonis nihil* Pſal. 72. *tribuit: ſed ſua clementia comprehendit omnes mortales, quantumuis barbaros, & peccatis inuolutos. Nullum enim Iudæi, Græciq́; diſcrimen eſt: ſed idem eſt omnium Dominus diues omnibus, qui eum inuocant. Paulus.* Roman. 10.

XXXII. XXXIII. XXXIIII.

Regna terræ cantate Deo : pſallite Domino.

Pſallite Deo : qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem : ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.

Date gloriam Deo ſuper Iſraël, magnificẽtia eius & virtus eius in nubibus.

Concluſio per προτροπὴν cohortationem. Imperia & reſpublicæ canite Deo :

qui lata gentes reges ditione tenetis   ſundite Domino cantica, qui ab initio cœlis inſidet : Ecce vim tribuit, efficacitatemq́; tonitrui ſuo : Aſsignate Deo regnũ, & potentiam : cuius maieſtas in gente Iſraelitica clara eſt, cuius virtus æterna, & infinita. Tonitrus, vox eſt doctrinæ Euangelicæ : qua Spiritus ſancti beneficio, ad ſalutem vocati, nihil viribus, & actionib. noſtris, diuinæ verò miſericordiæ, et clementiæ omnia aſſcribimus :

Hæc agit in nobis, agitante caleſcimus illa :
Hic vigor è cœlo, non aliundè, venit.

XXXV.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ : benedictus Deus.

ἐπιφώνημα. *Qui Deus mirificus eſt in ſanctitatis ſuæ ſacrario : Deus Iſraelis, qui contra hoſtes, & aduerſarios ſuo populo vires tribuit, & robur ſubminiſtrat, laudetur in omnem ſeculorum perennitatem.*

πάντοτε παμβασιλεὺς ἀειδείκετος αἰνετὸς ἔστω.
Sit Deus omniregens æterno carmine dignus. Apoll.

PSALMVS LXIX.

ROSA

ROSA, ſeu CHRISTVS dierectus.

PRecatio Domini, ac ſalutis noſtræ liberatoris, & vindicis Ieſu Chriſti, qua in crucem ſublatus, ſummis & animi, & corporis oppreſsis doloribus, vſus eſt. Primùm autem, quamuis expers culpæ, & ab omni crimine remotus eſt, peccatorum tamen labe infectum eſſe, inquinatumq́ ſeſe confitetur: cur ita? quòd cauſſam generis humani ſuſceperat: & criminibus noſtris reum ſe patri æterno pro nobis ſuppoſuerat. Deinde conqueritur de immanitate, crudelitateq́ tum eorum, qui in crucem ipſum egerant, & ſitienti fel, acetumq́ porrigebant bibendum: tum qui verborum contumelijs conuicijsq́ petulanter exagitabant. Adhæc vaticinatur de Iudæorum cœcitate, ſtupore, &, quam videmus contigiſſe, regni ſacerdotijq́ diſturbatione. Poſtremò prædicit fore, vti longè, lateq́ diuulgata Euangelij doctrina pleniſſima ſanctitatis religio, & maieſtati diuinæ gratiſsimus cultus inſtituatur: quo, ritibus legis, & cæremonijs antiquatis, Deus pater per filium piè, ſanctèq́ in omnem æternitatem colatur.

I. II.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

πρότασις Propoſitio annexa ratione, & expolitione ἐξεργασίας allegorica: quæ eſt vice narratiunculæ, exponentis pericula, & acerbitatum ærumnas. In tanto ſum animi dolore, vt emoriar. At tu opem fer parens miſericordiæ in periculum vitæ, in a-

quis calamitatum, & miſeriarum maximis, adducto. In profundiſſimæ paludis voraginem immergor: in luto ſum, qui fundum non habet: venio in vaſtiſſimam aquarum immenſitatem:

Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Pſal. 18. *Frangitur, & rupta merſum caput obruit vnda.*

Mortis premor anguſtijs, improborum torrentes me turbant,
Matth. 26. *dolores inferni me circumplicant, mortis laquei præpediunt. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Chriſtus. Auguſtinus intelligit hæc verba: & non eſt ſubſtantia: ἀλληγορικῶς de vicijs, iniquitate, peruerſitate, quæ naturæ à Deo formatæ non ſunt: (οὔ τε γὰρ ἐνυπόστατον τὸ κακόν ἐστιν, inquit Epiphanius) & Chriſtus tamen in illa noſtri cauſſa infixus eſt, & immerſus.*

III.

Laboraui clamans raucæ factæ ſunt fauces meæ: Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum.

Amplificatio ἐκ τῶν ἑπομένων. Senſus enim animi, aut corporis acerbus, in quiritationes ſolet, & clamores erumpere, clamando raucitatem contraxit guttur: oculi ſuſpiciendo diuinum auxilium caligant. Vox quoq; feſſum ipſa fugit: dumq; contentiore oculorum acie cœlum intuens, auxilium inde tuum expecto,

tenebris nigreſcunt omnia circum.

Limum, ἰλὺν, & altitudinem maris, τὰ βάθη τῆς θαλάσσης, & tempeſtates, καταιγίν, intelligit, quos incredibiles perpeſſus eſt cruciatus, & angores animi propter peccata noſtra, quæ in ſe tranſtulerat, incitantibus ſe in derelictum ab omnibus naturis ira Dei, diabolo, morte, & vniuerſis inferorum tormentis.

IIII.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: qui oderunt me gratis: Con-

for-

fortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui tunc exoluebam.

ἑρμηνεία, interpretatio. Hoſtium meorum, qui nũc non præter meum meritum ſolùm, ſed præclariſſima quoq; in illos conſerentem beneficia, oderunt, plures ſunt, quàm capilli capitis mei: qui quidem potentiam, & vires, quibus pollent, in perniciem meam omnes conſerunt, ad pœnam me repoſcentes eorum maleficiorum gratia, quibus me non obſtrinxi.

Heu miſer illa luo, quæ nunquam facta patraui:
Atq; aliena malis damna rependo meis.

Cùm debitor mortis, peccatiq; non eſſet, tanquam peccati, & mortis debitor tenebatur. Hilarius. Principes ſacerdotum, & Scribæ acriter eum accuſabant. Filium Dei ſeſe fecit: Excitat populum: Cæſari tributa ſolui vetat. Tolle tolle: crucifige eum. Luc. 23.

V.

Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

προκατάληψις. Contaminatus quidem, & infectus ſum, ſed proprij alicuius ſceleris macula nullâ. Tu ſcis, an me aliquo crimine pollucrim: neq; tibi ignota ſunt mea peccata: vt quæ non mea ſunt, ſed vniuerſi generis humani. A Chriſto commiſſum erat nihil, quamobrem malè multaretur, & in crucem tolleretur: ſed, quia deprecatorem ſeſe pro nobis apud patrem cœleſtem præbuerat, vt compedibus vinculisq; ſcelerum laxati, è ſeruitute eriperemur diaboli, iuſticiæ diuinæ ſatisfacere, & peccata noſtra ſanguine ſuo puriſſimo neceſſe habuit expiare. Caput inquit Caſſiodorus, de ſuo corpore loquitur. Vocat autem noſtra peccata ſua Chriſtus: ex quo conſequitur, innocentiam ipſius, & iuſticiam noſtram eſſe: neq; damnationi fore obnoxios eos, qui in Chriſto Ieſu non corporis, ſed ſpiritus arbitrio parent. Chriſtus fuit delictorum ſuſceptor,

non

non commiſſor. Auguſtinus. Chriſtus non meritum, ſed mandatum mortis habens, & mortem ſine merito debito ſoluens, à morte debita nos redemit. Rapuerat enim Adam peccatum: quando manum in arborem præſumtione deceptus extendit: vt incommunicabile nomen inconceſſæ diuinitatis inuaderet, quam filio Dei natura contulerat, non rapina. Idem in Euang. Iohan. Tr. 79.

VI. VII.

Non erubeſcant in me qui expectant te Domine Domine virtutum: Non confundantur ſuper me: qui quærunt te Deus Iſrael.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.

Alia ratio propoſitionis. Ideo peto ſeruari Domine Deus exercituum, ne pudori ſim Eccleſiæ tuæ, quæ in te ſolum ſpectat: ne ſim lapis offendiculi, & ſaxum illiſus ijs, qui omnes cogitationes ſuas in te habent conſtitutas: neu deficiant animis tuæ gloriæ Deus Iſraëlitarum ſtudioſi: ſi viderint me tui nominis ergò infamia oppreſſum eſſe, & dedecore, & faciem habere notatam ignominia. Chriſtus carnis integumento obduci voluit, tum vt, diaboli tyrannide euerſa, animos hominum, qui caligine viciorum, & cupiditatum occæcati rectam de natura diuina opinionem non habebant, ad lucem, & veram Dei colendi rationem traduceret: itaq; gloria ſua conſtaret inter homines patri cœleſti: tum, vt diſperſos filios Dei congregaret: quos non ſolùm à morte ſempiterna liberaret, ſed omnium etiam bonorum ſuorum faceret participes.

VIII.

Ex-

Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.

Συνέχεια τῆς ἐξηγήσεως. *Continuatio expoſitionis ærumnarum per amplificationem circumſtantiarum. Habent me pro alieno fratres mei, pro extraneo domeſtici. In ſua venit* Ioh. 1.
& ſui eum non acceperunt (admiſerunt.) Iohannes. Neq; eius 1. Cor. 1.
fratres ei fidem habebant. Idem. Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offenſionem, Græcis verò ſtulticiam. Paulus Apoſtolus.

IX.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

αἴτιον προκαταρκτικόν. *In tuæ domus ſtudio inflammatum conuiciatorum tuorum maledicta congeruntur. Cùm Ieſus nactus eſſet in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes, facta ex loris ſcutica, omnes eiecit ex delubro: ouesq́; & boues, & menſariorum æs effudit: euertitq́; menſas, & columbarum venditoribus dixit. (Votis ſacrata, pijsq́; hæc precibus domus eſt.) Hæc auferte hinc, & ex mei parentis domo ne facite domum mercatoriam. Quo facto, recordati ſunt, inquit Euangeliſta, diſcipuli eius quòd ſcriptum*
eſt: Zelus Domus tuæ conſecit me. Iohannes. Chriſtus non Iohan.2.
placuit ſibi, ſed ſicut ſcriptum eſt, opprobria opprobrantium Roman.15
tibi in me inciderunt. Paulus. Quibus ex locis, quæ ſit huius verſus explanatio poteſt intelligi: nimirum arſiſſe Chriſtum cupiditate incredibili, vt domus Dei, quæ eſt Eccleſia, repurgaretur ab contaminationibus Satanæ vniuerſis: & in ea patris maieſtas ſola coleretur, celebrareturq́; in æternitatem infinitam: cuius quidem amore nihil non criminationum, &, quibus honori ipſius labes inferretur, contumeliarum, adeoq́; totius humani generis peccata ſuſtinere promptus fuerit & paratus.

X. XI. XII.

Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt opprobrium mihi.

Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.

Hinc conficior lachrymis, ſic vt ferre non poßim: cumq; afflictus mœrore conſumar inedia, probris tamen, maledictisq; hoſtium vexor: In centone amictum, & iacentem in ſordibus improborum ſonant dicteria: qui in curia ſedent, magno hominum riſu miſerias meas cauillantur:

Sed neq; ſine me plenis fiunt conuiuia menſis:
dum qui maioribus poſcunt poculis,
De me fingentes carmina fœda vomunt.

Ad fletum Christi referenda vrbis Hieroſolymorum deploratio,
& lachrymæ in reſuſcitatione Lazari. Nec Chriſtus ipſe, nec
Ioh. 11. *qui cum illo faciunt vel verba, vel facta ſua mundo probare poſ-*
Luc. 19. *ſunt: vt iuſtificetur nimirum ſapientia à filijs ſuis. Riſus ſum*
popularibus meis, & quotidiana cantilena. Si hominibus pla-
Matth. 11. *cerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Paulus Apoſtolus.*
Gal. 1. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII.

Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus: In multitudine miſericordiæ tuæ: exaudi me in veritate ſalutis tuæ.

Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me & de profundis aquarum.

Non

Non me demergat tempeſtas aquæ: neq; abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.

Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor: velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Repetitio ἐπανάληψις propoſitionis per commorationem, ἐπιμονὴν: qua redit ad expoſitionem ærumnarũ ſuarum, & clementiæ diuinæ opem implorat, eandem ſententiam alijs, atq; alijs verbis oratione modificata verſans: & exemplum nobis præbens, vt in miſerijs, ærumnis, & calamitatibus, & ipſi precibus ad miſericordiam diuinam ſuppliciter confugiamus. Fortiſſima enim turris nomen Domini, in quam perfugiendo iuſtus protegitur, inquit Rex ſapiens.

Nulla ſalus medio verſanti turbine leti:
quare meum cum ſit orare, obteſtor Domine, vt, ſatis iam ſuperq; pœnarum, & ſuppliciorum perpeſſo, gratiam tuam reſtituas: Nunc tempus eſt auxilij: ſine ergo exorem te Deus: proq; interminata, & quæ maior eſt peccatis omnibus, bonitate tua te mihi facilem præbe: Præſto mihi ſis, qui promiſſa ſeruas: adiuua me, affer ſalutem, eripe me ex limo ærumnarum, ne ſubmerſus nuſquam compaream: libera me ab hoſtibus meis, & ex vaſta aquarum profunditate: ne

caua in palude recumbam: ne fluctibus totus operiar: ne obrutum vi tempeſtatis

rapidus voret æquore vortex. *Benignas aures adhibe Domine clementiſſime ad meos clamores: pater miſericordiæ reſpectum habe miſeri: ne oculos remoueas à ſeruo tuo, cui & animo, & corpore malè eſt: confer hoc in me gratiæ, vt, ne inſultent in me hoſtes: ſine mora ad aſſerendam vitam meam accurras, et in tanto, qui eſt animi dolore vt emoriatur, miſerum vindices. Chriſtus in diebus carnis ſuæ precationes, & ſupplicationes cum clamore valido, & lachrymis obtulit. Autor ad Hebræos. De puteo profundi conſule Aug. Hom. 16.*

Heb. 5.

XIX. XX.

Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam: & reuerentiam meam: in conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me.

Improperium expectauit cor meum & miſeriam: et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur & non fuit: & qui conſolaretur & non inueni.

Iteratio occupationis exaggerata circumſtantijs. Non te latent probrum, dedecus, & ignominia mea: cognitos habes omnes meos aduerſarios: conuicijs contumelijsq; hoſtium ictato intimis ſenſibus animus moritur: & anxia ſanè quidem, ſollicitaq; mente expecto, quos ærumnoſi miſereſcat, ſed video neminem: qui conſolatione afflictum confirment, ſed reperio nullum.

XXI.

Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt in aceto.

Ampli-

Amplificatio. Quinetiam, ne quid deſit indignitatis, fel mihi pro cibo, & ſitienti acetum præbent bibendum:

Miſcent mihi fercula felle,

Et quibus extinguam, dantur aceta, ſitim.

Cùm, vt perficeretur quod ſcriptum erat, dixiſſet Ieſus, Sitio: accedebant milites, qui ei illuderent, & acetum ei afferebant. Euangeliſtæ. Vt Chriſto olim, ſi nunc fel, & acetum, χόλω, καὶ ὄξος porrigunt fame, ſitiq; confectis, quicunq; iacentes in mœrore animos non ex limpidiſsimo verbi diuini fonte doctrinis, ſed putridis, turbidiſq; lacunis opinionum humanarum commentis recreare & reficere conantur. Quidam Fel venenatam herbam interpretantur, qualis eſt cicuta. Ioh. 19. Lucæ 23.

XXII. XXIII. XXIIII XXV.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: & in retributionem & in ſcandalum.

Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.

Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorũ non ſit qui inhabitet.

Execratio futura prouidentis, qua ſingulari Spiritus impetu diris proſequitur omnibus aduerſarios ſuos: & malum eis, peſtemq; cum animæ, tum corporis denunciat: vt per quæ peccarunt, per eadem puniantur. Qui mihi pro libo fel, & pro potu acetum porrexerunt, ijs menſa ipſorum fiat decipula, offendiculum, & ſupplicium: audiant, & non intelligant, videant, & non cognoſcant: oblinetur, & obfirmetur cor illorum, aures aggrauatas, oculos caligantes ne perſpiciant veritatem

abſtracti in ſeruitutem: humeros habent iugiter incuruatos: perfunde eos bile inclementiæ tuæ, & furore excandeſcentiæ opprime: domus ipſorum fiat deſerta, neq; habitet in ſedibus illorum quiſquam. Menſa, τράπεζα, per intellectionem cibus & potus, per allegoriam verò paſtus ſunt, epulæq; doctrinarum: quibus, reiectis cupedijs diuinorum voluminum, mentis nus famem explere, & inedia conſumptos animos cupientes refic re Iudæi, venenis ſeſe ingurgitant, mulctati ſapientia, & intelligentia, & oculorum, & aurium fruge, vt eſt apud Tertullianum.

Rom. 11. *Hinc dedit, inquit Apoſtolus, illis ſpiritum contumaciæ, oculos, vt non videant, ὀφθαλμοὺς ἀβλεψίας, & aures, vt non audiant, ὦτα ἀνηκοΐας. Incuruatio, σύγκαμψις, humerorum, iugum eſt ſeruitutis, quam, amiſſo regno, & ſacerdotio, ad hunc diem perpetiuntur, ira Dei oppreſſi, quæ manet ſuper eos, qui*

Ioha. 3. *non credunt filio. Iohannes. Quid autem derelictum, & à cultura hominum deſertum magis regione illa, ex qua exterminati ſunt: comprobatis nimirum diris minarum, quæ extant apud Moſen, & prædictione Chriſti. Ecce relinquetur vobis domus*

Matth. 18. *veſtra deſerta, apud Matthæum. Vide Aug. de Ciu. Dei lib. 17. cap. 19. Fel & acetum facti ſunt, felleas, & acidas pani viuo epulas miniſtrando. Idem ad Iud.*

XXVI.

Quoniam quem tu percuſsiſti perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.

ἐπεμβολὴ rationis interpoſitæ. Cui enim plagam ipſe inflixiſti, eum crudeliter illi inſectantur, iucundè fabulantes inter ſeſe, ſolere te duriter tuos accipere. Confidit in Deum, qui

Matth. 27. *liberet eum nunc, ſi fauet ei. Matth. Definito conſilio, ac præ-*

Acto. 2. *eunte æterno decreto Deus Pater filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum tradidit. Quare oportuit Chriſtum ſupplicia impiorum acerrima, crudeliſſimaq; perferre: vt conculcaret caput ſerpentis, & filios Dei diſperſos colligeret. Verùm, qui*

inuidia

inuidia cæci facti, præbuerunt operam ſuam Satanæ, & ſceleſtis manibus comprehenſum, & ad palum alligatum Chriſtum ſuſtulerunt Iudæi, ideo à culpa liberi non ſunt: neq; enim erat illorum, quem vulnerauerat Deus inſectari, & saucij dolorem adaugere. Meritò igitur euenit eis dies malus, cuius ortum ignorabant: & irruit in eos calamitas, quam non potuerunt aberuncare. Eſaias. Eſa. 47.

XXVII. XXVIII.

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſticia tua.

Deleantur dè libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.

Dirarum continuatio. ἐπαυξητικῶς. Cumulent permiſſi in mentem impiam peccata peccatis: neq; in iuſticiam tuam vnquã perueniant: tollatur nomen eorum ex libro vitæ, nec in numero iuſtorum cenſeantur. Liber vitæ, βίβλος ζώντων, imagine ſumpta à tabulis publicis, codex eſt quaſi, & volumen illud, in quo conſignantur nomina eorum: qui ſunt à partibus, quem nouit ipſe, populi Dei. In quo populo, ceu in ſagena illa, & euerriculo Euangelico, quia boni ſunt, & mali, iuſti, & hypocritæ: deleantur ex eo, tum qui in hac etiam vita, cùm primas ſæpenumero tenuerint, diuino tamen iudicio manifeſto abdicantur, vt Caiphas, Iudas, Arius, Antichriſtus: tum quorum nomen Chriſtus in rerum omnium inſtauratione, coram patre ſuo, et ſanctis angelis non confitebitur: ſed ſecluſos à cœtu, et concilio piorũ, in tenebras perpetuas relegabit. Hilario alius liber eſt viuentiũ: alius iuſtorum: ille fortaſſe legis, non enim ſatis explicat ſeſe: hic verò, vt ſcribit ipſe, quibus iuſticia Chriſtus eſt factus.

XXIX. XXX. XXXI.

Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.

 Lau-

Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentẽ & vngulas.

Repetitio propoſitionis, cum grati animi pollicitatione includente πρόῤῥησιν antiquationis rituum, & cæremoniarum, quas Moſes tradiderat. Miſer ego, & ab omnibus rebus inops, vim dolorum ferre non poſſum: quare tua me protegat dextera, tuum ſeruet auxilium. Nomen Dei carmine celebrabo, & agendis gratijs magnificè efferam. Hoc acceptius erit Domino tauro, qui pro peccatis ſolitus eſt immolari hactenus, cornua
2. Cor. 8. *habente, & vngulas. Chriſtus propter nos pauper factus eſt, cùm eſſet diues: vt nos eius paupertate ditaremur. Apoſtolus.*
Heb. 13. *Per Ieſum libemus aſſiduum laudationis ſacrificium Deo, hoc eſt, labiorum fructum, eius nomen celebrantium. Autor ad Heb.*

XXXII. XXXIII.

Videant pauperes & lætentur: quærite Deum & viuet anima veſtra.

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit.

τὸ αἴτιον τελικὸν ſuppliciorum Chriſti, & eiuſdem in vitam reuocatione. Miſeri, inopes, & mente fracti, qui ſalutis viam, rationemq́; nullam inueniunt, & eſuriunt tamen, & ſitiunt iuſticiam, vident hæc magna cum voluptate, iucunditateq́; cordis: & ad Deum referentes ſeſe fide in hoc ſeculo, & quod ſecuturum eſt hanc vitam, æuo, corpore, & animo viuent in perennitatem infinitam: audit enim Dominus vota pauperum: & minimè habet deſpectui vinctos ſuos, captiuosq́;: quos educit
Zach. 9. *cit ex fouea, in qua non eſt aqua.*

XXXIIII. XXXV. XXXVI.

Lau-

Laudent illum cœli & terra: mare & omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus ſaluam faciet Zion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ: & inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.

Et ſemen ſeruorum eius poſsidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Concluſio cum cohortatione, adnexa prædictione de continuatione Eccleſiæ. Conferant igitur laudes in Dominum cœli, terra, mare, cum omnibus, quæ in illis continentur, naturis: Dabit enim ſalutem Sioni, & ciuitates Iudæ exædificabit: quarum quidem hæreditatem ſemen, & progenies cultorum ipſius ceruet: & nominis diuini ſtudioſi incolent eas in ſeculorum perpetuitatem interminatam.

PSALMVS LXX.

IMITATIO.

IMploratio opis, & auxilij diuini aduerſus inimicos veritatis: qui ſummis viribus vitam Prophetæ maleuolentia animi, conſilijs, dictis, & factis denique oppugnabant. Conſolatur autem ſe Dauides ipſe cum bonitate cauſæ, tum optimæ mentis præclariſsimè ſibi conſciæ teſtificatione. Quæ quidem homines pij vt habeant, cum primis dabunt operam: felices nimirum ſi propter iuſticiam ferant iniuriam. Præſtat enim rectè facientes, ſi ita fert Dei voluntas, aduerſa pati, quàm facientes prauè, vt eſt apud Petrum Apoſtolum. Quo fit etiam, vt in optima ſpe præſidij

cœleſtis, iram Dei, & pœnas grauiſsimas aduerſarijs minimè dubitet denunciare. Neq; enim deſertos eſſe ſuos pati poteſt Dominus : & lento quidem gradu ad vindicandum in impios diuina procedit ira : ſed tarditatem ad extremum pœnæ grauitate compenſat. Translatum eſt autem canticum totum de Pſalmis 69. & 40. cuius in fine totidem legitur verſibus in querela filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti : cuius quòd multis in rebus perſonam ſuſtinet Propheta, ad ſuam cauſam traduxit, quæ de ſuis ille aduerſarijs conqueritur.

I.

Deus in adiutorium meum intende : Domine ad adiuuandũ me feſtina.

πρότασις Propoſitio. Ades Deus, vt ſumme in diſcrimine verſantem eripias : Domine, vt opem feras laboranti, accelera. Auxilium fer citò, & vltimis oppreſſum penitus ſubtrahe me malis.

II. III.

Confundantur & reuereantur : qui quærunt animam meam: auertantur retrorſum & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi euge euge.

ἀρεὰ ἐπιμβολική. Execratio à ſingulari Spiritus impetu profecta. Fœdè fruſtrentur, & pudore notentur, ignominiaq; qui inſidiantur vitæ meæ, & animam mihi nituntur extinguere. In fugam dent ſeſe turpiter, qui malum mihi imprecantur. Euertantur ob impudentiam ſuam : infamem referant conſilij exitum : qui in meas miſerias inſultant hac voce. Euge Euge.

Exul-

Digitized by Google

IIII.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te : & dicant ſemper magnificetur Dominus qui diligunt ſalutare tuum.

ἀντίθεσις παραινετικὴ. At verò gaudio perfundantur, & leticia exultent, qui tui ſtudioſi ſunt : Salutaris tui præſidij amatores ſemper habeant in ore : Grates Deo, & Domini nomen certent æternis tollere honoribus.

V.

Ego verò egenus & pauper ſum : Deus adiuua me, adiutor meus & liberator meus es tu : Domine ne moreris.

Ratio propoſitionis, quæ eſt διηγημάτιον narratiuncula complectens ἐπιτομὴν, breuem comprehenſionem miſeriarum ſuarum: eam ſequitur repetitio propoſitionis, quæ eſt ipſa concluſio, συμπέρασμα. Miſer enim ego ſum, & deſtitutus omnium naturarum auxilio, & præſidio. Quare, vt ſuppetias feras mihi Deus, accurre ad defenſionem meam. Tu enim es defenſor, & liberator meus : mi Deus ne cuncteris.

PSALMVS LXXI.

ECCLESIA SENESCENS.

OBſecratio Eccleſiæ omnium ætatum, & præcipuè in ſeniū vergentis : ne, luce veritatis extincta, opprimi ſeſe, & ad nihilum venire patiatur Deus. Danielis eſt, fore vt veritas ſolo allidatur, et iniuſticiæ omnia proſperè eueniant : ſed & Chriſtus Dominus vaticinatur, temporibus mundi ſupremis, deficiente fide, & charitate refrigeſcente, tantum fore malorum, quantū ab orbe condito non extitit. Quis eſt autem,

ſi ſuperiorum temporum ſecula recogitet, qui non intelligat afflictam fuiſſe, & proſtratam veritatem, obtinente regnum in Eccleſia Chriſti illo, qui ſe extulit ſupra omne quod dicitur Deus, aut numen: dū in templo ſedet diuino, ſeſe pro Deo gerens? Quis eſt etiam, qui eodem pateſacto, & ante omnium oculos poſito, non videat, propter ἀχαριςίας crimen, omnia in peius ruere, & retrò ſublapſa referri, opinionum prauarum pullulationibus, contentionibus, ſeditionibus, habendi cupiditate, helluationibus, libidinibus orbe vniuerſo feruente? vt iam iam affuturum videatur illud tempus, de quo Chriſtus: Filius hominis cùm venerit, num inueniet fidem in terris? Verumenimuero, quia à prima mundi ætate autor, curator, & propugnator fuit Eccleſiæ ſuæ pater æternus: & ſe ipſe, &, qui ad Deum ſpectant, ſolatur omnes vates regius, futurum eſſe ſpondens: vt ne ad ſenectam quidem, & canos ſit ſuos Deus deſerturus. Quod quidem præſtitit etiam, pro interminata ſua bonitate reſtituens nobis in extrema mundi ſenecta lucem verbi ſui: qua nos ex ima tellure, reconciliatus nobis, extrahit, & pacatior nobis, recepto erga Eccleſiam animo, menteq́ benigna, factus recreat. Pro quo beneficio pios, & religioſos omnes ſingulari mentis inductione & habere, & agere illi gratias, &, contemtis rebus cæteris, cogitationes omnes, omniaq́ ſtudia in ipſo vno figere, & locare in omni vita decet.

Lucæ 18.

I. II. III.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.

In iuſticia tua libera me, inclina ad me aurem tuam: & ſalua me.

Eſto

Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum: vt ſaluum me facias: Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

Propoſitio cauſsis, & conqueſtionibus interiectis, alijs, atq; alijs verbis, quibus intertexuntur εἰκασίαι, πληροφορίας ἕνεκα, commutata, variataq́;. In tua ſpe requieſco Domine: qui oris tui pronunciata non mutas: quæ ne vnquam me fruſtretur prohibe: fer auxilium, & ſubueni inopi pro tua iuſticia: adhibe aures tuas ad preces meas, & opitulare miſero: ſis mihi arcis inſtar, in quam fugiam, qui immutabili decreto pollicitus es, te opem mihi allaturum eſſe: quod quidem ſtudioſe etiam antehac, & fideliter præſtitiſti: dum pro ſublato in rupem quaſi, & petram celſiſsimam fortiter propugnas. Conuenit hoc initium maximam partem cum principio Pſalmi 31. Porro Iuſticia, δικαιοσύνη, Dei, miſericordia eſt hoc loco, & clementia: qua credentibus ſibi Pater cœleſtis condonat peccata vniuerſa, & innocentia eos ſanctitateq́; filij ſui ornat. In tua iuſticia erue me, non in mea: cùm ero iuſtus tua iuſticia erit: quia iuſticia mihi abs te data. Auguſt.

IIII. V. VI.

Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.

In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus: in te cantatio mea ſemper.

Expolitio, ἐξεργασία, explicatioq́; propoſitionis repetitis rationibus. Defendendum Deus meus, tuendumq́; ſuſcipe ereptum de manu impij, de iniurijs iniuſti, & tyranni: Tu enim, in quo quicunq; cogitationes ſuas conſtitutas non habent, fruſtrantur, ſpes mea es Domine Deus meus: es fiducia à primo ætatis tempore: qua die mirabiliter in vtero matris contextus, in vitam ingreſſus, huius lucis vſura primùm frui cœpi, me ad te vnum contuli, omnia mira & diuina à te expectans: qui enim, ex vtero materno nondum prolatum, tuo fauore complexus es: an non ô cuſtos hominũ ex filio iræ in gratiam tuam reſtitutum beneuolentia tua proſecuturus ſis, defenſurusq́;? Hinc fit, vt de te prædicare, & nomen tuum proſequi laudibus ô in omnem ſæculorum æternitatem prædicande Deus, nunquam intermittam. Impius, ἁμαρτωλὸς, eſt, qui à cultu numinis eſt remotus, Deum nullo neq; loco habens, neq; numero. Iniuſtus, παρανομῶν, qui mentiens pietatem, & virtutem, occultè calumniatur, fraudat, decipit, ſpoliat eos, qui religionem colunt. Tyrannus, ἀδικῶν, ſic enim tranſtulerunt interpretes Græci, qui vi aperta impetum facit in ciuitatem redemptam, & congregationem, ſocietatemq́; ſanctorum.

VII. VIII.

Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

Amplificatio, αὔξησις κατ᾽ ἀντίθεσιν. Propter ærumnas, & quos ſuſtinere cogor labores, & miſerias exantlare, portentum quaſi quoddam factus ſum in terris: verùm nihilo tamen minus in te omnem ſpem vitæ, ſalutisq́; meæ repono: ideoq́; non dubito fidenter abs te petere: vt tuo beneficio tuis os plenum laudibus, tuo honore linguam refertam, cumulatamq́;

ſine intermiſsione habeam. Ego, & pueri mei miraculo, & portento ſumus in Iſraele. Eſaias. Tanquam morti addicti ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Paulus. Eſa. 8. 1. Cor. 4.

IX. X. XI. XII.

Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in vnum.

Dicentes Deus dereliquit eum: perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.

προκατάληψις *Anticipatio* ὁμολογικὴ, *adiuncta* μιμήσει, *& deprecatione. Ne aſpernatum reijcias in tempore ſenectutis extremæ: ne me exhauſtum viribus abiudices. Aduerſarij quidem coëunt contra me, conſpirantq́;, & qui capiti meo inſidiantur deliberationem habent hunc in modum: dereliquit eum Deus, quare inſequamur, comprehendamusq́; illum: dum, qui captum vindicet, eſt nemo: At tu ne longiùs clementiæ tuæ fauore abſis ô Deus: ſed ad ſubueniendum mihi ro feſtinanter propera. Præuidet ſpiritu vir ſanctus, fore illud tempus: cùm ætate bona florebat, vigebatq́; Eccleſia fide, cognitione Dei, ardore precum, ſpe, confeſsionis calore, & omnium virtutum actionibus: vltimis temporibus, in quæ nos incidimus, effœta viribus langueat: & morbis quaſi confecta ægrè ſpiritum ducat, inſultantibus in afflictiones, & ſcabiem, vlcera, tuſſes, ſcreatusq́; habentis malè, exagitantibusq́; eam diabolo, eiusq́; admini-*

adminiſtris: Obteſtatur igitur Deum, ne eiecto de ipſa paterno animo, proiectam deleri, & planè excindi patiatur: quem quidem imitando ſequi nos in votis noſtris decet, recogitantes
Eſa. 46. *illud Eſaiæ: audite me, qui geſtamini à me ab vtero, & baiulamini à me à partu: vſq; ad ſenium ego ipſe, & vſq; ad caniciem ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſeruabo.*
Ioh. 10. *& Chriſti. Non rapiet eos quiſquam de manu mea. Portæ in-*
Matth. 16. *ferorum non præualebunt Eccleſiæ.*

XIII.

Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore qui quærunt mala mihi.

Execratio. Turpiter fruſtrentur, qui meum exitium a-
Pſal. 17. *nimo habent propoſitum: inquinentur ignominia, & dedecoris*
& 40. *nota ſempiterna, qui mihi malum cupiunt.*

XIIII. XV. XVI.

Ego autem ſemper ſperabo: & adijciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iuſticiam tuam: tota die ſalutare tüum: quoniam non cognoui literatüram.

Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſticiæ tuæ ſolius.

Αντίθεσις, quæ habet promiſsionem grati animi, & ſalutis acceptæ memoris εὐχαριςίαν. Ego verò in ſpe optima tuas laudes amplificabo, nullo neq; loco, neq; tempore de tuis beneficijs conticeſcens: ego lingua iuſticiam tuam commemorabo, &, quam numero comprendere non eſt, bonitatem, qua adductus ſalutem nobis donas: & nulla temporum varietate interrumpendam feliciatem longè, lateq; diuulgabo: animo aggredi-

gredïar maximo ad ſolam iuſticiam, qua per intimam miſericordiam veniam das peccatorum ad meliora conuerſis, ſermonibus illuſtrandam meis celebrandamq́;. Nullam meam cognoſco, ſolius tuæ iuſticiæ memor ero. A te habeo, quicquid boni habeo. Quicquid autem mali habeo, à me habeo: Non meritis ſupplicium reddidiſti, ſed gratiam gratis impertiuiſti. Auguſtinus.

XVII.

Deus docuiſti me à iuuentute mea & vſq; nunc: pronunciabo mirabilia tua.

Ratio ἐκ τῶν ἑκβάντων. A primo enim ætatis exordio ex ignorantiæ tenebris eductum erudiuiſti: quo fit, vt celebranti miracula tua non deſit oratio.

XVIII.

Et vſque in ſenectam & ſenium: Deus ne derelinquas me: donec annunciem brachiũ tuum: generationi omni quæ ventura eſt: potentiam tuam.

Ratio propoſitionis, precationisq́;, quæ πρόῤῥησιν habet de Eccleſiæ ad extimum mundi tempus duratione, permanſioneq́;. Ne deſertum patiare me Deus tempore vitæ extremo.

Cùm mea rugoſa pallebunt ora ſenecta,
Spargetur canis & caput omne comis:

donec vires brachij tui poſteris, & robur, potentiamq́; tuam prædicem & natis natorum, & qui naſcentur ab ipſis.

XIX.

Et iuſticiam tuam Deus vſque in altiſsima quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi?

ἐκφώνησις θαυμαστική, qua μιμητικῶς quid memoriæ poſteritatis propagaturus ſit, recitat. O excelſam tuam,

ardu-

arduamq; iuſticiam Deus: qui maxima facis, & admirationem habentia maximam facta; Deus quis ſimilis tibi? Ardua eſt, & excelſa iuſticia, qua ſanctos nos Deus, & innocentes pronunciat. Neq; enim ex operibus nobis contingit ea noſtris, ſed gratis datur cœlitus: ideoq; etiam in admirationem ducit, quicunq; doctrinæ ſalutari fidem adhibent, obſtupeſactos Dei operibus, liberantis nos à diabolo, peccatis, & morte, defendentis contra tyrannos, & ſalutem dantis, & felicitatem ſempiternam.

XX. XXI.

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas: & conuerſus viuificaſti me, & de abyſsis terræ iterum reduxiſti me.

Multiplicaſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me.

Occupatio, προκατάληψις, de cruce, & calamitatibus, quibus percellitur, & miſera habetur Eccleſia, vt in maiorem ſplendorem detur. In multas quidem, & magnas me difficultates conijcis: calamitatibus me afficis plurimis: ſed tamen è morte reuocatum, & ex tellure ima extractum in vitam reſtituis. auctumq; dignitate, & honore ampliſsimo ad hilaritatem, & iucunditatem infinitam reuocas. Huc illa: Dominus occidit, & in vitam reuocat: in orcum demittit, & extrahit:
1. Reg 2. *deprimit, & euchit. Hanna mater Samuelis. Dominus diſcerpit, & diſcerptos ſanat: percutit ſauciatq;: & percuſſos, ac*
Oſ. 6. *ſauciatos curat, obligatq;. Oſeas. Breui ſpacio te dereliqui, & prolixa miſericordia te colligam: momentanea ſæuitia paululiſper tibi vultum meum ſubtraxi, & clementia æterna tui mi-*
Eſa. 50. *ſerebor. Eſaias.*

XXII. XXIII. XXIIII.

Nam & ego confitebor tibi in vaſis

ſis Pſalmi veritatem tuam Deus: pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea quã redemiſti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſticiam tuam: cum confuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Concluſio, qua repetit gratiarum actionem. Quapropter gratias etiam & habere, & agere tibi Deus inſtrumentis muſicis pro fide tua nunquam intermittam: nomen tuum ô auguſtiſſime Iſraelitarum Rex cithara celebrabo ſemper: labia, adeoq́;, quam redemiſti, anima mea lætitia elata laudes tuas canere nullo tempore intermittet: ſed & nunc lingua mea diebus ſingulis meditatur iuſticiam tuam: quo fit, vt qui de pernicie, exitioq́; meo cogitabant, pudore confuſi ignominia afficiantur, & dedecore ſempiterno. Vaſa Pſalmi Arnobius rectam fidem continentes, & incluſam habentes intelligit: ſine qua ipſe vt loquitur, pœnitentiæ afflictiones, ieiunia, cineres, cilicia, & quæcunq; deniq; laborauerit quis, euaneſcunt.

PSALMVS LXXII.

CHRISTVS ET REGNVM EIVS.

INſignis, & illuſtris vaticinatio de Chriſto Domino, &, in quo omnes nationes futuræ ſint, regno gratiæ: in quo non, vt in dominatu legis peccatum, & dolor animi, cruciatusq́;, ſed iuſticia, condonatio criminum, pax, & lætitia mentis vigeant, floreantq́;: verùm non ſine rebus aſperis, & calamitoſis, hoc eſt, cruce. Futurum enim, vt venerationi ſeſe dedentes filij Dei profundere neceſſe habituri ſint vitam, & ſangui-

ſanguinem ſuum, maximi momenti à Deo, precijq; iudicandum. Addit deinde de nouo Dei cultu', inuocationis nimirum, gratiarumq; actionis: quem diebus ſingulis tribuant regi, & principi ſuo credentes: in rebus ſecundis ei preces, in triſtibus laudes, & gratiarum actiones adhibentes: quæ eſt veriſsimi, & pleniſsima pietatis, ſanctitatisq; religio.

I. II.

Deus iudicium tuum regi da: & iuſticiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in iuſticia: & pauperes tuos in iudicio.

Exordium εὐκτικόν. Da optime rerum omnium, maximeq; moderator, & princeps Deus Chriſto Regi, orto ex meo, quod ad carnem attinet, ſanguine, iura tua, & potentiam infinitam: vt in hoſtes noſtros vindicet, eisq; damnatis, proſcriptis, & ad cæcas inferorum tenebras relegatis, communicet cum miſeris, & viciorum maculis infectis Spiritum ſuum ſanctum: & credentes ſibi iuſticia ſua ornet, innocentiaq;, tandemq; ab interitu receptis vitam, & felicitatem ſempiternam reſtituat. Dominus miſit me, vt læta nunciem miſeris, pauperibusq;, & medear contritis corde, & prædicem ſub peccato captiuis libertatem. Eſaias. Quid autem? Chriſtus iudicat: & non iudicat: Pater non iudicat, Spiritus ſanctus iudicat: ſic enim apud Euangeliſtam. Non veni in mundum, vt damnem: &. Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. &. Cum venerit paracletus, mundum arguet de peccato, & de iuſticia, & de iudicio. Hæc quomodo inter ſe conſentiunt? optimè. Tu modò tempora, diſcrimina, & concentum ſacrarum literarum facilè animaduertes. Eſt tempus Chriſti forma ſeruili ad nihilum redacti: quo iudicium pronunciat non ipſe, ſed pro ipſo Pater in pecca-

Eſa. 61.

Iohan. 5. & 16.

in peccatores, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem verbo ſuo: & erit dies, quo non Pater, ſed pro Patre iniquiſsimis hominum ſententijs condemnatus Chriſtus omnium iudex ſedere ab omnibus conſpicietur. Et Spiritus ſanctus legis concione quotidie improbitatis, impietatis, & iniqui iudicij de Deo, Chriſtoq; homines vniuerſos conuincit. Tertullianus. Filium regis populum Chriſti interpretatur. Filij enim eius ſunt, qui in ipſo renaſcuntur lib. 5. aduerſus Mart.

III. IIII.

Suſcipiant montes pacem populo: & colles iuſticiam.

Iudicabit pauperes populi & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

διήγησις narratio, qua ſtatus imperij Ieſu Chriſti, & adminiſtrationis ratio depingitur. Efferent montes pacem populo, & colles iuſticiam: ipſe deſertorum ſuſcipiet patrocinium, & inopes, ac miſeros tuebitur, calumniatores euertens.

Impia tartarea contuſa calumnia ſede
Occulet obtritum non reditura caput.

Montes, τὰ ὄρη, ἀλληγορικῶς intelligit Eccleſiam, & Apoſtolos. Colles, βουνοὺς, qui in Apoſtolorum locum, poteſtatemq; ſuccedunt, de quibus illud: Quàm ſpecioſi, & elegantes ſunt in montibus pedes Euangeliſantis, prædicantis pacem, nunciantis bonum, ſignificantis ſalutem, dicentis Zioni, regnat Deus tuus. Eſaias. Calumniatores ſunt Satanas, & primogenitus illius Antichriſtus: præterea tyranni, & falſarum opinionum propagatores: quos omnes ſub pedibus pauperum ſuorum Chriſtus conteret. Eſa. 52. Rom. 16.

V.

Et permanebit cum Sole & ante Lunã: in generatione & generationem.

Regnum Chriſti ſempiternis ſeculorum ætatibus duraturum. Timebunt, & venerabuntur te mortales vniuerſi, quàm diu anfractus, redituſq́; ſuos ſol, & luna conuertent. Eius regni
2. Reg. 7. *ſolium in perpetuum ſtabiliam. Nathan. Regnabit ſuper domum*
Lucæ 1. *Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Lucas.*

Nec metas, nec tempora regni
Accipiet, toto æternùm dominabitur orbe.

Nouos cœlos, terramq́; nouam ex eius promiſſo expe-
2. Pet. 3. *ctamus: in quibus habitet iuſticia. Petrus.*

VI. VII.

Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Orietur in diebus eius iuſticia & abundantia pacis: donec auferatur Luna.

ὁμοίωσις *ex hiſtoria Gedeonis. Ad quem modum ros tantum in vellere erat Gedeonio, cum tota terra ſicca exiſteret, & cum in vellere eſſet ſiccitas, eodem latè cuncta madebant: non aliter voce gratiæ ſuæ, charitatiſq́; Chriſtus deſcendet in corda arida, & ſitientia innocentiam, eaq́; imbre miſericordiæ cœleſtis irrorabit: quo facto, florebunt, ex ipſa peccatorum dimiſſione innocentiam conſecuti, iuſti: & peccato, & eo qui mortis habebat imperium abolito, pace, quam cum Deo habebunt, fruentur ſeculis infinitis. Rorate cœli è ſupernis, & nubes ſtillent iuſticiam. Et, Opus iuſticiæ erit pax, & cultus iu-*
Eſa. 45. & 32. *ſticiæ tranquillitas, atq; ſecuritas in perpetuum. Eſaias.*

VIII.

Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum.

Imperij Chriſti terminos eoſdem fore, quos orbis terrarum limites. Pertinebit imperium eius, licet mundanum non erit, tamen ab Oceano orientis ad Oceanum occidentis, & à flumine vſq; ad fines terræ vltimos. Loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari (pertinget) vſq; ad mare alterum, & à flumine ad extrema terræ. Zacharias. Ibitur ad te ab Aſſur, Zach. 9.
& ciuitatibus munitis, & à munitione vſq; ad flumen, & à mari ad mare, & à monte ad montem. Micheas. Flumen, ποταμὸν, Mich. 7.
[illegible] Euphraten, qui imperij Solomonici terminus fuit, tum præcipuè Iordanem intelligit, in quo baptiſſatus eſt Chriſtus, ipſamq; Iudæam: quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieroſolymis. Eſaias. Et, Eritis mihi teſtes Hieroſolymis, & Eſa. 2.
in tota Iudæa, ac Samaria, deniq; ad vltimas terras. Chriſtus. Act. 1.

IX. X. XI.

Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.

Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.

ἐξεργασία *Expolitio* ἀπὸ τῶν ἑπομένων *à conſequentibus, & diductione generis in ſpecies. Ergo illius venerationi dedent ſeſe, qui deſerta incolunt, aduerſarijq; eius ſolum lingent: reges mediterranei, & inſulani munera illi offerent: principes Arabiæ, Sabæiq; tributa pendent: quid multis? adorabunt eum vniuerſi poteſtate pollentes, & qui alieni nunc ſunt à religione, & à cultu maieſtatis æternæ remoti in ſeruitutem ſeſe illi libentiſſimis animis tradent. Qui deſerta incolunt, barbaræ ſunt, & immanitate nationes efferatæ, qui extra remp. Hebræorum Legis, & rituum colendi Deum ignaræ erant.*

Terram lingere, χοῦν λείχειν, ſubmiſſionis habet ſignificationem. Adituri enim ad reges ſuos Aſiani procumbentes terram ſolebant oſculari. Cantabunt, qui in mare deſcendũt, & quidquid
Eſa. 42. *in eo eſt, Inſulæ, & qui in eis habitant. Eſaias. Vide eiuſdem vatis caput 60. Deus Chriſtum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, & terreſtrium, ac inferorum: omniſq; lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus*
Phil. 6. *Chriſtus ad gloriam Dei Patris. Paulus Apoſtolus.*

XII. XIII.

Quia liberabit paúperem à potente: & pauperem cui non erat adiutor.

Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet.

Ratio, quæ ad deſcriptionem gubernationis regiæ, & inſtitutam de imperio Chriſti narrationem pertinet: Pauperem quiritantem eripiet: & miſerum, cui, qui opem ferat, auxiliumq́;, nemo eſt, ſeruabit: miſericordiam tribuet tenuibus, & oppreſſis: & animis iniurijs, & contumelijs expoſitorum, ſalutem dabit. Pauperes, miſeri, tenues, & oppreſſi, πτωχοὶ καὶ πένητες, οἷς οὐκ ὑπῆρχε βοηθός, ſunt, quos lex terret, natura deprauata in peccata, ſceleraq́; illicit, animi dolor, & conſcientia exagitat, diabolus deniq; vexat, & miſeros habet: horum vindex eſt liberator, & defenſor filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

XIIII.

Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

Occupatio παραμυθικὴ de cruce, calamitatibus, & morte ipſa, quibus expoſiti ſunt pij, & Chriſtum colentes.

Vindica-

Vindicabit eos à fraudibus impiorum magiſtrorum, & iniurijs tyrannorum: vt nec crudelitas in illorum terra, nec vaſtitas, aut calamitas in finibus audiatur. Miſerum quidem ad modum non rarò excruciati ab hoſtibus, è vita expellentur: ſed non committet Chriſtus, vt impunè ſe quiſquam ſuorum, quem magno habebit in precio, ſanguine contaminet. Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Autor. Pſal. 115.

XV.

Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ: & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.

Cultus, qui regi Chriſto vt Deo, ab Eccleſia adhibebuntur, preces, laudes, & gratiarum actiones. Vitam omnibus bonis refertam, & gaudijs, quæ neq; lingua nuncupari, neq; cogitatione depingi poſſunt, cumulatam viuenti in æternitatem infinitam, afferent ſui aurum Arabicum: & ſupplicationum, actionum gratiarum, fauſtarumq; acclamationum, quæ diebus fient ſingulis, nullus erit neq; modus, neq; numerus. Quod ad aurum Arabicum attinet: non habet quidem hominis filius, vbi caput reclinet: ſed idem tamen paucis panibus, & piſciculis ingentem hominum multitudinem paſcit: & Apoſtolus infinitam Chriſti opulentiam publicat, quæ eſt cognitionis abſcondita alijs ætatibus, non hominibus modo, ſed principatibus quoq;, & poteſtatibus, hoc eſt, angelis, per Eccleſiam. Ep. 1. 3.

XVI.

Et erit firmamentum in terra in ſummis montium: ſuper extolletur ſuper Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.

Multorum hominum ad Eccleſiam acceſſio, eiuſq; incrementa, & fœcunditas ἀλληγορικῶς ſimilitudine ſumpta ab ar-

boribus, frumentis, & graminum vbertate, & copia. Quanta arborum denſitas in Libano, quanta ſegetum in agris feracibus luxuria, tanta erit fructuum Euangelij, prouentuumq́; abundantia: ciuibus Eccleſiæ herbarum inſtar florentibus, & graminum more pullulantibus. Quæ de placenta frumenti, ſeu ſacrificio panis in terra in capite montium Eccleſiæ qui ſunt ſacerdotes, quæ ex Rabinis Iudæorum & Chaldæis quidam allegant, probaturi pane, & vino quod ſit ſacrificium apud Antichriſticolas, eiusq́; ἀνάδειξιν, relinquamus Idolatris.

Iſa. 44.

XVII.

Sit nomen eius benedictum in ſecula: ante Solem permanet nomen eius: Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eũ.

Iteratio perennitatis regni Chriſti. Nomen illius, &, quàm ante conditum habuit, creatumq́; ſolem, gloria æternis durabit ſeculorum ætatibus: ſed & fama meritorum in genus humanum vniuerſæ poſteritatis memoriæ propagabitur, laudantibus eum, quæ beneficio illius felicitabuntur, celebrantibusq́; gentibus, & multitudine populorum infinita. Prædica-
Matth. 24. *bitur Euangelium regni in vniuerſo orbe. Chriſtus. In Solomone nulla natio benedicitur: in Chriſto verò omnis. Tertull. Paulus Hebræus poſteriorem partem huius verſus ſic legit. Ante ſolem filius habebatur nomen eius: cum quo facit Capnion in verbo mirifico. Vide Stapulenſem.*

XVIII. XIX.

Benedictus Dominus Deus Iſraël: qui facit mirabilia ſolus.

Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat fiat.

Con-

Concluſio εὐχαριστικὴ. Celebretur Deus, Dominus Deus Iſraelitarum, qui ſolus mirabilia, & quæ ſunt contra opinionem omnium facit: & laudetur nominis eius maieſtas, amplitudoq́; in ſecula ſempiterna: repleantur gloria ipſius oræ terrarum vniuerſæ: γαῖαν ὅλην πλήσειε θεοῦ κλέος ὧδε γενέσθω.

Explorata diu hæc conſilia exitum
Fauſtum pollicitis contiguum bonis
Optare, ac petere, & credere conſore, &
Expectare iubent pios. Fiat. Fiat.

Finis Libri Primi & Secundi.

Princeton University Library
32101 045239181

Digitized by Google

Digitized by Google